ſC.17.Pl.5.

37
27 C
20

ABA 611

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VENERABILIS VIRI

JOSEPHI MARIÆ

THOMASII

CLER. REGUL. S. R. E. CARD.

OPERA OMNIA

TOMUS SEXTUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

VENERABILIS VIRI

JOSEPHI MARIÆ

THOMASII

CLER. REGUL. S. R. E. CARDINALIS

OPERA OMNIA

TOMUS SEXTUS

IN QUO CODICES SACRAMENTORUM NONGENTIS ANNIS VETUSTIORES

AD MSS. CODD. RECENSUIT NOTISQUE AUXIT

ANTONIUS FRANCISCUS VEZZOSI C. R.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ IN ARCHIGYMNASIO ROMANO PROFESSOR.

ROMÆ MDCCLI.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS

EXCUDEBANT NICOLAUS ET MARCUS PALEARINI

SUPERIORUM FACULTATE

Digitized by Google

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

JOSEPHO CARDINALI SPINELLO

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

JOHANNES BAPTISTA DE MARI CLERIC. REGUL. PRÆPOSITUS GENERALIS
S. P. D.

NIL ſollemnius, PRINCEPS EMINENTISSIME, aut antiquius iis evenit, qui litteras ad aliquem ideo dirigunt, ut obſervantiæ cauſſa, ſtudiorum, quibus occupantur, fructum aliquem eidem inſcribant, quam eorum laudes recenſere. Quod adeo pervulgatum, ac re-

cepto

Digitized by Google

cepto ubique fere terrarum more tritum eſſe conſpicimus, ut illud prætermittere & nefas eſſe credatur; & ſi quando commendationis digna materies deſit, peſſimo adulandi genere, fas atque liberum cuique illam effingere: quaſi decorum reputari mereretur, hominem propriis carentem dotibus, alienis ornatum deſcribere; eum in modum, quo ſæpe videmus perfrictæ frontis juvenes de foro & compitis, regia indutos veſte, in ſcenam perſonatos hiſtriones induci. Qua in re tantum abeſt, ut exiſtimationis aliquid illis concilietur; quin potius noſtra hac ætate contingere novimus pleroſque inveniri, quibus pro certo ſit nil eſſe poſſe Libri, aut alterius cujuſvis rei, nuncupatione commentitium magis aut mendax. Ita homines comparati ſumus, ut ad extrema dilabantes, in medio quodam, quod æqui bonique perpetuus eſt trames, conſiſtere vix poſſe credamus. At factum bene: voti compos nullus redditur adulator; & pro laude vituperationem injicit, dum hominem non tantum declarat virtutis expertem; ſed & vitio affectum, utpote qui nebulonis ad inſtar adſentatione palpari ſe ſinat. A vero etiam abludunt, qui litteris nuncupationis, eas, ut veteri proverbio dicitur, naſo ſuſpendentes adunco, fidem omnem denegant; quandoquidem non raro contingat tantam eſſe Viri, ad quem illæ mittuntur, amplitudinis dignitatem; ut licet arduo abru-

abruptoque negotio, preſſe ac curſim eædem varia perſequantur, pauca tamen indicare vix poſſint; dum majora, quæ juſti voluminis magnitudinem, non epiſtolæ brevem chartam, requirerent, præterire coguntur. Rei exemplum, quod heic proferam, in Te habemus CARDINALIS EMINENTISSIME, ſi receptæ conſuetudini morem gerens, dum hac epiſtola præſens veteris Eccleſiæ Sacramentorum volumen a Ven. Joſepho Maria Thomaſi jam Inſtituti mei alumno, & poſtmodum S. R. E. Cardinali, primo vulgatum; nunc vero temporis novis cum acceſſionibus recuſum, tuoque ornatum nomine, in animi erga Te mei ſignificationem Tibi inſcribo, tuas enarrare laudes ſuſciperem. Eſſet enim hoc in loco de ſingulari Tuæ Gentis ſplendore a me agendum. De illius origine nimirum, de Nobilitate, de receptis honorum gradibus, magiſtratibus, publiciſque a tuis illis Majoribus, qui longo temporum decurſu ſibi invicem ſucceſſerunt, negotiis ſtrenue fortiterque geſtis. Prima deinde attingens vitæ ac diſciplinæ tuæ lineamenta, memorandus a me eſſet eximius ille Avunculus tuus Cardinalis Imperiali; atque dicendum quomodo inter Romanæ hujus Urbis viros doctiores, in illius Bibliotheca ſelectis atque rarioribus referta libris, primum illum juventæ vigorem exercueris; quantumque inde acre illud ingenium Tuum, ad penitiora,

tiora ſtudia comparatum, doctrinæ ac ſcientiarum emolumenti reportaverit; quomodo inde, quave ratione excitatus in Te, auctuſque ſit inſatiabilis ille animi ardor, quo conſtat Te nil vehementius deperiiſſe, quam aut eorum conſuetudinem & familiaritatem, qui liberales artes ac diſciplinas excolunt; quoſque tu benevole, comiter, ac peramanter & excipere, & beneficiis fovere perpetuo conſueviſti: aut litterarum ipſarum ſtudia; ea præcipue, quæ ſingulari quodam ſplendore ſacram Chriſti Domini religionem non exornant modo, ſed & adaugent; atque munitionis & valli ad inſtar firmant quodammodo, & ab hoſtium furore defendunt. Hiſce ordine enarratis, de Te cogitanti occurrerent profectiones illæ tuæ ad Gallos, ad Belgas, ad Germanos eo potiſſimum ſuſceptæ, ut clariſſimorum Virorum, quibus regiones illæ ornabantur, jucundiſſima conſuetudine animi tui dotes augeres. Occurreret & præclare geſta difficillimis temporibus Belgica Legatio: occurrerent alia, & quidem bene multa. At eas res memorare nec tua nec mea intereſt CARDINALIS AMPLISSIME; neque enim illæ aut ita ſunt obſcuræ, ut teſtimonium; aut ita dubiæ, ut laudationem deſiderent. Ego vero, ingenue fateor, non illarum potiſſimum cauſſa hunc ad te librum hiſce litteris mitto. Quæ autem ea ſit, paucis

cis ut a me accipere haud dedigneris, rogo. Id eſſe perpetuo ſervandum ſtatuo, ut ſi alicui dare aliquid quis velit, ſive obſequentis gratique animi in documentum, ſive exiſtimationis ergo; aut quod e re ſua ſit illius ſibi gratiam & benevolentiam promereri, ſeligere debeat, quod illi, cui datur, maxime conveniat; non enim res quævis cuilibet æquo jure aptatur. Et ſane quis non rideat hominem exhibentem librum de Theologia tractantem, aut de veteri Templorum forma & ornamentis, viro in bello quidem exercitatiſſimo, primoſque militares gradus tenenti; qui tamen in ſacris doctrinis plane coecutiat: aut contra, viro inter Eccleſiæ primores conſtituto, opus, in quo nauticæ artis ratio verſetur? Ea propter, PRINCEPS EMINENTISSIME, quum præſenti in libro omnium vetuſtiora, quæ inventa hucuſque ſint a doctis viris, reperiantur primævæ Eccleſiæ, qua Romanæ, qua Gallicanæ Liturgica monimenta, Tuo Nomini ut inſcriberetur, ſuo veluti jure efflagitare, & quidem vehementer, ille videbatur. Tu etenim & Eccleſiaſticis Honoribus, Eccleſiaſtica etiam, quod præſtantius eſt, morum gravitate & ſanctimonia polles: polles inſuper, quod in præſentia meam ad rem maxime facit, atque ea præſtas doctrinæ & ſapientiæ vi, qua facile dignoſcere valeas quanti ejuſmodi ſacræ antiquitatis reliquiæ fieri mereantur. Com-

perto eſt quanta in Eccleſia Neapolitana, quam optimus Archiepiſcopus ſeptemdecim annos hactenus rexiſti, præſtiteris; quæ veteris Diſciplinæ ſanctiſſima inſtituta, paternamve caritatem ubique ſpirant. Omnium in oculis fortaſſe non verſantur, atque ut æternum verſentur exoptant boni omnes, quæ a Te PASTOR VIGILANTISSIME, perfecta partim videmus, partim affecta: cujuſmodi porro ſunt aut Cleri inſtaurata diſciplina, & eruditio; aut Seminaria ſive in meliorem formam redacta, ſive de novo ædificata; aut ſacrarum Miſſionum profectus; aut virginibus pudor ſervatus: quibus adderem quam ſuaviter quam prudenter commiſeris, ut pueris religionis rudimenta commode traderentur; ut cujuſvis ætatis atque ordinis homines ad ſolidiorem in Deum pietatem mores vitamque componerent. Eſt fortaſſe qui ambigat tuæ curæ, tuoque in ſacras antiquitates amori, acceptum nos referre vetus illud marmoreum Kalendarium, Eccleſiæ Neapolitanæ ſingulare protinus ornamentum? Quo ſane dum plurima in illius ſanctitatis ſplendorem deteguntur, vel illud ſolum commendationis laudem ſummam meretur; quod extra omnem dubitandi aleam conſtituat, inter Præſules, qui eam gubernarunt, ad triginta nobis occurrere Sanctorum in faſtis adſcriptos. Hoc Tu nongentos abheinc annos ſcalptum marmor, non ſolum

ut

ut integrum, decenti in loco ornatum, ſervaretur, voluiſti; ſed effeciſti inſuper, ut aere diligentiſſime cuſum a Viro doctiſſimo Alexio Symmacho Mazochi eruditiſſimis Commentariis inluſtraretur. Quæ quum ita ſint, nil metuendum mihi: tuum eſt, quod obſervantiæ in Te meæ, omniumque Clericorum Regularium, perenne teſtimonium Tibi offero præſens hocce volumen; Tibique, ob ea quæ complectitur ſacra veterum monumenta, addici expoſtulat: eo igitur nomine illud excipias velim, tuoque foveas Patrocinio.

Dabam Romæ III Kal. Maj. An. Rep. Sal. CIƆIƆCCLI.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Pat. Mag. Sac. Pal. Apoſtolici.

F.M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinopolitanus Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

IN

Digitized by Google

IN . NOVAM . EDITIONEM . PRAEFATIO

DE origine, dignitate, atque præſtantia veterum monumentorum, quæ hoc in Volumine collecta e Bibliothecarum pluteis, publicam in lucem typorum formis aſſeri curavit[1] *Vir ſacrarum rerum ſtudioſiſſimus, Ven. Joſephus Maria Thomaſius, aliquid præfandi occaſione dicturus; primum obſervo, ea monimenta duplicis eſſe generis quammaxime inter ſe diſſiti. Unum porro, illudque primo occurrens in loco, & celebritate præcipuum, vetuſtiores Romanæ Eccleſiæ, ante Gregorii Magni ævum receptos in Miſſæ Sacro ritus, complectitur. Eſt enim fortaſſe*[2] *omnium, qui nobis ſuperſunt, antiquiſſimus ſanctæ hujus Eccleſiæ Sacramentorum Liber; hoc eſt, volumen totius anni, ſingularumque fere dierum officia Miſſarum exhibens, quod veteri uſur-*

(1) *Anno Chriſtiani nominis* CIƆIƆCLXXX, *ætatis vero ſuæ* XXXI, *quo primum Typographiæ artem adhibere ſuis in ſtudiis cœpit, uſus opera Angeli Bernabò in Urbe typothetæ.*

(2) *Fortaſſe inquam, ne judicium meum proferre videar de veteri illa membrana Biblioth. Capitali Veronenſis, Sacramentarii fragmentum exhibens, quam heic Romæ anno* CIƆIƆCCXXXV *inter Prolegomena ad tom.* IV *Anaſtaſii Bibliothecarii vulgavit, & Leoni Magno ceu auctori adſcripſit Vir multæ eruditionis Joſephus Blanchinus. Quod eum Pontificem Libri auctorem conſtituerit, notum eſt quantas editori lites moverint, quaſque oppoſuerint viri docti difficultates; quibus licet multa in contrarium prolata ſint, plene tamen ſatisfactum non eſt. De illius membranæ antiquitate comparata ad noſtros Sacramentorum Libros diſputare heic nolim: utrumque monumentum inſignes vetuſtatis notas præ ſe fert. Unicum tamen obſervare mihi liceat, nimirum Veronenſe Sacramentarium, uti ex illius fragmento conſtare videtur, in unicum librum digeſtum fuiſſe, non in plures veluti partes, & libros tributum. Quod poſtremum juxta celebre Johannis Diaconi teſtimonium in Lib.* II *Vitæ S. Gregorii Magni cap.* XVII. *Sacramentariis ante memoratum modo Pontificem adornatis ſollemne fuiſſe videtur; ſicut & illud primum iiſdem ceſſiſſe poſt ejuſdem Pontificis emendationem. Ceterum nullus dubitat alia Sacramentaria a Pamelio, Angelo Rocca, Menardo & Muratorio vulgata, noſtris haberi, & quidem merito, hiſce libris longe recentiora.*

Digitized by Google

uſurpatione Sacramentarium , *vel* Sacramentorum Librum *denotare , ſatis aperte doctis viris innotuit : diſerte Thomaſius ipſe aperuit ;* [1] *pluribuſque de priſca antiquitate promtis rationibus confirmarunt alii , quorum præclariores nos infra memoravimus inter animadverſiones noſtras* [2]. *Reliqua vero monumenta , quæ alteram hujuſce Operis veluti partem conſtituunt , illi Libri ſunt , quibus in Miſſarum ſollemniis utebantur Galli, antequam Caroli Magni ſtudio Romanorum in Sacris peragendis mores reciperent . Et Romanæ itaque Eccleſiæ & Gallicanæ vetuſtiores heic habemus Ordines ſacroſanctæ Chriſtianæ Religionis Myſteria tractandi ; quos olim exſtitiſſe ante Thomaſium ſtudioſi certo noverant . In Bibliothecis eorum exempla adhuc remanere paucis innotuerat , ut Johanni Morino , & Card. Bonæ* [3]. *Thomaſio tamen debetur quod omnium in manibus reperiantur . De illis igitur quantum inſtituti noſtri ratio exigit , ſeorſim agamus oportet .*

II. *Et principio quidem de Romanæ Eccleſiæ Sacramentario tribus diſtinctis libris tributo . Qua porro diſtinctione haud obſcure indicatur nos agere de illo Gelaſii Pontificis opere , quod Johannis Diaconi narratione Gregorius Magnus* in unius libri volumine coarctavit . *Rem iſtam plurimis , iiſque adeo firmis rationibus Thomaſius ita comprobavit* [4], *ut quamvis eas evertendi periculum aliqui intentaverint ; nemini tamen adhuc licuit , nec licebit fortaſſe, voti compotem fieri . Eaſdem rationes , quas ab illo exſcripſerunt, quotquot argumentum præſens a* LXX *ab heinc annis, ſuis in ſcriptis verſarunt; quandoquidem paullo inferius in ejus ad hoc idem volumen Præfatione leguntur , non eſt quod in præſentia iterum exponere ſuſcipiam . Si vero aliquid occurrat poſt Thomaſium aut de novo detectum , aut ab aliis obſervatum , quod eas confirmare , vel quoquo modo inluſtrare valeat , in adnotationibus eſt a nobis indicatum .*

III. *Argumenta vero , ſive fallaces ratiunculas , quibus alii Thomaſii ſententiam labefactari voluerunt ; ſive odio atque livore in Jeſu Criſti ſinceram Religionem , cujus decreta Gelaſii Codice mirum in modum confirmari præſenſere , illud fecerint ; ſive ut ſalvo Religionis jure, critices artem exercentes periclitarentur an illa firma ſatis eſſent, quæ adverſis concuti non patiantur; licet alii ſubmoverint , aut protinus refutaverint : tamen quum locus & occaſio a me non ſolum poſtulare, ſed & efflagitare inſuper videatur, illorum refutationes ut renovem ; operæ pretium me facturum mihi videor ſi e re mea , quæ a ſcriptoribus adverſus Codicem Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ paucis ab heinc*

annis

(1) *Sub initium Præfationis ſuæ ad præſentem hunc librum .*

(2) *Confer adnot. (2) ad paginam 3.*

(3) *Conſule Jo. Morini libros de Pœnitentia, & Sacris Ordinationibus : & præcipue Append. ad lib. de Pœnitentia pag. 52. Card. Bona lib. de rebus liturgicis paſſim .*

(4) *In memorata ſua Præfatione .*

annis prolata ſunt, & repetere, & nova luce donare ſuſcipiam. Ita proculdubio apparebit, quæ, dum noſtra hæc Thomaſiana editio prelos exercere jam cœperat, ſcripta prodiere de Gelaſii Sacramentario; licet fortaſſe nec emendicata de cauſſa prodierint, neque ſola librorum molem augendi prurigine, ſed aliqua ſaltim probabili; certe non tanta, quanta ipſe cogor non ſolum nova proferre, ſed & ut omnium pene manibus trita repetam.

IV. *Jacobus Baſnagius, Vir inter Calvini aſſeclas ſatis clarus, omnium primus, quod ſciam, noſtris Sacramentorum libris, antiquitatem, quam & ſacris ubique ritibus, & ipſa membranæ, atramenti, litterarumque forma ſibi vindicant, denegare auſus eſt* [1]*, contendens Thomaſianum hunc Codicem ſæculo Chriſti tantum decimo deſcriptum fuiſſe. Opinionis, an calumniæ potius germaniorem cauſſam aliquis ſi quærat, in hominis illius Eccleſiaſtica Hiſtoria facile deprehendet aliam non fuiſſe, quam luculentiſſima teſtimonia, quæ ubique fere in eo Codice inveniuntur ad confirmandum incorruptam Chriſti Domini apud Catholicos religionem; & eam præcipue, quæ Euchariſtiæ Sacramentum adtinet; quamque Calviniſta vellet e Paſchaſii Ratberti penu eſſe depromta. Antequam tamen illius deliramenta expendo, juvabit animadvertere (quod & obſervaſſe oportebat illos, qui hominis in re præſenti audaciam retundere ſuſceperunt) Baſnagio perſpectum ſatis non fuiſſe, quid ſint* Codices Sacramentorum nongentis annis vetuſtiores *a Thomaſio vulgati: quidve interſit inter Gelaſii Sacramentarium, & veterem Gallicanam Liturgiam. Porro diſtinguere ille non novit Libros Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ a Miſſalibus Gallicanis; quandoquidem omnes ſimul, & qui ad Romanam ſpectant Eccleſiam, quique ad Gallicanam pro Gallicanis accepit. Rem prodit capitis illius, in quo Thomaſii librum ſuggillare ſe credit, argumentum: ſive index eidem præmiſſus, quo paucis res ſingulis illius partibus pertractatæ exerto veluti digito denotantur. Sub numero illius primo legitur:* [2] Antiquitas Liturgiæ Gallicanæ a Thomaſio vulgatæ. *Et numero ſecundo dicitur:* [3] eam Liturgiam auctorem non habere Leonem Magnum neque Gelaſium. *Sane ea duo jungi ſimul nequeunt; nam in illo primo indigitari aperte videtur ſolum Liturgia Gallicana, videlicet* Miſſale Gothicum, Miſſale Francorum, & Gallicanum vetus, *quæ Miſſalia Leonem primum aut Gelaſium compoſuiſſe vel adornaſſe, præter unum Baſnagium, nullus unquam ſomniavit. Ad hæc in ipſo numero, ſive in prima ejuſdem capitis parte, ubi juxta ſuperius relata agendum eſſet de Liturgia Gallicana, agere ille ſibi viſus eſt de Codice Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ. Id manifeſto patet quod ad folii marginem*

(1) *In Eccl. Hiſt. gallice*, Hiſtoire de l'Egliſe *Liv. xvi, cap. x. num. I, pag. 946.*

(2) Antiquité d'une Liturgie publiée par Tomasi.

(3) Elle n'eſt ni de Leon, ni de Gelaſe.

ginem [1] *Codex ille indicetur ; quod adlegetur Morinus de Pœnitentia ; quod denique memoratum numerum incipiat ſcribendo .* [2] Principio determinare oportet, quæ ſit germana antiquitas Liturgiæ illius, quam ad examen revocamus ; quandoquidem non deſunt viri doctrina præſtantes, qui crediderunt illam eſſe opus Leonis I Pontificis, cui Gelaſius poſtremam adjunxerit manum : nec ſeptimo Eccleſiæ ſæculo recentiorem eſſe poſſe ; nec aliquam ſubiiſſe mutationem vel additamentum, utpote quæ ex eo tempore omni uſu caruerit. *Hæc Baſnagius ; quæ miram quandam rerum perturbationem confuſionemve declarant , ſimulque oſtendunt nil nobis eſſe metuendum ab adverſario , qui rei , de qua diſputatur , nullam habet claram aut diſtinctam notionem , ſive ideam .*

V. *Prima hominis Calviniſtæ argumentatio deſumitur a ritu Cereum benedicendi in officio noctis Paſchæ : quem ait* [3] *noſtro in Miſſali multis cum ceremoniis* [4] *benedici . Ut vero ipſam moris illius originem detegat , adfirmat , nec ullo quidem prolato auctoritatis alicujus documento , Chriſtianos faces accendere ſuis in ſacris conſueviſſe* [5] *Paganos imitantes : eumdem morem Tertullianum*

(1) *In eo margine hæc leguntur verba* . Lib. 3. Sacrament. apud Thomaſ. cod. (*Typographi mendum hic irrepſiſſe opinor : forte Baſnagius ſcripſerat* ano. *non* cod.) 900 vetuſtior. Morin. de Pœnitentia . Thomaſ. Præfat. Cod. Sac. Mabill. Muſ. Ital. par. 2. *Perturbatus hic Scriptores adlegandi ordo hominis indiligentiam produnt* .

(2) Il faut d' abord etablir la veritable antiquité de la Liturgie que nous examinons, parce que de grans hommes ont cru qu' elle étoit l' Ouvrage du Pape Leon I, que Gelaſe y avoit mis la derniere main; & qu' elle ne pouvoit pas etre poſterieure au ſeptieme ſiecle, aprés lequel n' étant plus d' aucun uſage, on n' y avoit fait aucun changement .

(3) On benit dans ce Miſſel un cierge avec beaucoup de ceremonie . On avoit emprunté cette coutume des Payens qui allumoient des flambeaux dans leurs fetes, ce que Tertullien condamnoit avec beaucoup de ſeverité, & ce que le Concile d' Eliberi defendit auſſi par une raiſon, dont il eſt aſſez difficile de penetrer le ſens ; car il etaient que les ames des Martyrs ne ſoient troublées par ces lumieres . Cette coutume s' étant introduite dans l' Orient, ſaint Jerome crut qu' on devoit la tolerer . Gregoire premier, grand amateur des ceremonies, la fit paſſer dans l' Occident au ſeptieme ſiecle : mais cet uſage ne fut pas reçu ; car quelque tems après la mort de ce Pape, on y vit une opoſition formelle du peuple : on doute ſi c' étoient les François, ou plutot ceu de Gallice qui la firent . Mais il falut encore un grand nombre d' années pour l' introduire avec toutes les ceremonies qui accompagnoient cette celebration, car elles ne s' introduiſent, & ne s' établiſſent que l' une aprés l' autre .

(4) *An multis cum ceremoniis ritus benedictionis Cerei peragi conſueviſſe Thomaſianis ipſee Libris conſtet , vel minime, reſpectu Codicis Gelaſiani obſervari poterit infra ad pag 69. & 70 : & de Gallicanis Miſſalibus conſtat ex pag.* 282 , & 283 *ut & pag.* 395. *& ſeqq.*

(5) *Quid ſi dicerem potius* Hebræos imitantes ? *Illi ſane conſueverunt Dei mandato accenſas lampades in Sanctuario perpetuo custodire. Quid ſi Apoſtolorum mores ſequentes ? Legimus Actor* xx : Una autem Sabbati cum conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis profecturus in craſtinum, protraxitque ſermonem uſque in mediam noctem . Erant autem Lampades copioſæ in cœnaculo, ubi eramus congregati . *Quid ſi adderem faces in Chriſtianorum ſacris principio neceſſitate quadam adhibitas fuiſſe ; quando nimirum Eccleſia primis temporibus in cryptis & ſubterraneis locis perſecutorum metu ea celebrabantur . In deſuetudinem non abiiſſe deinde , tum ob eam , quam in rebus divinis homines refugimus novitatem : tum ut earum uſu memoria renovaretur fidelibus , eorum , quæ primis ipſorum Patribus contigere ; imo & ipſi Chriſto Domino , qui veſpere quum ultimam cœnam feciſſet , porro cum accenſis lampadibus fecit ? Hæc manifeſto veriſimiliora pro Baſnagianis videntur . Vide clariſſ. Petrum le Brun* Explication litterale, hiſtorique & dogmatique des Prieres & des Ceremonies de la Meſſe , *Tom.* 1, *pag. 66 & ſequent. edit. Pariſien. an.* CIƆIƆCCXXVI.

lianum[1] *damnaſſe atque*[2] *Eliberitanam Synodum*; [3] *Hieronymum vero in Orientis regionibus jam invectum iiſdem permittendum cenſuiſſe. Hæc licet non ſine ſingulari falſitate & dolo dicta ſint, quin ſuſpicari velimus hominem*

(1) *Damnaſſe quidem conſtat Tertullianum morem illum, ſed in Gentilium ritibus, quemadmodum & damnaſſe conſtat Lactantium Inſtit. Lib.* VI, *cap.* II. *Vide Tertulliani Apologet. c.* XXXV, *pag.* 28., *& cap.* XLVI, *pag.* 35 *edit. Venet. anni* CIↃIↃCCXLIV: *& de germano illius hiſce in locis ſenſu conſule, non dico inter Catholicos eximium Baronium ad annum Chriſti* LVIII, *num.* LXXII *&* LXXIII, *ſed inter heterodoxos* Joſephum *Binghamum Orig. Eccl. Lib.* XVI, *cap.* IV, §. XVII, *pag. penes me* 222 *&* 223 *vol.* VII *edit. Halæ an.* M. DCC. XXIX.

(2) *Nobis illudere meo animo conatur Baſnagius. Nam Concilium Eliberitanum ſive Illiberitanum anno* CCCV *celebratum, non agit de cereorum uſu in ſacris celebrandis; ſed damnat morem accendendi per diem faces in cœmeteriis: quem morem quamdam præ ſe ferre affinitatem cum Gentilium ſuperſtitione, neminem latet: ait ſiquidem can.* XXXIV, Cereos per diem placuit in Cœmeterio non incendi. *Nec difficultas noſtro Calviniſtæ enata fuiſſet ob cauſſam, quæ illius Synodi Patres permovit, ut illud decernerent; quamque iidem hiſce verbis aperiunt:* inquietandi enim Spiritus Sanctorum non ſunt; *ſi de ea apud veteres loquendi ratione conſuluiſſet D. Paulum ad Epheſios ſcribentem cap.* IV, ℣. 30: Nolite CONTRISTARE SPIRITUM DEI, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis: omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor & blaſphemia tollatur a vobis cum omni malitia. *Quo in teſtimonio illud* nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei *oritur a græco loquendi modo* μὴ λυπεῖτε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ Θεοῦ, *quem vetus interpres latinis in verbis ſervavit. Conſulendus erat & Tertullianus aut in libro de ſpectaculis cap.* XV, *pag.* 79. *edit. Venet. an.* CIↃIↃCCXLIV, *ajens*: Deus præcepit, SPIRITUM SANCTUM, utpote pro naturæ ſuæ bono tenerum & delicatum, tranquillitate & lenitate, & quiete & pace tractare, non furore, non bile, non ira, non dolore INQUIETARE. *Aut in libro de Patientia cap.* VII, *p.* 144, *ubi legimus*: Qui damni impatientia concitatur, terrena cœleſtibus anteponendo, de proximo in Deum peccat: SPIRITUM enim, quem a Domino ſumpſit, ſecularis rei gratia CONCUTIT. *En quæ ſenſum memorati Canonis Baſnagio aperire debuiſſent. Quibus addantur ſi lubeat, quæ de ejuſdem Canonis ſignificatione fuſe tractantur a viro in ſacris expendendis doctrinis doctiſſimo Card.* Joſepho *Saenz de Aguirre,* Concil. *Hiſp. tom.* I, *pag.* 527, *& ſequens.*

(3) *Reſpicit, ni fallor, ad celebrem S. Hieronymi librum adverſus Vigilantium Barcinonenſis Eccleſiæ presbyterum, ſcriptum ſub initum ſæculi a Chriſto* V. *Inter varios mali illius hominis errores, quos Strigonienſis Doctor recenſet ſua ad Riparium epiſt. anno* CCCCIV *data, quæ in Vallarſii editione eſt* CIX, *& tom.* 2 *legitur ad pag.* 719, *unus fuit audacter culpantis uſum cereos accendendi per diem ad Martyrum ſepulcra. Hunc Hieronymus refutat num.* 8 *libri laudati, & memorata Veronenſis editionis col.* 394, *ubi hæc habentur*: Cereos autem non clara luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris: ſed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci dormiamus in tenebris. *Unde, quum mores Eccleſiarum Occidentis Hieronymum, qui optima P. Le Brun tom* I, *pag.* 61 *citati ſuperius Operis notatione, eas omnes fere viſitaverat, latere neutiquam potuiſſent; jure ac merito colligimus ineunte* V *Eccleſiæ ſæculo in ſacris Officiis, quæ lucente ſole peragebantur, faces & lumina adhibendi uſum nondum obtinuiſſe. Ejuſdem tamen aliquot ſaltim initium, & veluti ſemen quoddam obrepere cœpiſſe non ſola Vigilantii querimonia declarat, ſed & Hieronymus, qui nuper relatis illico ſubjungit*: Quod ſi aliqui per imperitiam, & ſimplicitatem ſæcularium hominum, vel certe religioſarum feminarum, de quibus vere poſſumus dicere: Confiteor, zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, (*epiſt. ad Rom.* X, ℣. 2) hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis? Cauſſabantur quondam & Apoſtoli, quod periret unguentum; ſed Domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum: & tamen illa mulier in honorem Chriſti hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicumque accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem. *Hæc Hieronymus: quæ licet longiuſcula, exſcribere tamen operæ pretium duximus, & ut initia uſus luminum in ſacris die celebrandis apud Occidentales indicarentur; & ut liquido pateat excuſari abs Hieronymo ea in re non Orientales tantum, uti temere ſcribit Baſnagius, ſed & Occidentales. Hanc excuſationem confirmat deinde de ea ætate dicens*: Per totas Orientis Eccleſias, quando Evangelium legendum eſt, accenduntur luminaria jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum, ... ut ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, de qua in Pſalterio legimus: lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen ſemitis meis. *En qua fide homo Calviniſta Patrum ſcriptis abutatur. Eadem de re videſis & D* Jo. *Baptiſtam* Le Brun *in adnot. ad cap.* I *Lib.* VI *Div. Inſtit. Lactant. Edit. Pariſ. an.* M. DCC. XLVIII.

Digitized by Google

rerum inſcitia potius peccaſſe; quum tamen rem noſtram non attingant, refutare animus nobis non eſt: neque enim decet de graviſſimis rebus brevi Præfatione agentem, aut extra metam divagari, aut adverſarii tot fere mendacia promentis, quot verba, audacem impudentiam rationibus perpetuo retundere: ſed multis diſſimulatione neglectis, alia riſu excipientes, ad ea, quibus preſſius impetimur, properandum. Superius igitur a me indicatis, hiſce ſimilibus verbis ſubjungit Baſnagius: Gregorius primus magnus ceremoniarum amator in Occidentem ſæculo VII invexit. At hunc ritum minime amplexus eſt populus, nam paucos poſt mortem Gregorii annos eidem eſt formali oppoſitione adverſatus. Dubitatur Galli ne an Gallæci obſtiterint. Quare magno annorum numero opus fuit ad eum introducendum cum omnibus ceremoniis, quarum una alteram excipere ſolet. *En de quo fonte haurire conatur Calviniſta ante decimum Chriſti ſæculum ſcriptos non fuiſſe noſtros Sacramentorum Libros. At illa accipi ne debent, ut univerſim dicta de uſu lampadum & cereorum, quibus in Eccleſiis divini Officii tempore potiſſimum utimur? an potius de unica illa atque ſollemni in pervigilio Paſchæ benedictione? Quamvis id nitide non explicet indiligens ſcriptor, & poſtrema illius verba de* ceremoniis,*ſicut & argumenti caput,innuere mihi videantur ſcripta fuiſſe de celebriori Paſchalis Cerei ritu; crediderim tamen ex integro contextu colligi etiam poſſe, intelligenda eſſe de quovis luminum in Eccleſiis uſu, qui amovendis noctis tenebris non inſerviat. Verum quolibet modo, & ratione ea interpreteris, oppido ille errat. Nec unum habeo quod reponam: ſi enim de cereorum ac lampadum uſu in ſacris peragendis univerſim agatur; compertum habeo ex Hieronymi in Vigilantium libro conſtare, exeunte IV Chriſti ſæculo, vel V ineunte in Occidentis Eccleſiis adhiberi illa aliquantulo [1] cæpiſſe. Ex eadem Hieronymi ætate celebre habemus vulgatumque teſtimonium Viri & patricio Romanorum ſanguine clari, & Chriſti religione ſanctiſſimi, Pontii Paulini nimirum Nolæ Epiſcopi, qui de S. Felice cecinit.* [2]

Clara coronantur denſis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris.
Nocte dieque micant, ſic nox ſplendore diei
Fulget: & ipſa dies cæleſti illuſtris honore,
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

VI *Chriſtiani nominis ſæculo, ante Gregorium Magnum ſane, Hiſpanos lumina interdiu in Eccleſiis adhibere conſueviſſe,colligere fortaſſe & aliquis poſſet ex iis, quæ hanc in rem protulit* [3] *Vir doctus Cardinalis de Aguirre. Porro in* Con-

(1) *Vide Superiorem adnotationem.*
(2) Natal. III. *Biblioth. Patrum edit. Lugd. tom. VI, pag. 273.*
(3) *Conciliorum Hiſpaniæ tom. 3, pag. 536.*

Concilio Tarraconenſi anno IƆXVI *celebratum can.* VII [1] *notatur Cleri negligentia luminaria in Baſilicis non miniſtrantis. In Bracarenſi autem* II *anno* IƆLXXII, *can.* II [2] *decernitur ut de oblationibus populi tertia pars pro luminaribus Eccleſiæ reſervetur: & canone ejuſdem Synodi* V *cavetur, ne ob periculum defectus luminum & lampadarum, Epiſcopi Eccleſias indotatas conſecrent* [3]. *Cur autem hi canones de facibus adhibendis nocturnis in officiis tantum intelligi debeant, omnino non video. Id illi non aperiunt: inſignis redditum copia, ut oblationum pars tertia luminibus alendis deputata, aliquid excedens meram removendæ noctis neceſſitatem denotat. Et ſi leges lucem ſibi mutuo affundunt, & ſanctio una alius ope ſæpe interpretatur; accedit & canon* II *Synodi Toletanæ anno* XII *Reccaredi regis, & Chriſti* IƆXCVII *habitæ, quo ſtatuitur, ut per integram noctem lumina ante ſanctas Reliquias ſplendeant* [4]: *quod ſane de fugandis tenebris ſacri conventus tempore intelligi ullo modo non poteſt. Non ergo ſine ratione conjicimus, Hieronymi tempore incœptum ab aliquibus cereorum & lampadum uſum per diem in Occidentis Eccleſiis, ante Gregorium Magnum invaluiſſe. Quam quidem ſententiam non ſoli Romanæ Eccleſiæ cultores ſequimur, ſed inveniuntur & qui ab illius ſinu ſejuncti Baſnagio æquiores, validiſſima rationum momenta, quibus illa nititur, haud diſſimulantes, eamdem diſertis complectuntur verbis: Eorum unus Caſpar Calvor* [5] *quum pluribus illam declaraſſet, aperte concludit dicens*: ſeculum V igitur arbitror præcipuum fuiſſe diurnarum Lucernarum natalem. *In eamdem haud obſcure propendentem invenies & Joſephum Bingamum.* [6]

IV. *Si*

(1) *En illius canonis verba*: De diœceſanis eccleſiis, id placuit definiri, ut presbyteri, vel diaconi, qui inibi conſtituti ſunt, cum clericis ſeptimanas obſervent: id eſt, ut presbyter unam faciat hebdomadam, qua expleta ſuccedat ei diaconus ſimiliter: ea ſcilicet conditione ſervata, ut omnis clerus die ſabbato ad Veſperam ſit paratus, quo facilius die Dominico ſollemnitas cum omnium præſentia celebretur: ita tamen ut omnibus diebus veſperas & matutinas celebrent: quia deſiſtente clero (quod eſt peſſimum) comperimus in Baſilicis nec LUMINARIA miniſtrari *&c.*

(2) *Canon ille hæc habet*: Placuit, ut nullus Epiſcoporum............tertiam partem ex quacumque oblatione populi in eccleſiis parochialibus requirat; ſed illa tertia pars pro LUMINARIIS Eccleſiæ, vel recuperatione ſervetur.

(3) Placuit, ut quoties ab aliquo fidelium ad conſecrandas Eccleſias Epiſcopi invitantur, non quaſi ex debito munus aliquod a fundatore requirant............ Hoc tamen unuſquiſque Epiſcoporum meminerit, ut non prius dedicet Eccleſiam aut Baſilicam, niſi antea dotem Baſilicæ, & obſequium ipſius per donationem chartulæ confirmatum accipiat. Nam non levis eſt iſta temeritas, ſi ſine LUMINARIIS, vel ſine ſubſtantiali ſuſtentatione eorum, qui ibidem ſervituri ſunt, tamquam domus privata, ita conſecretur Eccleſia.

(4) *Eo in canone decernitur ut presbyter juxta majorum decreta Eccleſiæ ſuæ redditus habeat: deinde ſubjungitur.* Certe ſi minor eſt cenſus, oſtiarius a Sacerdote ſit electus, qui nitorem ipſius ſanctæ Eccleſiæ faciat: qui & ſanctarum Reliquiarum LUMINARIA OMNI SUBSEQUENTE NOCTE ACCENDAT.

(5) *In ſuo Rituali Eccleſiaſtico Parte I, Lib. II, ſect. II, cap. III, §. VIII, pag. 751. Conſtat librum duplici volumine digeſtum editum fuiſſe Jenæ an.* MDCCV

(6) *Orig. Eccleſiaſt. Lib.* VIII, *cap.* VI, §. XXI, *pag.* 241, & 244, *vol.* III, *edit. Halæ an.* MDCCXXVII. *Conſuli inter heterodoxos eadem de re poterit, licet ſcriptor non magni nominis merito habeatur, & Johann. Fridericus in ſua Liturgia veteri & nova ſect.* XI, *De ritibus circa feſta pag.* 83, & *ſect.* XIX *de ritib. veterum Chriſtianorum ſepulcralibus pag.* 105. *edit. Jenæ an.* CIƆIƆCCV.

Digitized by Google

VI. *Si vero de ſola Cerei Paſchalis benedictione agamus, quod in præſentia rei totius veluti caput habetur; quam temere, imo audacter adfirmet Baſnagius illius ritum Occidentem non aſpexiſſe ante Magni Gregorii ætatem, luculenter demonſtrat Epiſtola illa ad Præſidium Diaconum data, quæ inter Opera S. Hieronymi ſi perperam olim reponebatur; auctorem tamen Hieronymo recentiorem haud habuiſſe fatentur & illi emunctæ ſane naris ſcriptores, qui eam eximio Patri abjudicant. Certe Ven. Thomaſium hanc in ſententiam conceſſiſſe patet, quod ad locum illius ritus proprium in Gelaſiano Codice*[1] *adnotaverit eam epiſtolam anno* CCCLXXXIII *Philippi Labbe judicio ſcriptam fuiſſe. De heterodoxis unicum memoro Guillielmum Cave*[2]*, qui eidem opinioni ſubſcribens diſerte docet illam æqualem Hieronymo ætatem præ ſe ferre. Ad hæc Cereum benedicendi ritus indicium aliquod mihi adeſſe in cap.* XXXII *lib.* XV *S. Auguſtini de Civitate Dei, meis ad Miſſale Gothicum in animadverſionibus indicavi*[3]*. Ejuſdem ritus non indicio, ſed apertiſſimo documento nobis eſt duplex illa ab Ennodio Ticinenſi compoſita, & quidem ſub initium* VI *a Chriſto ſæculi, Cerei Paſchalis* Benedictio, *ſive ad illum benedicendum* Ordo, *qui inter illius Opera legitur. Num hæc Baſnagium latuiſſe dicemus? Decet fortaſſe noſtra hac ætate, qua tanta monimentorum librorumve copia uti licet, Hiſtoriæ ſacræ Scriptorem ignorare, quæ neque ultimæ ſunt, neque obſcuriores illius partes? At ſaltim innotuiſſet illi ſingularis Gregorii Magni locus epiſtolæ ad Marinianum Epiſcopum Ravennatem. Ea porro epiſtola amantiſſimus Romanæ Sedis Pater infirmæ Ravennatenſis Antiſtitis valetudini quum pluribus conſulat, ipſum inter cetera hortatur, ut aliorum opera in longioribus ſacrorum rituum officiis uti velit, & præcipue, quod ad rem noſtram vel maxime conducit, in benedictione Cerei* Paſchalis. *Id dum præſtat caritatis cauſſa Gregorius iis verbis utitur, quæ nullam legentibus injiciant novitatis ritus ſuſpicionem, imo quæ veterem omnino ſpirant morem. Ait itaque:* A vigiliis quoque temperandum eſt; & PRECES, QVAE SUPER CEREVM in Ravennati Civitate dici ſolent, vel Expoſitiones Euangelii, quæ circa Paſchalem Sollemnitatem a Sacerdotibus fiunt, per alium dicantur. Et tua dilectio contra virtutem, laborem ſibi minime imponat. *Quis igitur hæc ſerio perpendens perfricta adeo fronte utetur, ut doctiſſimo Thomaſio contradicere audeat, contendatve decimo Eccleſiæ ſæculo ſcriptum fuiſſe noſtrum Gelaſii codicem, quod Cerei Paſchalis ritum in eo deprehendas? Eam ceremoniam Gregorius Magnus Occidentales non docuit; illis enim erat Gregorio antiquior. Et ſi docuiſſet, num non fatetur fortaſſe Thomaſius poſt Gregorium*

(1) *Inferiori pag.* 68

(2) *Script. Eccleſ. Hiſtoria Litteraria edit. Colon. Allobrogum an.* MDCCXX, *pag.* 174.

(3) *Infra ad pag.* 282, *adnot.* (2)

gorium illum, de altera vetuſtiori deſcriptam fuiſſe noſtram membranam? Num non agnovit liturgicos libros olim exſcribi conſueviſſe non mera eruditionis ergo; ſed ut clero inſervirent? Et ideo dum exſcribebantur ea illis addi conſueviſſe, ſicut & nunc temporis contingit, quæ de novo inducta erant. Quid igitur prohibet, etiam ſi veri aliquid protuliſſet Baſnagius, in libro poſt Gregorium ſcripto ea reperiri, quæ Gregorio deberi dicuntur? At obſtitit populus, dicere pergit Baſnagius, diu multumque adlaborandum fuit antequam Occidens morem illum reciperet. Nil igitur obſtitiſſe quin ſtatim reciperetur, oſtendo; & quidem, licet arguendi refutandique cauſſa, haud impeterem falſam illius opinionem ajentem Gregorium Magnum ab Oriente in Occidentem traduxiſſe Cereum ſacrandi ritum. Et ſane ſeptimo Chriſti ſæculo, a Gregoriano tempore non longe, conſtat plures Eccleſias Gothorum imperio ſubjectas, quas inter numerabantur illæ Septimaniæ, ſeu Provinciæ Narbonenſis [1], *ritum illum frequentare conſueviſſe. Canone ſiquidem* IX *Concilii* IV *Toletani anno humanæ per Chriſtum renovationis* IↃCXXXIII *habetur*: Lucerna & Cereus in prævigiliis Paſchæ apud quaſdam Eccleſias non celebratur, & cur a nobis benedicantur, inquirunt. Propter glorioſum enim noctis ipſius Sacramentum ſollemniter hæc benedicimus .... Et quia hæc obſervatio PER MVLTARVM LOCA TERRARVM, regioneſque Hiſpaniæ in Eccleſiis commendatur, dignum eſt, ut propter unitatem pacis in [2] Gallicanis Eccleſiis conſervetur. *Alicubi ergo in Occidente Synodi illius ævo Cerei ritus ſervabatur, imo & multarum per loca terrarum: alibi etiam, ut ſervetur, decernitur. Deſipiat ergo neceſſe eſt, qui illius apud Occidentales originem a decimo Chriſti ſæculo repetere contendit: quum nobis ſatis ſuperque ſit demonſtrari, vel alicubi in Occidente ſervatum eum fuiſſe; unicum enim circa eam ætatem exſcriptum defendimus monimentum, non totius latinæ Eccleſiæ libros omnes.*

VII. *Secunda difficultas, quæ multum ſane negotii nobis non faceſſit, homini Calviniſtæ enaſcitur ob precationes, quibus Eccleſia, uti compertum habent omnes, feria* VI *majoris hebdomadæ, Deum exorat & pro iis, quorum civili ſubditur imperio. Codex Gelaſianus eo in loco* [3] *ait*: reſpice propitius ad Romanum, ſive Francorum benignus Imperium. *Ad hæc reſpiciens Baſnagius ſcripſit*: [4] Omnes norunt, Imperium hoc anno IↃCCC per Carolum

(1) *Nunc temporis vulgo* la Linguadoca.

(2) *Notatum viris doctis, quibuſdam in veterum membranis eo loci perperam ſcribi* Gallicianis *pro* Gallicanis; *quod communi conſenſione Librariis vitio vertitur*. (3) *Pag. 63 præſentis editionis.*

(4) On prie dans cette Liturgie pour l' Empire des Romains, ou des François. Cependant tout le monde ſait que cet Empire ne commença que l' an 800 par Charlemagne; & puis qu' on y demande a Dieu qu' il reprime l' inſolence des nations barbares contre cet Empire, elle eſt neceſſairement poſterieure au couronnement de ce Prince, & au tems qu' on nous marque. *Baſnag. loc. prælaud. ſuperiori not. (1) pag.* xv.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rolum Magnum cœpiſſe : & ea propter ad tempora Coronationem illius ſubſequuta, neceſſario referendus eſt Codex. *At lepidam illam animadverſionem nullo negotio ſubmoveri a me poſſe mihi videor, ſi obſervo inter ea verba* Romanum *&* Francorum *intercedere voculam disjungendi* vel, *meo quidem animo denotans alterutrum tantum imperium precibus illis Deo commendari ; ſive* Romanum, *ſi in hujus ditione ritus ejuſmodi celebretur ; ſive Francicum, ſi in Galliarum aliqua Eccleſia. Opinor voces* ſive Francorum *additas Gelaſiano Codici fuiſſe, quando ad uſum Gallicanæ alicujus Eccleſiæ exſcriptus ille fuit. Rem confirmat præcedens proxime oratio, ſive potius* ad populum admonitio, *quæ orationem præcedit, quaque in præſenti hujus ſenſa declarat, dum ait :* Oremus & pro Chriſtianiſſimo Imperatore, vel Rege noſtro Ill. ut Deus ſubditas illi faciat omnes barbaras Nationes. *Hæc verba, quibus manifeſto Imperator a Rege disjungitur, & de alterutro tantum agi denotatur, vel præcipiti in libris concinnandis animo Baſnagius non vidit, vel callide diſſimulavit. Illis porro demonſtratur Gelaſianum noſtrum librum nonniſi ante Caroli Magni ævum ſcribi potuiſſe. Nam, quemadmodum norunt omnes, quum Romanum Imperium in Græcorum ditione perduraſſet ad Chriſti annum uſque* ıↄccc, *& vetus hac noſtra membrana præcipiat orandum eſſe non pro* Imperatore & Rege, *ſed vel* pro Imperatore, *vel* pro Rege, *neceſſe eſt ea ætate ſcriptam illam fuiſſe, qua in aliqua Occidentis parte Græci dominabantur, in altera Francorum Reges, quod ſolum ante Carolum Magnum contingere potuit. Præterea ſi Romano Imperio in Francorum ditionem jam translato ſcriptus fuiſſet Codex, in eo legeremus ſolum :* Oremus & pro Chriſtianiſſimo Rege noſtro; *&* reſpice propitius ad Romanum benignus Imperium : *Francorum enim Regnum & Romanum Imperium unicam tunc temporis ditionem ac regimen conſtituebant. Eo igitur Gelaſiani Codicis loco mirifice Thomaſii noſtri ſententia firmatur, quo eam convelli optaret Baſnagius.*

VIII. *Tertio loco nobis opponitur noſtro in Sacramentario feſta* [t] *inveniri tum Aſſumtionis tum Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ, quorum inſtitutio confidentia nimia ad ſæculum Eccleſiæ decimum refertur. Ad feſtum Aſſumtionis*

(t) *Baſnag. loc. cit.* On y celebre la fête de l'Aſſomption de la Vierge. Il eſt vrai que quelques Thaologiens pretendent l'avoir decouverta daos les Oeuvres de Denys l'Areopagite. Mais on remarqua que aet Auteur parle du tombeau de la Vierge, & non pas de ſon bonnaire, avolt lu ae paſſage. Mais ſans diſputer, deux choſes nous ſuffiſent : l'une que Gelaſe ne ponvoit pas recevoir l'Aſſomption de la Vierga, ni l'ioſerer dans ſon Miſſel pour en faire une Faita, puis qu'il avoit regiettè comme apocryphe le livre, qu'on avoit ridiculement publie ſous le nom de Meliton Evêque da Sardes, où ea miracle étoit principalament atabli : l'autra que Charlemagne dans un de ſas Capitulaires ordonne qu'on s'informerà plus amplement da cetta Aſſumption pretendue : ae qui prouve qu'au commencement du neuviéme ſiecle, l'Egliſe Gallicane doutoit ancore de la veritè du miracle, bien loin d'en celebrer la memoire par une fête ſolennelle.

nis[1] *quod attinet, nullus contendo inſtitutum illud fuiſſe Gelaſii tempore; quamquam ſi adfirmarem, rem procul dubio dicerem longe veriſimiliorem, quam ſit ſtatuere ſæculo tantum decimo originem habuiſſe. Porro Jacobus Pamelius, Vir in hiſce rebus dijudicandis omnium conſenſione probatiſſimus, in ſuis ad S. Cyprianum adnotationibus diſerte ait*[2]: Certe Dormitionis ſive Aſſumtionis B. Virginis feſtum celebratum conſtat jam ab ætate Divi Hieronymi, & Auguſtini. *Verum ea re prætermiſſa, Viro in ſacra Eccleſiæ hiſtoria exercitato inficiari nefas, ejuſmodi feſtum ſexto Chriſti ſæculo, alicubi ſaltim, & præſertim in Galliis celebrari conſueviſſe. Apertum eſt Gregorii Turonenſis teſtimonium, qui ea de feſtivitate agens in cap.* IX *lib.* I *de Gloria Martyrum*[3] *de eadem ait*: Hujus feſtivitas ſacra mediante[4] menſe undecimo celebratur. Nam in Oratorio Marcianenſis domus Arverni territorii, ejus reliquiæ continentur. Adveniente vero hac feſtivitate, ego ad celebrandas vigilias ad eum acceſſi. *Quid igitur exoptatius, quid luculentius haberi heic poteſt, teſtimonio Epiſcopi ſanctiſſimi, qui ante finem ſæculi a Chriſto ſexti quum floruerit, narrat ſe eam feſtivitatem celebraſſe? Turonenſi Gregorio conſona ſunt monumenta Liturgiæ illius Gallicanæ, cujus uſus obtinuit ſolum ante Caroli Magni ætatem. Evolvatur Miſſale Gallicanum vetus*[5], *aut Luxovienſe Lectionarium a Viro in litteris eximio Jo. Mabillonio vulgatum*[6], *aut Sacramentarium Codicis Bobienſis*[7]; *quæ porro monumenta ante annum Chriſtianæ Reipublicæ* IↃCCC *ſcripta ſint neceſſe eſt, eo ſolum vel nomine, quod ſicuti cum Thomaſio noſtro obſervavimus*[8], *ejuſmodi libri eruditionis cauſſa exſcribi non conſueverint; ſed ſolius uſus, quem Carolo Magno imperante deſiiſſe comperto eſt omnibus. Omitto heic memorare alios veteris Liturgiæ libros prælaudati Imperatoris ætate vetuſtiores, idem diſerte adſtruentes. Hujuſmodi eſſent Bedæ Martyrologium*[9] *ad diem* XVIII *Kal. Septembris aiens*: Sanctæ Mariæ Dormitio: *Capitulare Evangeliorum, ſive, ut illius editor Jo. Fronto nuncupavit, Kalendarium Romanum, ad diem* XV *Auguſti*[10] *habens*, Sollemnia de Purificatione S. Mariæ: *Kalendarium a clariſs. Martene vulgatum*[11] *ad eamdem illam diem præ ſe ferens*, Aſſumtio Sanctæ Mariæ. *Ejus generis ſunt & quæ occurrunt in antiquis Miſſarum Libris*[12], *ubi Frontoniano*

(1) *Illud habemus in Gelaſ. Sacram. infra ad pag.* 147, *ad diem* XVIII *Kal. Septemb.*

(2) *Num.* 1) *ad Epiſt.* XXXIV.

(3) *Pag.* 731, *juxta editionem clariſſimi Theodorici Ruinart, Pariſiis an.* MDCXCIX.

(4) Menſe undecimo. *hoc eſt* menſe Januario. *Veteres enim Galli annum inchoabant ab initio Martii. Videantur Mabill. Liturg. Gallic. p.* 118 *&* 119: *Ruinartius ad eum Gregorii locum. Videantur etiam quæ ſcripſimus hoc in libro adnot. prima ad pag.* 254.

(5) *Infra ad prælaudatam pag.* 254.

(6) *Liturg. Gallic. lib.* II. *Vide pag.* 118.

(7) *Apud eumdem Mabill. Muſei Italici tom.* II, *pag.* 299.

(8) *Superiori num.* VI. *pag.* XXI.

(9) *Apud Bollandiſtas tom.* II *Martii. pag.* XXIX. *col.* 1, *edit. Antuerp.*

(10) *Pag.* 192 *edit. Veronenſis an.* MDCCXXXIII.

(11) *Tom.* V *Theſauri novi Anecdot.*

(12) *Editionis hujuſce noſtræ Tom.* V, *pag.* 481.

toniano Kalendario ſimilia prorſus invenies ad diem Auguſti XV, *nimirum* Sollemnia de Pauſatione Sanctæ Mariæ: *quæ etiam in Kalendario Biblioth. Corbejenſis, opinione clariſs. Mabillonii* [1], *annorum propemodum mille, in quo legimus:* XV Kal. Februarii, Depoſitio Sanctæ Mariæ Virginis: *aut quæ in vetuſtiori Occidentalis Eccleſiæ Martyrologio, & in Hieronymiano apud Florentinium* [2] *Kalendario. Hæc omnia, & alia iis ſimilia bene multa, quæ omittere lubet, ſi in Baſnagium urgerentur, mirum quanto reconditæ antiquitatis momento, & ſummorum virorum, qui ea aut in publicum aſſeruere, aut animadverſionibus & commentariis doctiſſimis inluſtrarunt, ſuffragio atque auctoritate, commentitia illius opinio de Feſti Aſſumtionis Deiparæ ſublesta redderetur? Verum eorum omnium loco ſatis mihi eſt Gregorii Turonici teſtimonium, quod ſupra deſcripſi. Cui accedit & illud Anaſtaſii Bibliothecarii de Sergio I, qui circa annum Chriſti* IϽCXC *Romanam rexit Eccleſiam, narrantis* [3] *ipſum præcepiſſe Litaniam eſſe faciendam* diebus Annunciationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis. *Vides heic ante Carolum Magnum Romæ Aſſumtionis B. Mariæ feſtum coli conſueviſſe. Accipe modo & alius Romani Pontificis eadem de re teſtimonium; non hiſtorici quidem narratione, ſed ipſiuſmet ſcripto nobis reſervatum. Nicolaus enim, qui hujus nominis primus Petri Sedem Romæ tenuit circa annum Eccleſiæ Chriſti* IϽCCCLX, *ad conſulta Bulgarorum reſpondens, quarto in loco diſerte ait,* [4] *inter jejunia*, quæ ſancta Romana ſuſcepit antiquitus & tenet Eccleſia, *adeſſe illud* ante Sollemnitatem Aſſumtionis Sanctæ Dei Genitricis. *Novum igitur haud erat per illud temporis Marianæ Aſſumtionis feſtum: & quum in Gelaſii Sacramentario nulla ſit ante idem feſtum jejunii mentio, liquet illud antiquiorem adhuc merito eſſe reputandum. Dictis adde & Winifridum ſive Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum, qui circa annum* IϽCCXXIII *floruit. Is porro ſuis in Statutis ſub num.* XXXVI *de diebus per annum* Sabbatizandis, *ſive feſtivitate colendis, ait* [5]: In Aſſumtione Sanctæ Mariæ XVIII Kal. Sept. diem unum. *Adde & Statuta* [6] *Adalardi illius, qui anno* IϽCCCXXII *ab hominis per Chriſtum redemtione Monaſterium Corbejenſe Abbas regebat. Ille ſiquidem in quadam dierum feſtorum enumeratione cap.*II, *lib.*II *occurrente, ſcripſit, & feſtum* Aſſumptionis B. Mariæ. *Tot tantiſque documentis in Baſnagium recenſitis, quis non doleat modo miſeram hominis ſortem, unico*

partium

(1) *Liturg. Gallic. lib.* II, *num.* 9.

(2) *In Vetuſtiori Occident. Eccl. Martyrol. ad diem* XVIII *Kal. Septemb. pag.* 754 *legitur.* Aſſumptio Sanctæ Mariæ: *quod idem omnino occurrit ad eamdem diem in Hieronym. Kalend. ad calcem vetuſtioris memorati Martyrologii pag.* 1052.

(3) *Tom.* I. *edit. Roman. an.* MDCCXVIII, *pag.* 174.

(4) *Harduiniana Conciliorum Collectionis Tomo* V, *col.* 355.

(5) *Apud D' Achery Spicileg. tom.* IX, *pag.* 63, *& poſterioris editionis tom.* I, *pag.* 507.

(6) *Apud eumdem D' Achery Spicil. tom.* IV, *pag.* I, *& poſterioris editionis tom.* I, *pag.* 586.

partium ſtudio pugnantis adverſus tam apertam graviſſimæ auctoritatis vim? *Conſtat a ſæculo Chriſtiani nominis ſaltim ſexto, publicis Officiorum ritibus ſacræ Virginis Aſſumptionem majores noſtros colere conſueviſſe. Quod ſane cavendum ne cum Baſnagio confundatur, aut cum diſputatione de virgineì corporis in cælum aſſumtione; aut de die ejus celebritatis feſto a laicis de Eccleſiæ præcepto colendo; aut a Clericis ritu ſollemniori: quæ omnia ætate minus ab hac noſtra remota, & ad ſæculum fortaſſe decimum vergente vel ſtatuta ſunt, vel paullatim, ut in moribus quibuſcumque formandis evenit, invaluere.*

IX. *Indicium ſuppoſitæ Gelaſiano noſtro Codici antiquitatis, una cum feſto Aſſumtæ ad Cælos Virginis Baſnagio eſt &* [1] *feſtum Virginis ejuſdem Nativitatis in illo occurrens* [2]. *In hujuſmodi diſceptationibus, quibus de origine & antiquitate ſacrorum rituum, feſtorumve dierum agitur, ea eſt omnibus fere ratiocinandi ratio, atque ordo, qui a vetuſtate monumentorum, in quibus deſcripta illa inveniuntur, deſumitur. Itaque quotquot noſtra hac ætate de origine feſti Nativitatis B. Mariæ tractarunt, in Gelaſii noſtro Codice maximum ſibi eſſe præſidium agnoverunt. Ajunt ſiquidem ſexto vel ſeptimo Eccleſiæ ſæculo celebrari illud jam conſueviſſe, quod hac in vetuſtiſſima membrana notatum invenias. At eo argumenti genere in præſentia uti mihi non licere ſatis manifeſto conſtat. Certare poſſem auctoritate ab aliis liturgicis libris deſumta: quæ enim ſuperius, diſſerens de origine feſti Aſſumtæ ad Cælum Mariæ, laudabam vetera Kalendaria, Martyrologia, Euangeliorum Capitularia, antiquitatem porro longe majorem, quam Baſnagius optaret, tribuunt & feſto Marianæ Nativitatis. Sed ut paucioribus rem expediam, rememorari heic oportet Sergium primum Romanum Pontificem, Anaſtaſii Bibliothecarii teſtimonio decreviſſe, ut Litania celebraretur diebus* Annunciationis Domini, Nativitatis, Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis. *Præterea in iis, quæ memoravimus Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini Statutis, inter dies feſtivitate colendos legimus:* In Nativitate S. Mariæ VI Idus Septembris diem unum. *Et cap.* II *lib.* II *memorati itidem Adalardi inter feſtos dies, & illum invenimus Virginis Matris Nativitate ſacrum. Quæ omnia virum gravem dubitare non*

(1) *Ita Baſnag. loco prælaudato*: Enfin on trouve dans cette Liturgie la fête de la nativité de la bienheureuſe Vierge, ſur la quelle je me contenteral de raporter ce qu'on a remarquè, c'eſt „ qu'elle „ ne paroit dans aucun des Calendriers des fêtes, qui „ furent dreſſées en France dans le huitiéme & dans „ le neuviéme ſiecle, ni dans la Regle de Grodoguange, ni dans le Concile de Mayence, tenu „ l'an 813. ni dans les trois endroits des Capitulares où il eſt parlé des Fetes, ni dans le ſecond „ Concile d'Aix; c'eſt pourquoi il faut conclure que „ tous les ſermons attribuez aux Peres ſur cette nativité ſont ſuppoſez „. Ce n'eſt pas aſſez, il faut en decouvrir l'origine. Elle paroit au milieu du dixieme ſiecle; car on remarque un Concile de Londres, dont l'ouverture ſe fit ce jour là. Mais il falloit qu'alors elle fût fort nouvelle; peut-être meme qu'on ne la celebroit pas encore en France; puiſque ſoixante ans aprés, un Eveque de Chartres en parle comme d'une inſtitution, qu'on venoit de faire en faveur des peuples, dont la devotion n'étoit pas remplie par toutes les autres Fêtes.

(2) *Infra ad pag.* 150.

Digitized by Google

ſinunt. ſeptimo Eccleſiæ ſæculo in ſacris Occidentalis Liturgiæ libris locum habuiſſe & Nativitatis Mariæ cultum. Alia ſunt nec pauca, quibus contendunt aliqui, idem feſtum & Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, aut ſubſequutis paullo poſt temporibus inſtitutum inveniri: ſtatim nimirum ab abſoluta Epheſi celebri in Neſtorium univerſali Synodo. Quæ tamen, quum aut dubiis nitantur documentis, aut conjecturis meris, dum rebus tantummodo certis litare cupimus, libenti animo prætermittimus. Neque moveri heic aliquem velim cum clariſs Card. Baronio [1], quod in Concilio Maguntino anni a Chriſto IↃCCCXIII, canone XXXVI, & in Capitularibus Ludovici Pii inter dies Virgini Mariæ feſtos, ejus Nativitas non adcenſeatur. Illud porro, pace Viri ceteroquin ſummi, indicium non eſſe contendo, ineunte ſæculo Chriſti nono feſtum illud Gallicanam Eccleſiam ignoraſſe: ſed idem tunc temporis apud Gallos non fuiſſe de Præſidum præcepto colendum. In eo enim Concilio, ut & in prælaudatis Capitularibus agitur, quemadmodum uno excepto Baſnagio eruditis viris notatum, de feſtis Eccleſiæ mandato colendis. Neque unum profecto idemve eſt, quod ab adverſario noſtro obſervari debuiſſet, diem eſſe Marianæ Nativitati ſacrum, proprio officio rituve coli; atque eſſe diem omnium cultu Eccleſia mandante obſervandum. Quod & noſtri temporis exemplis inluſtraretur: plures enim in ſacro Curſu & noſtra hac ætate habemus dies Virgini Mariæ ſacros: quibus tamen neque ſanctis Officiis Fidelium quemque intereſſe debere juſſit unquam Eccleſia, neque a ſervili opere vacandum. Ad hæc licet daretur Gallicanam Eccleſiam ad decimum uſque Chriſti ſæculum Mariæ natalitium diem non coluiſſe; inepte tamen concluderetur exinde, quod Gelaſio tribuitur Sacramentarium ante tempus illud ſcriptum non fuiſſe; quandoquidem non Gallicani ritus in eo potiſſimum exhibentur, ſed Romani. Verum hactenus de tertia Baſnagii difficultate.

X. Is poſtremo nobis opponit [2] ſtilum ſcribendive rationem, quæ noſtro in Sacramentario obſervetur, ab ea, quæ in ſuperſtitibus adhuc Gelaſii epiſtolis elucet, quammaxime diſtare; & potius Leonis Magni calamum ſapere: aitque veriſimile haud videri Gelaſium ſibi vim intuliſſe, atque Sacramentarium Romanæ Eccleſiæ adornando Leoninum ſcribendi morem a ſuo longe diverſum affectare voluiſſe. Hæ ſunt igitur nugæ Baſnagianæ, argumentorumque quiſquiliæ, quibus homo a vera Chriſti Religione alienus conficere nos retur? Illud argumentandi genus, licet ab aliquibus, nec ſane indoctis uſurpatum, a Ven. noſtro Thomaſio memoratum [3], quam infirmum ſit in libris cujuſvis generis expen-

(1) *In Martyrologium ad diem VI Id. Sept.*

(2) Auſſi voit-on que le ſtile eſt fort different de celui des Epitres de Gelaſe qui nous ſont reſtées; & il n'eſt pas vrai-ſemblable qu'il ſe ſoit forcé pour imiter le ſtile de Leon, qui etoit fort different du ſien.

(3) *Vide infra illius ad librum hunc Præfationem.*

expendendis, & præcipue in Liturgicis, alibi jam diximus:[1] *quare mea ſententia eo nomine obtinere nil poſſet Baſnagius. At, ſi lubet, obſerva quantum argutando ille ſibi conſtet: de auctore noſtri Sacramentarii ſollicitus ille non eſt, ſed de antiquitate: quare conjecturas ratiunculaſve anxie quæritat, ut evincat eidem majorem ſæculo decimo antiquitatem non convenire. Eas inter unam ſelegit, qua ait Leonis Magni non Gelaſii calamum ſe in eo obſervare ſibi videri. Bella ſane argutia! heu quam inſulſa, quam inepta, quam homine ſanæ mentis indigna! Illa ita porro ſe habet. Decimo Chriſti ſæculo vetuſtior membrana non eſt, quod viri, qui medio quinto ſæculo vivebat ſtilum atque indolem redolet. Leonis primi ſtilum in ea agnovit & Thomaſius, agnoverunt & alii; & ideo jure ac merito ſtatuerunt multa in eadem reperiri ab eximio illo Pontifice elucubrata; uti fortaſſis eſt pulcherrima illa in pœnitentium reconciliatione Archidiaconi ad Pontificem adlocutio, quæ inferius ad paginam 53 nobis occurrit. Multa etiam ætatem Leone Magno remotiorem ſapere opinatus eſt doctiſſimus Johannes Morinus*[2]*, nec temere; nullus eſt enim ejuſmodi liber, qui unicum, a quo de integro elaboratus ſit, auctorem agnoſcat. Et dum dicimus Gelaſium, vel Gregorium Sacramentorum Libros compoſuiſſe, nil aliud ſane dicimus, quam eos Pontifices fuiſſe illius operis coordinatores atque inſtauratores, qui illud meliorem in formam digeſſerint. Cetera in hiſce rebus expendendis hoſpes ſit ac peregrinus oportet, qui ignorare velit Chriſtianos*[3] *ab ipſis Eccleſiæ incunabulis preces habuiſſe ſacroſve ritus, a Chriſto Domino & Apoſtolis primo acceptos; quos paullatim deinde ſacri Paſtores, vel fidelium in Deum pietas novis ſenſim acceſſionibus ita accreverunt, ut ſubinde ſubtractione indiguerint, additamentis, mutatione, ut verbo dicam, ordine atque diſpoſitione. Id in Occidentis partibus Romani Pontifices præſtiterunt, quos inter ſub finem quinti a Chriſto ſæculi unus emicuit*[4] *S. Gelaſius. Is enim, quemadmodum & labente ſæculo proxime inſequenti Gregorium Magnum iterum feciſſe conſtat, Miſſarum librum in ordinem redegit; preces nimirum, quæ in Miſſæ celebritate ante ipſum jam uſurpari conſueverant, meliori ordine donavit; alias de novo compoſuit, ut Pontificales libri teſtantur, alias fortaſſe reſecuit. En quo ſenſu Sacramentorum Libros Gelaſio tribuamus. Unde procul dubio in aere piſcantur, qui ut noſtram elevent ſententiam, Gelaſii calamum ſe in illis non deprehendere cauſſantur.*

XI. *Nil igitur quum in medium protulerit Baſnagius, quod ætati vel exiſtimationi Gelaſiani noſtri Codicis vel hilum detrahat, ceſſare poſſent heterodoxi*

d 2 *ejus*

(1) *In Præfat. ad Tomum noſtræ hujus editionis* IV, *num.* XIX.

(2) *De Pœnitentia lib.* IX, *cap.* XXX, *num.* 2.

(3) *Ea de re videatur clariſs. Petrus Le Brun tom.* II Explication de la Meſſe &c. *Diſſert.* I, *Art.* II, §. 1.

(4) *Rationum momenta veterumque teſtimonia, quibus permotus doctiſſimus Thomaſius Gelaſio Opus præſens adſcripſit, videri poterunt in ipſius Thomaſii Præfatione.*

ejus hac in re animadverſionem jactitando extollere . Eorum unus Chriſtophorus Matthæus Pfaffius Tubingenſis Theologiæ Profeſſor , in ſua de Liturgiis Diſquiſitione [1] *triginta, vel paullo amplius ab heinc annis vulgata cap.* II §.IV, *ait* : Ad Miſſam Gelaſianam jam noſtra ſe vertit tractatio . Hanc primus edidiſſe ſibi viſus eſt Joſephus Maria Thomaſius, Clericorum Regularium Presbyter , poſtea Cardinalis , Vir doctiſſimus , editis Codicibus Sacramentorum nongentis annis vetuſtioribus . . . . Sed oſtendit vir clariſſimus , præcipuuſque jam inter Reformatos Theologus , Jacobus Baſnage , eam Gelaſio longe poſteriorem eſſe , atque ad ſæculum x ſpectare . Hujus [2] ergo argumenta cum nemo hactenus ex Romanenſibus jugulaverit ; cum & Baſnagius ad eas rationes , quas pro ſua ſententia Thomaſius attulit , nil reſponderit ; nos rem indeciſam heic relinqueremus ; niſi cauſa nobis præcipua , ſed a Baſnagio haud memorata , eſſet, ob quam hanc Liturgiam Gelaſio abjudicandam cenſeremus . *Quæ vero ſit ea tanti momenti cauſſa , quam Baſnagius memorare prætermiſerat , aperuit deinde ſubjungens* : Gregorius Magnus ait ſe Canoni Miſſatico adjeciſſe Orationem Dominicam , quæ in eodem hactenus non exſtiterit. Itaque in GelaſianoCodice ea inveniri haud debet,quæ tamen in illo , quem Thomaſius edidit , exſtat . *Hæc Pfaffius , quæ una cum Baſnagianis circa annum* CIↃIↃCCXXX *probari meruerunt ab altero inter Romanæ Eccleſiæ hoſtes viro celebratiſſimo Jo. Franciſco Buddeo , qui de Gelaſii Liturgia loquens audacter ſcripſit* [3] : ſed eam , quam Thomaſi edidit Miſſam , Gelaſiana longe recentiorem eſſe , oſtendit Jac. Baſnagius . Idemque , ſed ob rationem Baſnagio non memoratam , videtur Chriſtoph. Matth. Pfaffio .

XII. *Non eſt tamen quod ob eam cauſſam Baſnagio ſuccenſeat Pfaffius ; aut ſibimetipſi blandiatur , quaſi novi aliquid in Thomaſium protulerit . Illud jam refutaverat doctiſſimus Card. Johannes Bona , Orationis Dominicæ in Miſſæ celebritate a Chriſti & Apoſtolorum inſtitutione repetens , atque ajens* [4] : Errant autem qui putant hoc a Gregorio Magno ſtatutum fuiſſe ; veterem quippe & Apoſtolicam conſuetudinem eſſe ipſemet Gregorius teſtatur . *Deinde vera licet a Pfaffio dicerentur , turpi nihilominus ſermonem ſuum obvolveret ratiocinandi vitio ; non enim Baſnagii opinio firmatur , nec ad ſæculum Chriſti decimum redigitur membranæ noſtræ antiquitas , quod in illa depreben-*

(1) *Utor in præſenti exemplari præmiſſo Inſtitutionibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ejuſdem Pfaffii Tubingæ editis anno* MDCCXXI.

(2) *Illud ne in poſterum dici debeat me feciſſe crediderim* .

(3) *In Iſagoge Hiſtorico-Theologica ad Theologiam univerſam , in Appendice ad cap.* V *Libri poſterioris , pag.* 762 . *Lipſiæ* MDCCXXX.

(4) *Rerum Liturgicarum lib.* II, *cap.* XV.

prehendas, quæ a Gregorio Magno ſunt inſtituta. Verum ut preſſius agam de eximia illa ratione, ob quam Pfaffii judicio Thomaſium inter atque Baſnagium, æqualibus fere librata momentis cauſſa quum antea penderet, pro Baſnagio decretum ſit. Nititur illa Gregorii primi teſtimonio perperam ab aliquibus interpretato. Illud igitur expendere in præſentia lubet. Ut ſumus homines ad nova propenſi, ab eo, quem ab ipſis Apoſtolis recepimus, more recitandi in Miſſæ Officio Orationem Dominicam, ſexto decurrente Eccleſiæ ſæculo deflexerant aliqui; aut ante Conſecrationem illam recitantes, vel poſt ſanctam Communionem; alii aliquando protinus eamdem omittentes, & ſolis Dominicis diebus reſervantes; quod poſtremum de Hiſpanis præcipue colligi poſſe videtur ex canone X *Concil. Tolet.* IV [1]. *Tantam in re graviſſima perturbationem e medio Eccleſiæ tollere cupiens, uti perſpectum habent ſtudioſi omnes, Gregorius Magnus, narrante Johanne Diacono in illius Vita* [2], *decrevit ut Oratio Dominica mox poſt Canonem ſuper Hoſtiam ab omnibus recitaretur. Et quum accepiſſet ob decretum illud nonnullos in Sicilia obmurmuraſſe, datis ad Johannem Syracuſæ Epiſcopum litteris, ait* [3]: Orationem vero Dominicam mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis Hoſtiam conſecrarent: *& paullo inferius in iiſdem litteris, ritum orationem illam in Miſſarum Sollemniis recitandi reſpiciens, ſubjungit:* Dominica Oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos vero a ſolo Sacerdote. *Hæc Gregorius primus: quæ ſane demonſtrant eidem deberi quidem ritus de quo agimus inſtaurationem, non inſtitutionem; demonſtrant etiam & quanta ſacrarum rerum inſcitia teneantur heterodoxi. Dictis addere poſſem apertiſſima Patrum, qui ante Gregorium Magnum floruere, eadem de re teſtimonia; ut Ambroſii, Cyrilli Hieroſolymitani, Optati Milevitani, Cæſarii Arelatenſis, Auguſtini, Hieronymi, qui omnes Dominicam Orationem in Miſſa recitari conſueviſſe tradunt. Verum legi hæc poterunt memorato in loco præſtantiſſimi viri Card. Jo. Bona. Nos unicum, ſed decretorium retulimus adnot.* 1 *ad inferiorem paginam* 176.

XIII. *Hactenus cum iis egimus, qui dum Catholicorum doctrinam, vel opiniones animis perpendunt, partium ſtudio non veritatis amore ducuntur. Agendum modo eſt cum illis, qui ingenue liberales diſciplinas excolunt unico inquirendi veri reſpectu.*

(1) *Canonis illius verba hæc ſunt*: Nonnulli Sacerdotum per Hiſpanias reperiuntur, qui Dominicam orationem, quam Salvator noſter docuit & præcepit, non quotidie ſed tantum die dominica dicunt. *Prolatis hæc quæ ad veterem orationis illius in ſacris Officiis inſtitutionem adtinent, demum concluditur*: quiſquis ergo Sacerdotum, vel ſubjacentium clericorum, hanc orationem dominicam quotidie aut in publico aut in privato officio præterierit, propter ſuperbiam judicatus, ordinis ſui honore mulctetur. *Concil. Hiſp. Card. de Aguirre tom* II, *pag.* 481; *ubi etiam pag.* 498 *canon ille interpretatur de Oratione Dominica in Miſſæ ſacro recitanda.*

(2) *Lib.* II, *cap.* XX.

(3) *Epiſt.* XII *lib.* IX *juxta recentiorem editionem.*

reſpectu. Sed altius repetenda res eſt. Quatuordecim retro annis ſtudio Viri perdocti J. ſephi Blanchini, Franciſci illius, qui ob Mathematicas doctrinas vel maxime floruit, ex fratre nepos, prodierat heic Romæ[1] *ex Codice Tabularii Eccleſiæ Veronenſis fragmentum veteris Sacramentarii. Hoc editor ratus a Leone Magno eſſe adornatum, eidem Pontifici, compoſito a ſe libri titulo, adſcripſit. Eam ob rem variæ fuerunt illico virorum ſententiæ; nonnullis, qui docti editoris opinione ducebantur, eidem adhærentibus; aliis contra ajentibus ſibi nullam adeſſe rationem, cur Liber a Leone ſcriptus dici debeat. Blanchinus ne ſine gravi ratione cauſſa cadere videretur, viros, quos noverat doctrina præſtare, ſciſcitatur; rogat, ut quid ipſi ſentiant, nitide & candide aperiant. Eos inter unus fuit Vir Religioſo D. Dominici Inſtituto, morum integritate, utiliſſimis litterarum reipublicæ & Romanæ Eccleſiæ editis libris, honorum etiam dignitate conſpicuus; ut verbo dicam, ſatis ſuo nomine clarus, Joſephus Auguſtinus Orſi: quem non ſolum occaſionis, quæ modo ſeſe mihi offert, neceſſitate; ſed & honoris cauſſa memorari a me volo. Is familiarem ea de re ad Blanchinum epiſtolam dedit; eo quidem animo ut ſolum mentem ſuam eidem patefaceret, non ut in publicum illa prodiret: quæ tandem ipſo neſciente, quandoquidem a ſciente & invito obtineri illud non poterat, prodiit opera ſtudioſi viri Jacobi Acami*[2]. *In ea igitur epiſtola adfirmatur Veronenſem chartam Leonis opus non eſſe, ſed potius indicia præ ſe ferre elaborati a Gelaſio Sacramentarii: illud vero ſub nomine hujus Pontificis in publicum a Ven. Thomaſio adſertum, alterum ab eo Pontifice auctorem indicare, & fortaſſe Gregorium Magnum. Heic, uti vides, noſtri Codicis antiquitas in dubium non revocatur, ſed auctor; & ab illius comparatione cum Veronenſi membrana, & etiam una cum iis, quæ de Gelaſiano Codice a Johanne Diacono dicuntur*[3], *ubi Gregorii Magni laborem in eumdem deſcribit, totum enaſcitur argumentum. Et re vera, ne aliquid diſſimulare videamur, pro certo habemus illud potius eſſe habendum Gelaſii opus, cui magis conveniant, quæ ex Johanne Diacono eidem convenire debere comperimus. Hoc argumento motus Thomaſius Gelaſii eſſe agnovit*[4] *Sacramentarium a ſe vulgatum: hoc eodem, dum contra opinatur, utitur & P. Orſi. Johannes igitur Diaconus eo in loco de Gregorio ait:* & Gelaſianum Codicem de Miſſarum ſollemniis, multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens, in unius libri volumine coarctavit. *Poſtrema hæc verba, quibus dicitur Gelaſii Sacramentarium in unius libri volumine Grego-*

(1) *Inter Prolegomena ad tom. IV Anaſtaſii Bibliothecarii anno* CIↃIↃCCXXXV. *Vide ſuperiorem adnotat.* (2) *ad pag.* XIII.

(2) *In opere italice vulgato in Urbe typis Antonii de Rubeis anno Chriſti* MDCCXLVIII, *Parte II*, §. XIII, *pag.* 939 *& ſequentibus. Opus inſcribitur* Dell' Antichità, Autore, e Pregi del Sagramentario Veroneſe &c.

(3) *In Vita Gregorii Magni lib.* II, *cap.* XVII.

(4) *Percurratur ipſius Præfatio ad Opus præſent.*

Gregorium coarctaſſe, ſi quid ſapio, rem Thomaſio definiunt: inde enim conſtat Gelaſianum opus plures in libros digeſtum fuiſſe, quod non Veronenſi ut alias monui[1]*; ſed Thomaſii Sacramentario omnino convenit. At nobis opponitur Johannem teſtari multa e Gelaſii volumine Gregorium ſubtraxiſſe; unde neceſſe eſt Gelaſii Codicem rerum copia & mole Gregorianum ita ſuperare debere, ut hic illius veluti ſumma atque breviarium videri poſſit; quod & Walafrido notatum*[2]*, nec Thomaſio abſconditum*[3]*. Conſtare autem deinde creditur ſola ad ſe invicem utriuſque comparatione Thomaſianum Codicem Gregoriano longe craſſiorem non eſſe, majoremve rituum numerum non complecti; adeo ut hujus reſpectu Gregorianus breviarius & compendium dici merito non debeat; ac proinde illum temere Gelaſio adſcribi.*

XIV. *Verum contra eſt. Si enim Johannis βιογράφυ teſtimonio conſtat Gregorium e Gelaſii Codice multa ſubtraxiſſe; conſtat etiam eodem teſtimonio nonnulla adjeciſſe: unde ſubductione imminutum volumen additamento reficitur. Ad hæc, ut ejuſmodi argumento veriſimilitudo aliqua concilietur, operæ pretium eſſet Gelaſii Codicem conferre cum germana Gregorii emendatione, neque interpolatione vitiata neque acceſſionibus aucta; quam hactenus ab eruditis deſiderari compertum habent omnes. A veritatis enim tramite aberraret, qui eam inſtitueret comparationem cum iis Gregorianis exemplis, quæ typographorum opera hactenus in publicum circumferuntur: illa ſiquidem omnia ſubſecutis a Gregorio temporibus, fuiſſe novis ſubinde incrementis adaucta, nemo eſt qui dubitet. Nec difficile comprobaretur rationibus derivatis aut ab inſigni, quo inter ſe diſcrepant, diſcrimine; aut a ritibus, qui in illis occurrunt, ſolius Eccleſiæ proprii, cui eorum unumquodque uſui olim fuit; ſive ea ætate invectis, quæ diu poſt Gregorium fluxit; aut etiam a præclariſſimorum virorum, qui de illis ſcripſere, doctis animadverſionibus. Tria Gregorianæ emendationis exempla typorum formis vulgata proſtabant, quando Ven. Thomaſius Gelaſianum hunc Codicem publici juris fecit. Primum Coloniæ ediderat*[4]*, uti conſtat, Jacobus Pamelius: Secundum Romæ Angelus Rocca*[5]*, quod deinde recuſit Pariſiis Petrus Guſſanvillæus*[6]*. Tertium vulgaverat, eximiis inluſtratum adnotationibus D. Nicolaus Hugo Menardus*[7]*; recuſit poſtremo D. Dionyſius a S. Martha*[8]*. Hæc exempla cogitate expendens Thomaſius, Pameliano, in quo Gregorianam coarctationem illam ab Johanne Diacono indicatam ſe agnoſcere fatebatur, primas deferre conſueverat. Id Viro doctiſſimo ſi admit-*

tas

(1) *Superiori adnotat.* (2) *ad pag.* XIII.
(2) *Lib. de rebus Eccleſiaſt. cap.* XXII.
(3) *Vide memoratam ſæpe illius Præfationem.*
(4) *Anno Chriſti* CIↃIↃLXXI, *tom.* II *Liturgicon.*
(5) *Inter Opera S. Gregorii Magni edit. Vatic. anno* CIↃIↃXCIII, *tom.* V.
(6) *In ſua Operum S. Gregorii Magni editione anno* CIↃIↃCLXXV, *tom.* II.
(7) *Anno* CIↃIↃCXLII.
(8 *In poſtrema Operum S. Gregorii Magni editione anni* CIↃIↃCCV, *tom.* III.

tas , maxime , cur neges , quia nulla eſt cauſa ; omnis illico evaneſcit nobis oppoſita difficultas : obſervavimus ſiquidem Pamelianum exemplar a noſtro Gelaſiano vel tertia integræ magnitudinis parte deficere ; falſum igitur in eo deſiderari, quod eidem, utpote proprium, convenire docuit Johannes Diaconus . Verum inquies Gelaſianus Thomaſii Codex additamentis Gelaſio recentioribus interpolatus eſt . Fateor equidem : nec ipſe diſſimulavit Thomaſius , qui hac de re ait [1] : Id tamen libentius admitto huic Codici nonnulla eſſe appoſita ſequenti ſæculo .... Non multa tamen ſunt ea in tertio libro , pauciora enim deprehendes in ſecundo , pauciſſima in primo . *At age , num evinces Pameliano Codici illud idem non contigiſſe ? num illum nobis exhibere putabimus germanum purumque Magni Gregorii opus ? Porro legenti Præfationem illam , quam ſub Grimoldi Abbatis nomine vulgavit Pamelius* [2] *; quamque Alcuini opus eſſe ex Micrologi cap. LX Thomaſius obſervavit, contrarium apparebit:illius certe ſub initium narratur nonnulla fuiſſe poſt Gregorium eidem adjecta . Eidem inſuper ſequiori ævo addita eſſe conſtat , quæcumque uncis notavit ipſe Pamelius . Quamobrem quum in utraque membrana primitivo operi aliquid acceſſiſſe conſtet , exceptio Gelaſianæ oppoſita , & Pamelianam afficit . Et ſi divinandum, cui nam potius acceſſio contigerit major , de utriuſque antiquitate diſceptari oporteret ; quæ enim vetuſtiora , eo & puriora habentur: at ne eo ſe vertat oratio noſtra,animadvertere ſatis erit Gregoriana exempla poſt Gregorium , utpote quæ ubique fere obtinuerunt , uſum præ Gelaſianis longe majorem habuiſſe ; unde temeritatis notam nullus incurreret , qui adfirmaret illa præ iſtis acceſſioni obnoxia magis fuiſſe . Quid ſi addam , Thomaſio , Viro ſane in hiſce rebus ſummo , Pamelianum Codicem , quanquam omnibus , quæ in publicum prodierant præſtantiorem , adeo interpolatum , novis adeo ritibus turbatum credidiſſe , ut non multum a viris doctis , ſacrarumve antiquitatum amatoribus fieri mereretur . Rei argumentum eſt quod de germaniori vulgando Gregorii Sacramentario & cogitaverit , & operi manum admoverit : quemadmodum dilucide demonſtrat ſuperſtes adhuc* [3] *Pamelii exemplum , ad cujus marginem variantes omnes loci, vetuſtiſſimi alterius Gregoriani Codicis , ipſius Thomaſii calamo adnotati & deſcripti leguntur. Demonſtrat inſuper ejuſdem Thomaſii data ad D. Hermannum Shenk celebris Monaſterii S. Galli a Bibliotheca, epiſtola , ordine XV inter eas , quas primo publici juris nos feciſſe conſtat ſub initium tomi IV editionis hujuſce noſtræ . In ea autem hæc leguntur :* Niſi oneroſus eſſem , ... collationem ...... peterem libri Sacramentorum Miſſæ ; eorum tantummodo , quæ Feſtum omnium San-

(1) *Vide memoratam ſæpe ipſius Præfationem .*

(2) *Tom. II Liturgicon , pagina penes me 388 edit. Colon. Agripp. an.* MDCLXXV.

(3) *Heic Romæ in noſtra Cleric. Regul. Bibliotheca Domus S. Silveſtri Montis Quirinalis .*

Sanctorum non continent Kal. Novembris, ſed feſtum S. Cæſarii martyris, quæ cum Sacramentario Pamelii maxime conveniunt, qui jam adnotavit in vetuſtioribus Codd. quibus utebatur, plurima deeſſe Feſta vel Miſſas. Ego nactus ſum duo exemplaria vetuſtiſſima Sacramentarii Gregoriani, ævi Carolini, quapropter ſi quid præterea iſtinc adjumenti habuero, aliquando fortaſſis edi poſſent Sacramentarium & Antiphonarium Miſſæ ſinceriora cunctis jam editis. *En quæ fuit Thomaſio de Pameliano Sacramentario ſententia; unde dum hanc, una cum dictis a me ſuperius, ſerio animis verſor, pace Viri doctiſſimi concludere me poſſe mihi videor; comparatione Gregoriani exempli, in vulgatis huc uſque libris repoſiti, ad Gelaſianum Thomaſii colligi merito non poſſe; iſtud voluminis mole, rerumque copia ejuſmodi non eſſe, cujus illud, juxta Johannis Diaconi narrationem, veluti compendium jure dici debeat.*

XV. *Præter ſubmotam huc uſque difficultatem, eadem in epiſtola, quam ſupra laudavimus, alia nonnulla obſervantur, quæ Thomaſianæ in re præſenti ſententiæ minus favorabilia creduntur. Et primo quidem Anaſtaſium Bibliothecarium narrare S. Gelaſium feciſſe Sacramentorum Præfationes* [1]*; quarum quidem variæ occurrunt in Thomaſii Sacramentario; non autem tantæ, ut numero plures non inveniantur aut in Gregorianis exemplis, aut in illo Codicis Veronenſis; quod cum teſtimonio Libri Pontificalis non ſatis bene cohærere opinatur; diciturque in Gelaſii Sacramentario tantam reperiri debere Liturgicarum precum & Præfationum copiam, quæ inſigniter detruncatum in Gregorii emendatione, notabilem adhuc quantitatem retineat. Secundo opponitur Thomaſii Codicem concinniorem præ ſe ferre rerum ordinem, ſacrorumve rituum diſpoſitionem, quam quæ Gregoriana indiguerit correctione. Tertio demum eumdem Codicem eas repræſentare pro diebus dominicis a Pentecoſte ad Adventum interpoſitis Miſſas, quas nec habuiſſe Gregorianum opus ex memorata paullo ſuperius Grimoldi Abbatis, ſive potius Alcuini, Præfatione conſtare creditur. His omnibus ſi plane ſatisfieri poſſit; & ad Thomaſii doctrinam enervandum quam infirma ſint declarari, nil cauſſæ remanebit porro, ob quam ab illa recedere debeam. Quod Præfationes adtinet, ſatis erit animadvertere Libri Pontificalis auctorem declarare, S. Gelaſium feciſſe quidem Præfationes, non tamen feciſſe multas: quotus fuerit illarum numerus, copia quanta, ille ſilet: & feciſſe numero paucas eodem jure dicerem, quo contenderes multas illum edidiſſe: & aliquas in Thomaſianis Sacramentorum Libris reperiri ſatis*

(1) *In Catalogo Roman. Pontific. ex Cod. Veronenſis Eccleſiæ vulgato Tom. IV Anaſtaſii, Romanæ editionis anni* MDCCXXXV, *pag.* VII *de S. Gelaſio legitur*: fecit autem Sacramentorum Præfationes cauto ſermone.

ſuperque eſt, ut eos cum Anaſtaſii narratione merito conciliem. Ex Johanne Diacono novimus, etiam Gregorium in meliorem formam Gelaſiano Codici diſponendo operam navaſſe. Cetera novæ illius diſpoſitionis formam atque ordinem, quum ille nobis nullus deſcribat, nobis inde difficultas creari non poteſt; quandoquidem rerum diſtributio atque ſeries in Sacramentorum libris Gelaſio adſcriptis, ab illa longe diſtat, quam in Gregorianis conſpicimus. Hoc ſane unico argumento nil prorſus relinquitur, quo exceptio ſollicitos reddere nos debeat. Neque ſuſpicandum in hiſce, quos Gelaſio vindicare conamur, libris, rerum perturbationem tantam non apparere, ut Gregorii operam excitare debuerit: obſervare enim neceſſe eſt Johannem Diaconum de illa ſcripſiſſe multa eſſe abraſa, reſecata, abſciſſione demta: & quidem, ut de multis ſileam, quæ videre per ſe quilibet poteſt, ex unaquaque propemodum Miſſa unam e duabus illis poſt Pſalmum ad Introitum noſtro in Sacramentario poſitis, orationem Gregorium ſubtraxiſſe conſtat: at eumdem Johannem etiam narrare Magnum illum Pontificem de Gelaſiano ordine pauca convertiſſe; quod ſane inſigne inter utrumque Codicem, Gelaſii nimirum & Gregorii, perturbationis rerum diſcrimen haud denotare videtur. Illud etiam novam hanc ordinis ſeriem atque diſpoſitionem reſpicit, quod narretur Gelaſianum Codicem in unius volumine libri fuiſſe coarctatum, qua porro re, uti alibi hac in præfatione monuimus, haud obſcure declaratur eum Codicem plures in libros digeſtum adornatumque fuiſſe, uti noſtro ad amuſſim evenit. Ad illud vero de officiis Miſſarum diebus Dominicis Pentecoſten inter atque Adventum Domini celebrandis, nullus diſſimulo auctorem Appendicis ad Gregorii Sacramentarium ea cum illis adnumeraſſe, quæ Gregoriano Operi addita deinde ſunt. At diſſimulari neque illud debet, id conſilii viris doctis minime probari; quibus minus veriſimile videtur, aut Gregorium aut Gelaſium Miſſarum officia pro ſingulis anni temporibus ordine diſponentes, ea omiſiſſe, quæ dominicis maxime diebus convenirent. Satis erit ad rem præſentem, quæ neſcio qua nativa ſui perſpicuitate, nitidiora etiam veritatis argumenta reſpuere videtur; ſatis, inquam, erit laudare doctiſſimi D. Nicolai Hugonis Menardi ſententiam noſtræ conſentaneam, quam ſua in librum Sacramentorum S. Gregorii Præfatione quum pluribus adſtruat, inter cetera ait: Neque eſt ſimile vero Gelaſianum Codicem, etſi in quibuſdam correctione indigeret, fuiſſe adeo mutilum, ut Miſſas, quæ per totius anni curriculum dicendæ erant, non complecteretur. Quod etſi concederetur, non credibile eſt S. Gregorium, qui Gelaſianum librum recenſuit, nonnullis detractis, quibuſdam vero aliis adjectis, librum Miſſarum, quæ per totius anni curriculum dicuntur, adeo mutilum reliquiſſe, ut major pars Dominicarum, ſeu Miſſarum, quæ in Domi-

Dominicis dici debent, in eo deſideretur. *Hiſce Menardus multa e re ſua diſerte admodum ſubjungit, quæ hoc in loco exſcribere non vacat. Iiſdem addimus ſolummodo teſtimonium monimenti a decimo vel undecimo Eccleſiæ ſæculo ad nos derivati; Mſ. nimirum Codicis Bibliothecæ Vallicellanæ ſignati* F. 29. *in quo, quum exaratæ legantur eædem fere Miſſæ Dominicales, quas noſtro in Sacramentario habemus ad initium libri tertii, membranàceus codex inſcribitur*: Incipiunt Orationes Dominicales S. Gelaſii Papæ uſque in Adventum. *En igitur quibus pro muneris noſtri ratione, & veritatis amore ab objectis, quæ uſque modo publicam in lucem prodierunt, noſtros Sacramentorum libros Gelaſio vindicare potuimus. Illis porro, quæ nec inania ſunt, neque partium ſtudio, aut aliqua neceſſitate, ant invita, ut ajunt, minerva excogitata, ſi graviſſimæ illæ rationes addantur, quæ doctiſſimus Thomaſius ſua in Præfatione profert, tanti momenti argumentum fore confidimus, ut ne leve quidem contrarii dubium reliqui eſſe debeat.*

XVI. *Proximum modo eſt ut dicam, quid proprie ſit, quidve bono Eccleſiæ conferat, opus ipſum tanto ſtudio, multiſque rationum, argumentorumque momentis, S. Gelaſio hactenus adjudicatum: aut etiam quid ſingulis in libris retineat, quid nam eidem noſtra hac editione acceſſerit. Ut in ipſo præfandi initio dictum eſt, Opus ordine exponit Miſſarum officia ſacrum per anni curſum celebranda. Veteres illud* Sacramentarium, *vel* Sacramentorum Librum *dixere, quod ſanctos Miſſæ ritus exhibeat, quibus Corporis ac Sanguinis Chriſti Sacramenta conficiuntur, quemadmodum eſt ſacrarum rerum tractatoribus notatum, & eodem præfationis initio dicebam. Quandoquidem vero noſtrum Sacramentorum volumen illud eſt a Gelaſio ante finem quinti a Chriſto ſæculi digeſtum, heinc novimus eum Miſſæ ordinem, eaſque preces, ſacroſve mores in eo contueri nos debere, quæ per illud tempus ab Eccleſia Romana potiſſimum ſacris in conventubus frequentabantur. Imo & quæ remotiori inſuper ævo Chriſtianis in uſu erant; nam uti Walafridus*[1] *notaverat*, Gelaſius Papa tam a ſe, quam ab aliis compoſitas preces ordinaſſe dicitur. *Eo vel ſolo nomine, quod precandi Deum modos heic habeamus quinto Eccleſiæ ſæculo vetuſtiores, opus maxima commendationis laude ornetur oportet. In eo ſiquidem apparet, velint nolint qui Proteſtantium ſive Novatorum nomine, fucata ſub reformationis larva ab Eccleſiæ Romanæ ſinu ſe ſubtraxere, apparet, inquam, quæ fuerit remotiſſima ea ætate Chriſticolis fides atque religio; & quam belle, quam ſancte cum illa noſtri hujuſce temporis conveniat. Et ſi rei alicujus diſcrepantia alicubi apparet, hanc eſſe non dogmatis, non fidei; ſed ceremoniarum atque religionem profitendi moris & diſciplinæ. Elucet porro no-*

(1) *De rebus Eccleſiaſt. cap. XXII.*

ſtro in hoc opere , quæ fuerit majoribus noſtris , & quidem non longe ab ipſius Eccleſiæ per Chriſtum exortu , de Verbi divini Incarnatione , de Trinitate , de divino Spiritu fides : quæ de Sacramentis doctrina , & quomodo illud idem omnino illi crediderint , quod nos in Euchariſtiæ Sacramento [1] Tranſſubſtantiationem *dicimus . Apparet & quæ iidem fuerit circa defunctos memoria atque pietas : quæ de natura & neceſſitate divinæ gratiæ ſententia . Ut verbo me expediam, omnis heic elucet Chriſti,ejuſque Eccleſiæ doctrina; & quidem teſtimonio eo firmiori , quo totius pene Occidentis Eccleſiæ ſententia præſtat unius , aut etiam quorumdam ſimul doctorum ſuffragio . Conſtat igitur quid ſit , quantique faciendum præſens , de quo agimus , Sacramentorum volumen .*

XVII. *Tres in Libros partiri illud non ſemel dictum eſt . Primus , qui ceteros non ordine tantum , ſed rerum copia & dignitate præcellit , Miſſas complectitur , rituſve ſervandos per integrum anni curſum præcipuis in Chriſti Domini ſollemnitatibus : in Quadrageſima & Paſcha , in Pentecoſte , in Eccleſiæ Ordinibus conferendis . Incipit curſus ille ab officio Vigiliæ Nativitatis Domini : ſequitur triplex ipſius Feſti Nativitatis Miſſa ; quam illæ excipiunt dierum S. Stephani , S. Johannis , atque Sanctorum Innocentum . Nullum deinde heic occurrit S. Silveſtri feſtum , quod ea ætate , qua opus iſtud librariorum exercebat artem , Martyribus ſolummodo ſacri ritus decernebantur : ſed viſitur officium Octavæ Nativitatis Domini inſcriptum , & in ejus Præfatione Circumciſionis Jeſu Chriſti perhonorifica fit mentio , quod nobis occaſio fuit opinandi aliquem quidem cultum , remotioribus illis S. Gelaſii temporibus , Circumciſionis Domini memoriæ fuiſſe redditum ; non tamen peculiarem certæ diei addictam feſtivitatem . Eadem Octavæ die Miſſa legitur , cui titulus* ad prohibendum ab idolis , *qua Idololatria nondum penitus devicta , & in mediis Chriſtianorum regionibus adhuc vigente , iſtis adprecabatur , ut a profanis illius ritibus , quos Kalendis Januarii celebrari mos erat , abſtinendi donum largiretur . Diem Januarii primam excipit illico Vigilia , atque ipſum* Epiphaniæ

(1) Tranſſubſtantiationis *quum plurima occurrant in Gelaſianis hiſce libris indicia manifeſta , unam præ ceteris notatione dignum habemus in poſtrema Ordinis ad Presbyterum ſacrandum benedictione , quæ legitur infra ad pag. 23 : ubi variis enumeratis cauſſis , ob quas cæleſtem a Deo benedictionem ſuper novos Sacerdotes Epiſcopus deprecatur , dicitur etiam , ut* purum atque immaculatum Miniſterii tui donum cuſtodiant , & per obſequium plebis suæ Corpus & Sanguinem Filii tui immaculata benedictione TRANSFORMENT . *Poſtrema hac voce aperte* Tranſſubſtantiationem *denotari, adnotatum Mabillonio eſt in ſua Liturgia Gallicana : nos etiam poſt virum illum clariſſimum, loca , quibus ea uſurpatur , notavimus in Miſſalibus Gallicanis : Idque ut appareat quantum a veritatis tramite longe divagentur , qui neſcio quo vel apparentis cauſſæ momento ſcribere non dubitarunt , in hiſce Sacramentorum libris inveniri , quæ ſacro illi dogmati contradicant . Falſam ea de re opinionem Gisberti Cuperi retulimus in adnotatione (2) ad pag. 241 . Cupero jungi poteſt & Pfaffius ille , cujus alterum ſupra errorem refutavimus : Is enim in Diſſert. de oblat. & conſecrat. vet. Euch. & in laudata nobis Diſquiſit. de Liturgiis Eccleſiæ Orient. & Occident. cap. 11. §. v. & præſentem , de quo agimus, errorem una cum aliis non paucis , quibus ubique fere ejus ſcripta ſcatent , ſequi ſe profitetur .*

phaniæ *feſtum, quod Theophania nominatur. Habentur deinde officia in dominicis Septuageſimæ atque Sexageſimæ, & quadrageſimalis jejunii initium; quod initium a Feria* IV *ante dominicam Quadrageſimæ deſumi conſueviſſe, & ante Gregorii Magni ævum, ex eo noſtri hujuſce libri loco agnovit doctiſſimus Thomaſius, ſicut e peculiari hac de re illius Opuſculo conſtabit, quod* VII *editionis noſtræ Tomo daturi ſumus. Idem prorſus & nos detexiſſe nobis videmur: nam Feria illa* IV *ante dominicam Quadrageſimæ inſcribitur* in jejunio prima; *& Dominica ipſa dicitur,* Dominica in Quadrageſimæ inchoantis initium. *Hæc duo ſane exerto veluti digito indicare nobis videntur, apud majores noſtros, qui S. Gelaſii ætate floruerunt, inter ſe non parum diſtaſſe initium Jejunii quadrageſimalis, atque initium Quadrageſimæ proprie dictæ. Eo animadverſo Gregorii Magni teſtimonium illud, quo unice nititur opinio ſtatuens ante initium* VII *a Chriſto ſæculi, quatuor eos dies Quadrageſimæ dominicam præeuntes, jejunio dicatos non fuiſſe, recte interpretari potuimus: qua de re videantur, quæ ad memoratum nuper locum*[1] *adnotata a nobis ſunt. Cetera nimius eſſem, aut operam luderem fortaſſe, ſi librum ipſum dum trado, ſingulas ejus partes percurrens, quid in illo habeamus, vellem enarrare: ut puta, qui initio Quadrageſimæ incipiat ordo ad dandam publicam pœnitentiam; qui dein concludatur in Feria* V *ante diem ſanctum Paſchæ; quæ in eo obſervari potiſſimum mereantur, aut quæ ex eo deriventur. Ea propter muneri noſtro ſatis nos feciſſe rebimur, ſi ſumma tantum capita vel leviter tangam; ut primis quidem veluti rei lineamentis ob oculos poſitis, integra illius ſpecies revocetur iis, qui opus ipſum bene callent; iis vero, qui illud nec a limine ſalutarunt, animi ad evolvendum, atque perpendendum excitentur. Igitur in Quadrageſima ſingulis diebus propria ſunt Miſſarum officia, excepta tamen cujuſvis hebdomadæ Feria* V*, cui peculiare officium ineunte reparatæ ſalutis ſæculo* VIII *dediſſe Gregorium Pontificem hujus nominis ſecundum conſtat*[2]. *Abſoluta prima Quadrageſimæ hebdomada occurrit ritus jejunii quatuor temporum, quod veteres dicebant* Menſis Primi; *& prima Martii hebdomada, etiam juxta noſtrum hocce Sacramentarium, ſervabant; quodque poſt Gregorium* VII, *fuiſſe primæ Quadrageſimæ hebdomadæ decretum patet. Eodem in loco legitur & ritus eligendi clericos inferioris gradus ad Ordinem Presbyteratus, Diaconatus & Subdiaconatus; ſicut & ille Presbyterum atque Diaconum ordinandi; non autem Ordinationis Subdiaconi, qui ad hujus libri calcem rejectus inter aliarum Ordinationum ceremonias invenitur. Ceterum preces in Ordine Presbyteratus & Diaconi conferendo eædem fere cum illis ſunt, quibus*

& nunc

(1) *Pag. 15. adnot. (3)*

(2) *Ex Anaſtaſio Bibliothecario in ejus Pontificis Vita. Vide & Ven. Thomaſium in ſua ad opus præſens Præfatione.*

& nunc temporis utimur , licet nullum in ritu appareat ſacrarum veſtium indicium , aut libri Euangeliorum , aut Calicis .

XVIII. *Occurrit in Quadrageſima & integer vetus Ordo dandi ſacrum Baptiſma tam infantibus quam adultis . Eo in Ordine invenient ſacrorum rituum Scriptores , de quo res ſuas aut adaugeant , aut emendent .* Scrutinia *enim , ſive ratio catechizandi eos , qui ſacro intercedente ritu* [1] *in Catechumenos electi ad ſacrum fontem diſponebantur , in Romana Eccleſia non ſeptem numero fuiſſe heinc colligitur , ut illorum plurimi tradunt ; ſed quatuor ſolummodo . Illorum primum habebatur Feria* II *poſt dominicam Quadrageſimæ tertiam. Ea in Dominica, ut & in quinta, Miſſarum officia pro* Scrutinio *rite inſtituendo celebrabatur : & in Canone non tantum pro electis ad Baptiſmum, eorum nominibus recitatis , orandum erat ; ſed & nomina recitari conſueverant qua virorum qua mulierum , qui baptizandis de ſacro fonte ſuſcipiendis deſignati fuerant . Tertio in* Scrutinio *Euangelia ritu ſollemni Catechumenis explicantur una cum Fidei Symbolo ; qua de re hac noſtra legentes monitos volui* [2] *, ne quis arbitraretur cum clariſſimo Viro D. Dionyſio Ceillier* [3]*, ad diem alteram ab illa , qua Euangelia exponebantur , Symboli explanationem pertinuiſſe . Symbolum latine ſimul & græce exhibetur : an id contingat quod utroque idiomate , aliquo latente myſterio , tam græcis quam latinis Catechumenis prolatum fuerit ; an quod græce ſolum Græcis , & Latinis latine , licet ut id potius opiner inclinet animus , compertum omnino non habeo . Codicis Mſ. antiquitas hoc in Symbolo ſe prodit , quod in eo deſit celebris illa particula* Filioque . *Eodem die una cum Euangeliis & Symbolo Dominicalis inſuper Oratio baptizandis , ritu a ſuperioribus diſtincto , exponebatur . Tot ritus una eademque die impletos fuiſſe inveriſimile videri poteſt iis ſolum , qui veterum mores ex noſtris dimetiuntur; quique terrenis in rebus, diebus jungendo noctes, nuſquam defatigari patiuntur , dum ſacras , ſi longiuſculæ ſint , faſtidire vel mille tædii ac moleſtiæ indiciis delicatuli maniſeſtant .*

XIX. *Sequitur Dominica Palmarum , quæ a noſtro Codice* De Paſſione Domini *vocatur . Feria* V *ſubſequenti , quæ eſt in Cœna Domini , a cantu eſſe temperandum præcipitur ; caveturque ne Sacerdos conſueto more , quo dicitur* Dominus vobiſcum *, populum ſalutet . Inter Miſſarum ſollemnia fit publica pœnitentium reconciliatio . Hoc in ritu invenitur eloquentiæ gravitate præclara , & materno Eccleſiæ affectu dulciſſima , illa Diaconi pro pœnitente humiliter proſtrato ad Sacerdotem adlocutio ; de cujus auctore varia opinantur Scriptores , dum alii ſcribendi genium in ea agnoſcunt Conſtantini Magni ætatem*

redo-

(1) *Habetur ritus ille ad pag. 37.*

(2) *Ad pag. 44. adnot. (2)*

(3) Hiſtoire Générale des Auteurs ſacrés & Eccleſiaſtiques, tom. XV *pag. 124, edit. Pariſ. an.* MDCCXLVIII.

redolens; alii illum S. Leonis primi; alii S. Gelaſii calamum internoſcere ſe credunt. Eodem in ritu adeſt & oratio dicenda poſtquam pœnitens ſanctam Euchariſtiam receperit; unde cum clariſſimo Martenio agnovimus[1] *pœnitentis reconciliationem fieri debuiſſe antequam Oblata ad Altare deportarentur: mos enim erat antiquis, ut de ſacra menſa nullus fieret panticeps, cui offerendi munus non competeret. Altera ponitur Miſſa eadem Feria* V, *quæ* Chriſmalis *dicitur, in qua olei benedictio conficitur tam pro infirmis, quam pro baptizandis & Confirmandis; & quidem ad eum fere modum, quo eadem benedictio & nunc temporis celebratur. De hoc Sacrificio quum communicaverint omnes, Corpus & Sanguis Chriſti*[2] *in craſtinum reſervatur. Tertio eadem inſuper die alteram habemus Miſſam, quæ inſcribitur* ad Veſperum, *quæque judicio memorati P. Ceillier*[3] *ad illius diei Officium proprie ſpectabat.*

XX. *Feria* VI *ante Paſcha hora competenti, quæ in vetuſtis Liturgicis membranis dicitur nona, videlicet poſt meridiem tertia, procedebant omnes ad Eccleſiam; in qua ad eum fere modum, qui & noſtra hac ætate ſervatur, cuncta peragebantur. In monitionibus atque orationibus, quæ fiunt in illius diei officio, una ſimul pro Romano Pontifice & pro Epiſcopo oratur. Et quum de Judæis agitur, ut in aliis deprecationibus moris eſt, genuflectendum eſſe præcipitur. Hac etiam in Miſſa, in qua non conſecratur; ſed de præcedentis diei conſecratione ſumitur, poſt ſanctæ Crucis adorationem, ad ſacram Communionem admittebantur omnes: ait enim vetus ordo ad pag. 67*, adorant omnes ſanctam Crucem & communicant. *In Sabbato ſancto officiorum initia ducebantur a catechizandis infantibus ad Baptiſmum electis. Illi principio reddebant Symbolum; illud nimirum memoriter recitabant. Exorciſmum ſuper eos proferebat deinde Sacerdos: Chriſti exemplo eiſdem nares atque aures ſaliva liniebat; oleo exorcizato in pectore & inter ſcapulas eos ungebat. Hinc hora una cum dimidio a meridie elapſa, officium aliud a Litania incipiebat. An vero hac litania ſemel tantum pronunciaretur, vel pluries, noſtro in Codice non legitur: in aliis porro, ut in uno*[4] *Bibliothecæ Angelicæ, in quo multa Gelaſiani ritus haberi alibi docuimus, ſepties eſſe pronuntiandam præcipitur. Ea abſoluta, Sacerdote vel Epiſcopo ſuo in loco ſedente, Cerei benedictio ab Archidiacono fiebat, quam ſequebantur Lectiones juxta Gelaſium*[5] *numero duodecim, & prima oratio præmittebatur; quod poſtremum Codici noſtro ad amuſſim reſpondet; Lectiones vero decem in eo tantum habemus, quod Thomaſii opi-*

(1) *Confer adnot.* (1) *ad pag.* 56.

(2) *Vide quæ habeantur infra ad pag.* 61, *& confer cum illis, quæ occurrunt ad ſubſequentem pag.* 66. *quæq; ad eamdem ſub num.* (9) *adnotavimus.*

(3) *Loco prælaudato, pag.* 326.

(4) *De eo Codice vide tom.* V *noſtræ hujus editionis pag.* 91.

(5) *Vide quæ eo in loco, ad pag. nimirum* 72; *adnot.* (2) *veterum monimenta indicavimus.*

opinione poſteriores duæ oſcitanti præ negligentia veteri librario exciderint. Lectiones excipit iterum Litania quinquies repetenda juxta memoratum ſupra Codicem Angelicæ Bibliothecæ: dum hæc canebatur eundum erat ad Fontis benedictionem. Heic reperitur non ſolum integer benedictionis illius ritus, ſed & Ordo Catechumenos baptizandi, qui trina merſione Chriſtiani fiebant, ac dein ſacro Chriſmate confirmabantur. Hæc omnia ſequebatur tertio Litania ter pronuncianda: & quum diei tantorum rituum celebratione conſumto nox jam ſupervenerit, Sabbati ſancti Miſſa celebrabatur. Ad eam communicabant omnes, etiam infantes mox baptizati; qua de re videri iterum poterit memoratus a nobis Codex Bibliothecæ Angelicæ. [1]

XXI. *Inter Paſchales ritus occurrit pag.* 83 *Miſſa celebranda* in Parochia, *cujus ratio comperta prorſus nobis non eſt. Opinati ſumus* [2] *celebrari illam conſueviſſe ſummo mane in Eccleſiis parœcialibus. eorum commodo, qui diſtenti, ſollemnioribus officiis intereſſe non poterant. Sex heic ponuntur inter Paſcha atque Aſcenſionem Dominicæ. In Aſcenſionis officio Canone nondum expleto præcipitur, ut juxta Eutychiani Romani Pontificis decretum, novæ fruges benedicantur. In Sabbato Pentecoſtes celebrandus erat baptiſmus eodem ritu, quo in Sabbato Paſchæ; qua occaſione libri noſtri conditor ibi repoſuit Ordines varios ad baptizandum infirmos, quorum loco ſumuntur & Energumeni. Ritus denuntiandi quatuor temporum jejunia* [3] *habetur poſt officium Pentecoſtes; in quo mentio fit jejunii quarti, ſeptimi ac decimi menſis, nulla primi; quamvis & hujus officium eodem in libro occurrat, ut dictum a nobis eſt, inter primam atque ſecundam Quadrageſimæ hebdomadam. Iſtud fortaſſe non denuntiabatur fidelibus, quod quadrageſimali tempore plerumque occurrens, oblivione violari non poterat. In Octava Pentecoſtes deſinit primi hujuſce libri anni circulus: quæ enim ſequuntur deinde appendicis loco haberi queunt. Sunt autem de reconciliatione redeuntium ab hæreſi ad catholicam Fidem, quæ ad Ordinem publicæ pœnitentiæ referri debent: de Baſilicæ novæ Dedicatione; de Synagogæ in Eccleſiam Chriſto ſacram mutatione; de Ordinibus conferendis; de Virginibus velandis; quæ eo ritu præcipiuntur, iiſdemque pene verbis Concilii* IV *Carthaginienſis. En igitur quæ ſint in primo noſtri Sacramentarii libro præcipua veluti ſacrorum rituum capita.*

XXII. *Secundus ejuſdem Sacramentarii liber ad Sanctorum cultum adtinet: nonnulla tamen in illo admiſcentur, quæ ſuperiori primo libro expoſitum anni circulum quum ſpectent, Gregorii manum, melioremve rerum ordinem jure meritoque requirebant. Ejuſmodi certe ſunt officia Miſſarum jejunii menſium*

(1) *Tom.* V. *prælaudata, pag.* 95.

(2) *Adnot.* (2) *ad eamdem pag.* 83.

(3) *Qua autem ratione ea denunciarentur diximus adnot noſtra* (1) *ad eum locum, ad pag. videlicet* 100.

menſium ſeptimi & decimi ; ut & quinque Miſſæ , Adventus dominicis deſignatæ . Cetera Sancti , quorum memoria ſacro Miſſæ ritu colitur , Martyres tantummodo ſunt juxta veterem Eccleſiæ morem , uti eſt a Ven. Thomaſio[1] obſervatum . Eorum feſtivitatibus ratio præmittitur eaſdem denunciandi , quod & circa reliquiarum eorumdem tranſlationes ſervatur ; etenim iſtæ etiam antequam celebrarentur plebi denuntiabantur . Reperiuntur nihilominus inter illa Martyrum officia & feſta Inventionis atque Exaltationis S. Crucis : reperiuntur feſta Adſumtionis & Nativitatis B. Virginis Mariæ : reperitur illud Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ , in quo una habetur Miſſa Vigiliæ & altera ipſius feſtivitatis : reperitur & Miſſa in feſto S. Michaelis Archangeli .

XXIII. *Libri tertii initio ſexdecim habemus diſtincta Miſſarum officia , quæ dominicis diebus Pentecoſten inter atque Adventum occurrentibus deputantur . Cur autem factum ſit , ut ſexdecim tantum nec plures , membrana noſtra recenſeat , me latet . Obſervo Miſſæ officium illud nobis primo in loco poſitum , in Gregoriani exempli codicibus a Pamelio , Menardo , & Muratorio vulgatis , ſextæ vel ſeptimæ a Pentecoſte dominicæ deſignari ; quæ vero nobis inde ſequuntur , eumdem fere cum illis ex indicato loco ſequentibus ordinem ſervare . Unde ſuſpicio oriri fortaſſe poſſet , veteri ſcriptori in tranſcribendo codice non ſatis attento aliquid excidiſſe . Sequitur Miſſæ Canon , qui noſtræ membranæ dicitur* Canon Actionis , *præcipua ſane officii pars , quæ aliis pro Eccleſiarum diverſitate aliquanto inter ſe variantibus , conſtans atque eadem , & quidem perpetuo , ubique fere gentium fuiſſe reperitur . Defunctorum poſt conſecrationem memoria in noſtro deſideratur ; quid mihi ejus rei occaſione in mentem venerit , aperui adnotatione* 1 *ad pag.* 175. *Poſt Canonem leguntur* Benedictiones ſuper populum poſt Communionem , *quas nil aliud eſſe nobis viſum eſt , quam Orationes illas ſive Collectas , quæ* poſt Communionem , *aut etiam* ſuper Populum *vocantur : nullo vero modo ſpectare ad illud Benedictionum genus , quæ ab Epiſcopo inter Orationem Dominicam & ſacram Communionem , juxta veterem morem , apud priſcos potiſſimum Gallos receptum , populo largiebantur . Sunt deinde Miſſæ ſex quotidianis diebus deſignatæ , totidem crediderim hebdomadæ feriis . Demum ſunt pro variis cauſſis atque opportunitatibus Miſſæ propriæ ; ut ad repellendam tempeſtatem , pro mulierum ſterilitate , pro peſte animalium , & hujus generis aliæ bene multæ , quæ in earum indice ad libri calcem repoſito videri poſſunt . Adeſt & Miſſa Nuptialis , ſive Nuptiarum in benedictione : adeſt ritus luſtralem aquam exorcizandi atque ſpargendi : adſunt & Agenda Mortuorum , de quibus ſingulis vel aliquid dicere ſi non inutile ; longius tamen eſſet , quam ſimplex præfandi ratio poſtulet .*

(1) *In ſequenti ſua Præfatione .*

XXIV. *Poſtremum quod de Gelaſii Codice dicendum ſupereſt, præſentem a nobis digeſtam editionem reſpicit. De qua illud primo monendum, eam eſſe in ordine tertiam: nam quum omnium prima Thomaſio debeatur, ſecundam Litterarum Reipublicæ dedit anno Chriſti* CIƆIƆCCXLVIII, *quando nimirum noſtro labore in publicum jam prodierant*[1] *Ven. Thomaſii Operum omnium priora duo volumina; dedit, inquam, Vir celebris Ludovicus Antonius Muratori in ſua Liturgia Romana veteri, duplici concinnata volumine*[2]. *Eorum in primo recuſi ſunt & tres noſtri Sacramentorum libri, & quidem nullo novi editoris labore ornati; quod nobis maxime dolendum, noſtræ enim cuicumque operæ adjumento eſſent animadverſiones Viri eruditione præſtantis. Eo nomine ibi ſolum repoſitos fuiſſe diceres, vel ut ſimul juncti cum aliis pervetuſtis Sacramentariis eodem in libro legerentur; vel ut homini grandiori jam ætate seneſcenti laudem conciliarent; & qui multis editis voluminibus ad artem criticam,*

(1) *Conſtat illa prodiiſſe præcedenti anno* MDCCXLVII.

(2) *Et quidem* in follo *uti ajunt. Operis titulus præcipuus eſt, quem innuebam, nimirum* Liturgia Romana Vetus. *Locus editionis Venetiæ. Typographus Jo. Baptiſta Paſquali. Abſoluta perbrevi præfatione præmittitur Diſſertatio de rebus Liturgicis bene longa, capitibus* XXV *diſtincta, quibus agitur primo de Romanæ Liturgiæ origine, de veterum illis membranis, quæ duplici totius Operis volumine exhibentur, & in quibus Liturgia illa nobis adhuc ſuperſtes conſpicitur. Hæc omnia una cum aliis illius diſſertationis partibus, ut novo labore, atque utinam novis etiam argumentis, firmetur* Tranſſubſtantiationis *dogma; a tot jam tantiſque viris ingenio & doctrina ſummis optime propugnatum, eo colliment. Sequitur deinde fragmentum illud Sacramentaris ex Codice Eccleſiæ Veronenſis, a Viro clariſſimo Joſepho* Blanchino, *ſub nomine ſancti Leonis Magni editum jam inter Prolegomena ad Anaſtaſii Bibliothecarii tom.* IV *Romanæ illius editionis, de qua loquuti ſumus adnot.*(2) *pag.* XIII. *Fragmentum illud ſequitur cum Thomaſiana præfatione noſter Gelaſii codex, ad cujus calcem adduntur & Thomaſii recenſiones, primæ editionis ordine ſervato. Tomo ſecundo initio nobis exhibetur Gregoriani Sacramentarii exemplar deſcriptum de vetuſto codice Regio-Vaticano ſignato numerica nota, non 335, ſed 337; cui ad inferiorem cujuſque paginæ marginem adduntur alterius Gregoriani codicis variantes lectiones, cui nomen Ottoboniani, notati numero 2. Hunc librum quum ſæpe in Vaticana Bibliotheca, in quam inlatus modo eſt, inſpexiſſem, ſuperiori Regio-Vaticano 337 longe antiquiorem crediderim. Ejuſdem etiam rei indicium eſſe poſſet, quod exercitatiſſimus in hiſce judiciis efformandis Thomaſius, quum in Bibliotheca Reginæ Sueciæ, in qua ſua ætate uterque reponebatur, utrolibet pro arbitrio uti poſſet, Ottoboniani, non Regio-Vaticani variantes lectiones ſibi notaverat ad marginem editi a Pamelio exempli. Cetera utriuſque codicis apographum prælaudatus Blanchinus Roma Mutinam Muratorio miſerat. Gregorianum illud Sacramentarium ſequuntur tria noſtri hujuſce Operis Gallicani ritus Miſſalia, quæ Gelaſiano codicē juncta quum vulgaret Thomaſius, fecerunt, opinor; integram collectionem ipſum dixiſſe potius* Codices Sacramentorum, *quam* Liturgia Romana Vetus; *ad quam ſane nulli adtinent Gallicani ritus libri. In illis Thomaſianam editionem ſequitur Muratorius, non illam doctiſſimi Jo. Mabillonii in Liturgia Gallicana brevibus quidem, ſed optimis animadverſionibus inluſtratam. Iiſdem additur Sacramentarium Codicis Bobienſis a Mabillonio Tom. I Muſei Italici vulgatum, una cum præclariſſimi ejuſdem editoris præfatione & adnotationibus. Ut Gallicani ritus monumenta omnia, quæ hactenus in lucem prodierunt, ſimul juncta uno in Opere legi poſſent; illis omnibus addi debuiſſet ex Mabillonii Liturgia Gallicana Lectionarium Codicis Luxovienſis, atque ex Tomo* V *Theſauri novi Anecdotorum Ed. Martene vetus illa Miſſæ Gallicanæ Expoſitio, quæ S. Germano Pariſiorum Epiſcopo tribuitur. At duplicis hujuſce monumenti locum in* Liturgia Romana Veteri *tenent duo priores Ordines Romani ex Tomo primo Muſei Italici recuſi. En quæ ſit in eo Muratorii Opere rerum ſeries, quæ ſane ſacrorum rituum ſtudioſis haud ſpernendam utilitatem afferrent, ſi novitatis defectum doctiſſimi editoris labor in animadverſionibus doctiſque adnotatis ſuppleret.*

cam, philoſophiam, hiſtoriam ſpectantibus, nominis celebritatem jam ſibi comparaverat, liturgico etiam opere clareſceret. Tertio igitur noſtra opera prodit S. Gelaſii Codex, & quidem a typographicis mendis, quæ in primam editionem irrepſerant, repurgatus; novorum, quantum typothetarum incuria, quam experimur nec beneficiis, nec prece, nulla denique arte vinci omnino poſſe, aut rei ipſius difficultas patitur, expers: ad veterem inſuper Mſ. membranam, quæ in Regio-Vaticana Bibliotheca ſervatur ſub numerico ſigno 316 diligentiſſime recenſus. Ut autem legentium commodo conſulerem, eas recenſiones ad fidem exemplariorum, eaſque caſtigationes ex collatione cum aliis Eccleſiaſticis libris promtas, quas Thomaſius ſeorſim ad libri calcem repoſuerat, ſuis locis, atque ſingulis in paginis ad inferiorem marginem ut collocarentur, voluimus. Una cum illis eumdem in marginem imprimi curavimus novas, nec antea editas Thomaſii adnotationes, quas ipſemet ſuo calamo deſcripſerat in margine exempli a ſe vulgati Gelaſiani Codicis, & in charta margini eidem adjecta, aut libri foliis interpoſita. Exemplo illo uti nobis licuit in Bibliotheca ampliſſimi Card. Paſſionei, ubi adſervatur. Quæcumque igitur eo in autographo leguntur heic exhibemus. Et ne cum aliis recenſionibus aut caſtigationibus illa confunderentur, alphabeti litteris locum, ad quem ſingula ſpectant, deſignantibus, aſteriſcum addi mandavimus. Quare quæ ſolitariis litterarum elementis notantur, vetera ſunt & ad primam adtinent editionem; quæ vero littera aſteriſco ornata, nunc primum vulgantur. Ad hæc Gelaſiana ſæpe exegimus & ad Gregoriana exempla, quæ publici juris fecere Pamelius atque Menardus, quæque leguntur in memoratis ſupra Mſ. Codicibus Ottoboniano & Regio-Vaticano. In his enim aliiſque ſimilibus, licet ordine alio diſpoſita, Gelaſianis affinia multa inveniuntur. Adnotationes etiam de noſtro addidimus iis in locis, quibus ſe ſe nobis occaſio tulit; eaſque numericis Arabum ſignis, quemadmodum alibi præſtitiſſe nos conſtat, diſtinximus. Erit fortaſſe qui queratur, opineturque multo plura in ſingulari tantæ antiquitatis monumento obſervari debuiſſe, quam quæ obſervata a nobis ſunt. Id ſane nec inficias imus, diſſimulare nec volumus: ſed quominus plura adnotaremus, obſtitit tum ſatis otii nobis non fuiſſe, ut de ſingulis locis & verbis ſerio atque meditato cogitaremus; tum etiam Viri hoc in ſtudiorum genere doctiſſimi D. Hugonis Menardi eximiæ in Gregorii Sacramentarium obſervationes; quibus omni eruditionum genere non ſolum ornata, ſed & exhauſta dicerem ea fere omnia, quibus Gelaſii Sacramentarium inluſtraretur. Illas exſcribere neque neceſſitas ulla fuit, neque decor; in melius emendare præſtantiſſimi auctoris doctrina non permiſit. Ad hæc alte animis nobis inſidet, ſatius eſſe ſcribentem paucis ſe expedire, quam pluribus movere legenti faſtidium. Quæ igitur novam adornando Gelaſiani hujus Operis editio-

nem ſcribere aut potuimus , aut libuit ; ſi æqui bonique fiant , pergratum nobis erit ; noſque operam haud perdidiſſe fatebimur .

XXV. *Iis expeditis , quæ de Gelaſii Codice præfari oportebat , reliquum eſt ut de gallicano veteri ritu agam ; cujus ritus tria ſunt in præſenti volumine priſcæ ætatis Miſſalia . Fateatur heic quilibet neceſſe eſt , occaſionem mihi adeſſe, qua moneor de loco idoneo ad perveſtigandum, quibus e fontibus origo ac proprietates omnes ejuſmodi ritus apud veteres Gallos manaverint . Verum actum agam , ſi ea de re tractationem inire ſuſcipio , poſtquam Viri doctiſſimi illius inquiſitionem ſuis fere numeris omnibus abſolutam nobis tradidere . Et originem quod attinet, Jo. Mabillonius* [1], *atque Petrus le Brun* [2], *inter ceteros ſolertiſſimi duo ſacrorum rituum , veterumque Eccleſiæ morum indagatores , illam propalam ita detexiſſe videntur , ut exoptabilius aliquid eo in genere vix dari poſſe crediderim . Quare pro inſtituti noſtri ratione illorum veſtigiis inhærentes animadvertere ſatis erit , eum ritum apud Gallos viguiſſe antequam Caroli Magni precibus motus Adrianus primus Romanus Pontifex ad Gallos mitteret Gregorii Magni Sacramentarium ; & Imperator ille ſtatueret* [3], *ut Gallorum* unuſquiſque presbyter Miſſam ordine Romano cum ſandaliis celebret . *Tantam vero ejuſdem ritus antiquitatis opinionem Gallis inſediſſe patet , ut Gregorius Turonenſis de Miſſa Gallicanæ lectionibus agens adfirmare non dubitet* [4]; *illas eas eſſe,* quas canon ſanxit antiquus . *Unde doctis viris notatum , & præcipue clariſſ. Theoderico Ruinart adnotationibus in eum Gregorii locum , toto cælo a veritate aberraſſe eos , qui rebantur a Mozarabico Hiſpanorum , Gallicanum Ordinem prodiiſſe ; quandoquidem veriſimilis opinio eſt, Hiſpanorum ritum , quamvis non longe a v Eccleſiæ ſæculi initiis Hiſpaniam invadentibus Alanis , Suevis , Vandalis , ac Gothis potiſſimum , originem ſuam agnoſcere ; primores tamen inſtitutores habere Leandrum atque Iſidorum ſanctiſſimos ſeptimi ineuntis Eccleſiæ ſæculi Epiſcopos ; qua de re videri poterunt Baronius* [5] *atque Mabillonius* [6]. *Hilduinus inſuper celebris ille Monachorum Abbas , qui initio noni a Chriſto ſæculi aulicis etiam Regum Francorum negotiis ſeſe immiſcebat , diſerte ait* [7] *Gallos Ordinem ſuum ab initio receptæ fidei habuiſſe . Ad hæc , non deſunt qui Gallicanos ritus ſe contueri autument*

(1) *Liturgiæ Gallicanæ primis Lib.* I *capitibus .*

(2) Explication des Prieres & des Ceremonies de la Meſſe , *Tom.* II , *Diſſert* IV , *art.* I.

(3) *Capitul. Regum Francorum lib.* V , *cap* 71 , *Tom.* I , *pag.* 403.

(4) *De Vitis Patrum cap.* XVII , *col.* 1234 *edit. nova Pariſien.*

(5) *Ad annum* DCXXXIII.

(6) *Liturg. Gall. lib.* I , *cap.* IV , *num.* 8.

(7) *In Epiſtola ad Ludovicum Imperatorem ſuis de Dionyſio Areopagita Commentariis , quos Areopagitica vocant , præmiſſa : illius autem hæc ſunt verba :* Antiquiſſimi & nimia pene vetuſtate conſumpti Miſſales libri continentes Miſſæ Ordinem more Gallico , qui ab initio receptæ fidei uſu in hac occidentali plaga eſt habitus , uſquequo tenorem , quo nunc utitur , Romanum ſuſceperit .

ment [1] *in epiſtola, quam* XIV *kal. April. dedit Innocentius primus ad Decentium Eugubinum Epiſcopum* [2], *quod capitibus* I *&* II *quaſdam in Miſſæ celebratione ritus* [3] *improbet; quos & Gallis in moribus fuiſſe conſtat. Ad hæc ipſos etiam ejuſdem ritus inſtitutores nobis deſignant* [4] *ſagaciſſimi illi viri, S. Hilarium Pictavorum Epiſcopum* [5], *Muſæum Maſſilienſem Presbyterum* [6], *Salvianum Presbyterum itidem Maſſilienſem* [7], *& Sidonium Arvernorum Epiſcopum* [8]. *Verum quum omnia, quæ antiquiſſimi illi Viri de Miſſæ ſacro ritu ſcripſere aut interierint protinus, aut abſconſa deliteſcant adhuc; meo animo aliqua, nec parva obſcuritatis nebula argumento ejuſmodi affunditur. Et ſi illud nihilominus non reſpuendum, eos diceremus potius inſtauratores, atque reformatores, quam inſtitutores gallicani ritus; eo ferme modo quo Romani Curſus reſpectu inſtauratores dicimus Gelaſium atque Gregorium. Circa originem & antiquitatem gallicani ritus, retur præſtantiſſimus* le Brun [9] *illum ab Oriente in Occidentem migraſſe, tum ob quamdam quam præfert cum Græcorum Liturgiis ſimilitudinem, tum quod conſtet primos in Galliis Epiſcopos natione Græcos fuiſſe. Conjectura probabilitate non caret. Cui veriſimilitudinem conciliat & ſimilitudo, atque in pleriſque conſenſus ejuſdem gallicani ritus cum Mozarabo, quem de Græcis Eccleſiis; de Conſtantinopolitana potiſſimum, deſumta multa retinuiſſe liquet ex iis, quæ de Ulphila Gothorum Epiſcopo, antequam iſti Rodano trajecto Thraciam occuparent, narrantur ab Ammiano Marcellino* [10], *& a Sozomeno* [11]; *ex iis præterea quæ Johannes Chryſoſtomus, Gothorum Eccleſiæ amantiſſimus, de Unila altero illorum Epiſcopo, ad Olympiadem ſcripſit* [12]. *Ex eo fortaſſe capite enatum principio eſt inſigne illud diſcrimen, atque diſſonantia romanos inter atque gallicanos ſacrorum ritus: videmus enim unamquamque gentem, ac ſingulos fere homines propriis moribus addictos adeo repe-*

(1) *Vide Petrum Le Brun loco cit. pag.* 232, *num.* 7.

(2) *Apud Petrum Couſtant, Epiſtola Rom. Pontif. col.* 855.

(3) *Rituum, quos Innocentius reprehendit, duplex eſt caput; alterum, quod alicubi ante confecta myſteria, ſive ante conſecrationem, pacis oſculum ſibi invicem darent: alterum vero quod offerentium, ſicut & illorum pro quibus offerebatur, nomina ante Canonem recitarentur; quod utrumque Miſſæ Gallicanæ convenit.*

(4) *Vide Liturg. Gall. lib.*1 *cap.* IV, *num.*5 *&* 6.

(5) *Floruit Hilarius, uti compertum eſt, circa dimidium* IV *Eccleſiæ ſæculi. De illo narrat Hieronymus in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſcripſiſſe* Librum Hymnorum & alium Myſteriorum.

(6) *Clarus vivebat Muſæus an.Chriſti* CCCCLVIII. *De illo teſtatur Gennadius in cap.*LXXIX *de Viris Illuſtribus, compoſuiſſe* Sacramentorum egregium & non parvum volumen.

(7) *Eodem ſæculo* V, *anno nimirum* CCCCXL *florebat Salvianus Maſſilienſis presbyter; qui ſcripſiſſe narrat Gennadius* homilias Sacramentorum multas, *hoc eſt Mabillonii interpretatione, ſermones inter Miſſarum ſollemnia ab Epiſcopis juxta Gallicanum ritum recitari conſuetos.*

(8) *Florebat Sidonius anno Chriſti* CCCCLXXII, *&* Librum de Miſſis *compoſuit, uti narrat Gregorius Turonenſis Lib.* II *Hiſt. Franc. cap.* XXII, *col.* 73, *cui libro & ſe feciſſe præfationem idem Gregorius teſtatur.*

(9) *Differt.* IV *memorata, art.*1, *num.* 8.

(10) *Lib.*III *&* IV, *cap.* XXXI.

(11) *Lib.* VI, *cap.*XXXVII.

(12) *Epiſt.*XIV,*num.*5,*tom.*III *edit.Pariſ.D.Bernardi Montfoc. pag.*600, *&* 601.

Digitized by Google

reperiri, ut, licet in aliis regionibus tranſportati, quantum fas illis eſt, iiſdem tenacius adhæreant, quam novos adoptare ſe patiantur; imo ſuos potius ab aliis adoptari velint; & faciant etiam, ſi auctoritate polleant.

XXVI. Latiſſimum ejuſmodi diſcrimen fuiſſe manifeſto liquet ex admiratione, qua monachus ille Auguſtinus, quem Gregorius Magnus anno Chriſti IϽXCVI in Angliam miſit, Chriſti Evangelium prædicatum; per Gallias tranſiens, rei nondum ſibi perſpectæ novitate ſtupens, obſervabat Gallos ſacra facere diverſa a Romanis ratione [1]. Quale autem quamtumve illud fuerit ſuis in ſcriptis indicant ſubinde Gallicanæ Eccleſiæ Patres; & præcipue ſub finem ſæculi a Chriſto V Avitus Viennenſis; ſub initium proxime inſequentis ſexti Cæſarius Arelatenſis; & eodem hoc ſæculo ad finem inclinante Gregorius Turonenſis: indicant etiam Galliæ ſacra Comitia ante Caroli Magni Imperatoris ætatem celebrata; indicant & veteris Galliæ, quæ adhuc ſuperſunt, liturgica monumenta. Comperto eſt, horum unum ſe in publicum adſerere inter heterodoxos credidiſſe Matthiam Flaccum Illyricum, quando Argentinæ anno Chriſtiani nominis CIϽIϽLVII, typis Chriſtophori Mylii vulgavit exemplar Miſſæ latinæ de pervetuſta membrana exſcriptum; opus jam varia ſui fortuna, & exemplorum raritate percelebre. At eum, in ſua opinione, qua rebatur exemplar illud nil eſſe aliud, quam veterem Gallicanæ Eccleſiæ Miſſam; licet deceptos adduxerit viros inter catholicos eximiæ notæ, Guillelmum Peyratum [2], & Carolum Cointium [3], a vero tamen, ut & in aliis non paucis, aberraſſe, eſt a multis, a doctiſſimo præſertim Jo. Bona detectum [4]. Eo igitur Illyrici monumento ſepoſito, ſex tantum enumerantur veteris Liturgiæ Gallicanæ libri, huc uſque e Bibliothecarum forulis in publicum vulgati. Eos inter primum ſibi locum vindicant tum ratione temporis, quo omnium primi editi fuerunt; tum rerum dignitate atque præſtantia, tria Miſſalia, Gothicum nempe, Francorum, atque Gallicanum vetus; quæ noſtro hoc in volumine Gelaſii Sacramentarium excipiunt. Quartus in ordine eſt Lectionarius Codicis Luxovienſis [5], mille & amplius annorum vetuſtate inſignis, ab Jo. Mabillonio vulgatus [6]. Quintus Sacramentarium, ſive Miſſale Gallicanum, e veteri annorum iti-

(1) Stuporem demirationemque ſuam Auguſtinus, Beda narrante in Hiſt. Anglor. lib. 1, c. XXVII, Gregorio Magno per litteras his verbis expoſuit: Cum una ſit fides, cur ſunt Eccleſiarum diverſæ conſuetudines, & altera conſuetudo Miſſarum in ſancta Romana Eccleſia, atque altera in Galliarum tenetur.

(2) Vide Peyrati lib. II de Hiſtoria Sacelli Regum Franciæ cap. XIII, pag. 561 & ſequentibus.

(3) Conſulantur illius Annales Eccleſiaſtici Francorum tom. II, ad annum 1961 numer. 20: Una cum illis, eodem in errore verſari conſtat & P. Honoratum a S. Maria, quem vide ſis in opere gallice inſcripto, Reflexions ſur les regles & ſur l'uſage de la Critique tom. III a Lyon M. DCC. XX, pag. 243.

(4) Rerum Liturgic. lib. 1, cap. XII.

(5) Hoc eſt in celebri Monaſterio Luxovienſi repertus.

(6) Lib. II Liturg. Gallic.

Digitized by Google

itidem mille Bobienſi [1] *membrana ab eodem Mabillonio editum* [2]. *Sextus denique vetus charta eſt, quam in tabulario Monaſterii S.Martini Auguſtæ Æduorum repertam nobis dederunt* [3] *D. Edmundus Martene & D. Urſinus Durand, Maurinæ Congregationis in Galliis alumni præclariſſimi. Ea in charta repræſentatur antiqua Miſſæ Gallicanæ Expoſitio, & ipſius chartæ initio a S. Germano, quem circa dimidium ſexti a Chriſto ſæculi Pariſiorum Eccleſiam Epiſcopum rexiſſe conſtat, ſcripta dicitur; ſive prolixioris Epiſcopi illius operis epitomen ſit, uti ad credendum inclinare ſe videntur prælaudati mox ejus Editores* [4]; *ſive compendium duplicis ejuſdem Antiſtitis epiſtolæ, quemadmodum opinatur Petrus* le Brun [5]; *quod eam Expoſitionem excipiat in veteri charta de eadem re agens, ejuſdemque auctoris monumentum aliud inſcriptum* Epiſtola ſecunda; *quo circa ordinem Miſſæ Gallicanæ multa ſuppleri licet, quæ in illa deſiderantur. Hiſce ſi addas ob conſenſum ſimilitudinemve quandam, quam ſupra tetigimus, Mozarabum Liturgiam, fontes habemus omnes, unde gallicani ritus a Romano differentiam diſſonantemque rationem derivare hactenus liceat: qui quamvis tanti fortaſſe non ſint, quanti noſtra hac ſollerti in antiquitatibus indagandis ætate deſiderarentur; certe quanti requiruntur ad denotandum, & extitiſſe olim apud Gallos, ubique in eorum regionibus diffuſum, peculiarem in ſacris peragendis ritum, a Romano longe diverſum; & quam temere ſcriptitarint aliqui* [6] veterem Liturgiam Gallicanam ſingularem, quæ ubique obtinuerit, nullam fuiſſe, cum diverſas ſibi ſinguli Epiſcopi ſingulaque Monaſteria habuerint; & ſi ſingularis quoque aliqua exſtitiſſet, nullum ejus exemplum amplius exſtare poſſe, cum in Liturgiis ſcribendis quivis interpolandi, mutandique res pro ingenio libertatem ſibi ſumſerit.

XXVII. *Iis, quæ indicavimus, monumentis fulti, veteris Miſſæ Gallicanæ partes omnes ordine deſcribere ſuſceperunt recentioris noſtri temporis ſcriptores; quos inter primus nobis occurrit eximius Card. Bona* [7]. *Is priſci ritus gallicani veſtigia legens in veterum ſcriptis, ac præſertim in duplici Mſ. Codice a Thomaſio nondum vulgato* Miſſalis Gothici, *atque* Miſſalis Gallicani veteris,

(1) *Bobbio nimirum in Ducatu Mediolanenſi reperta, cujus Cathedralis Eccleſia inſigne olim fuit a S. Columbano ædificatum Monaſterium.*

(2) *Ad calcem tom. 1 Muſei Italici.*

(3) *Tom. v Theſauri novi Anecdotorum pag. 91.*

(4) *In Admonitione prævia ad eamdem chartam ejuſdem Theſauri pag. 90.*

(5) *Diſſert. iv memorata, artic. 11, tom. 11 pag. 240.*

(6) *Eorum unus invenitur Matthias Chriſtoph. Pfaffius in ea de Liturgiis Diſſertatione, cujus in antiquitatem Gelaſii Codicis errorem ſupra refutavimus. Ad rem præſentem vide cap. 11, § v. Alter Jo. Franciſcus Buddeus in Iſagoge ad Theologiam univerſam libri poſterioris cap. v, p. 764, ubi Pfaffium ſequens inepte prorſus ait veterem li*turgiam gallicanam, quæ ubique obtinuerit, fruſtra quæri, cum revera nulla fuerit.

(7) *Rerum Liturgic. lib. 1, cap. 12.*

veteris, *operi manum admovit; nec ſine laude; maxime ſi rationem* [1] *habeas illius ætatis, qua omnium ſere primus de rebus hiſce difficillimis ſcribebat homo ſufficienti documentorum copia deſtitutus. Eidem operi poſt Johannem Bona adlaboravit & clariſſimus Mabillonius* [2], *cui datum eſt & vulgatis a Thomaſio libris uti, & Luxovienſi Lectionario. Mabillonium ſequitur alter Maurinæ Congregationis alumnus doctrina celebris D. Theodericus Ruinartus, tum in Præfatione* [3] *ad S. Gregorii Turonenſis Opera; tum etiam in horum Appendice* [4]*: ubi veſtigia plerumque premens doctiſſimi Mabillonii, & ſolum in paucis ab eo recedens, integram exponit Gallicanam Miſſam doctis ſubinde animadverſionibus inluſtratam. Eumdem deinde in ſe laborem ſuſceperunt Theſauri novi Anecdotorum memorati non ſemel Editores, in ea, quam veteri S. Germani Miſſæ Gallicanæ Expoſitioni præmiſerunt,* Admonitione prævia. *Hi novo edocti monumento multa in eorum, quos ſupra laudabam, ſtudiis emendarunt; quæ ſane tanto ſunt illis potiora, quantum & novum illud momentum fidei atque auctoritatis meretur. Demum præteriri non debet Petrus le Brun, qui ſtudium tot jam ſcriptis explanatum pro inſtituti ſe operis ratione renovavit* [5]. *Illud & nos renovaturi hoc in loco ſumus, cujus rei præſtandæ ſi rationes aliæ deſint, una certe nos cogit, quæ par eſſe videtur, ut veteris Galliæ Miſſalia præeat Gallicanæ Miſſæ paucis ſaltim enucleata deſcriptio.*

XXVIII. *Miſſa igitur apud veteres Gallos, quemadmodum & a Cæleſtini primi temporibus in Romana ſervatum eſt Eccleſia, juxta S. Germani chartam ab* Antiphona, Verſu Pſalmi, & Gloria Patri [6] *incipiebat. Eam antiphonam, quam nos* ad Introitum *dicimus, S. Germanus appellat* de prælegere, *cujus denominationis interpretationem ab eodem fortaſſe accipere poſſumus,*

(1) *Ad eam fortaſſe rationem non reſpexerunt docti Editores Theſauri novi Anecdotorum, dum tom. v, pag. 86. in Admonitione prævia ad veterem Miſſæ Gallicanæ Expoſitionem memorato Card. Bona labori, ſubjunxere:* Sed hæc pro rei dignitate & magnitudine levia ſunt, multo felicius rem exſequutus eſt vir multæ eruditionis Joſephus Thomaſius, qui Romæ tres veteres Codices Liturgiæ Gallicanæ ex Bibliotheca Reginæ Sueciæ typis mandavit. *Multum quidem de ſuſcitata Liturgia Gallicana jacente, & pene deperdita memoria promeritus eſt Thomaſius; at nil derogandum exiſtimationi egregii Viri, quem Thomaſio viam ſtraviſſe novimus. Ad hæc longius diſtant a ſe invicem, ordinem ritus alicujus de monumentis eruere, & monumenta ipſa vulgare, ut unum præ alio levius dici queat.*

(2) *Liturg. Gallic. integro capite v lib. 1.*

(3) *A numero nimirum 41 uſque ad integrum numerum 47.*

(4) *Col. 1357. & aliis inde ſequentibus.*

(5) *Eadem prælaudata Diſſert.* IV, *art.* III.

(6) *Hymnus ille* Gloria Patri *&c. dicebatur a Gallis iiſdem omnino verbis, quibus & nunc temporis, uti patet ex Greg. Turon. Hiſt. Francor. lib.* VI, *cap.* XL, *col* 316. *Eidem additam fuiſſe clauſulam* ſicut erat in principio *&c. ſaltim poſt annum Chriſti* DXXIX, *patet ex can.* V *Concil.* II *Vaſenſis. Eumdem fuiſſe & antiquis Hiſpanis Miſſam incipiendi rationem prodit* Miſſale Mozarabum, *in quo* Officium *vocatur, quod Gallis juxta S. Germanum dicebatur antiphona* de prælegere, *& nobis una cum vetuſtis Gregorianis Antiphonariis* ad Introitum.

Digitized by Google

ſumus, *qui ea in charta, epiſtola ſecunda de illa ait*: Antiphona autem dicta, quia prius ipſa ANTEPONITUR, & ſic ponetur Pſalmi verſiculum [1] cum gloria Trinitatis adnectetur. *Cetera dum ea omnia Chorus canebat Sacerdos Sacrum facturus de Secretario ad Eccleſiam & Altare procedebat*, *& quidem ejuſdem chartæ teſtimonio ea de re ajente*: ita pſallentibus clericis procedit Sacerdos in ſpecie Chriſti de ſacrario, tanquam de cælo in arca Domini, quæ eſt Eccleſia.

XXIX. Antiphona, verſu Pſalmi, *&* Gloria Patri *abſolutis, & Sacerdote, ut opinor, ad Altare accedente, Diaconus populo ſilentium indicebat; hujuſmodi ritus mentio occurrit apud Gregorium Turonenſem* [2], *quamvis ejuſdem ſervandi locus non indicetur. Silentibus cunctis Sacerdos plebem ſalutabat dicendo* Dominus ſit ſemper vobiſcum; *cui reſpondebatur* Et cum Spiritu tuo. *Heic orationem ſive collectam ſubjici a Celebrante, & a populo flexis genibus excipi debuiſſe, docent Mabillonius* [3] *atque Editores chartæ S. Germani* [4]; *qui ut illud adſtruant teſtimonio ducuntur S. Cæſarii deſumto a ſermonibus illius, qui in Appendice novæ Operum S. Auguſtini editionis leguntur. Verum ejus Collecta nullum apud veterem S. Germani chartam exſtat indicium, nec Cæſarius præſentem Miſſæ locum indicat, & quod caput eſt, ea nullibi legitur vetuſtis in Miſſalibus Gallicanis; quæ tamen Miſſalia alias Collectas omnes nobis exhibent. Quare ea miſſa clariſſimorum virorum opinione, S. Germanum ſequentes, credimus mutuam Sacerdotis ac populi ſalutationem excepiſſe Chorum* Triſagion *græce & latine canentem. Quo autem modo hymnus ille,* Triſagion *dictus, exprimeretur; an juxta ritum Mozarabum, cujus maximam cum Gallicano ſimilitudinem fuiſſe diximus, canendo* Agios, Agios, Agios, Domine Deus rex æterne, tibi laudes & gratias; *an potius juxta ritum Romanæ Eccleſiæ in Paraſceve,* Agios o Theos, Sanctus Deus; Agios Iſchyros, Sanctus fortis; Agios Athanatos eleyſon imas, Sanctus immortalis miſerere nobis; *qua inquam ratione exprimeretur me latet. A Præſule Eccleſiæ juxta S. Germani chartam, hoc eſt ab eo qui primas in choro tenebat, Triſagu cantus ordiebatur, ceteris de clero proſequentibus deinde: quorum cantum finito hymno illo proſequebantur parvuli numero tres inſonantes* [5] Kyrie elei-

(1) Verſiculum, cum, *ita vetus monumentum, legerem potius* verſiculus, cui.

(2) *Lib.* VII *Hiſt. cap.* VIII, *ubi legimus*, Unde factum eſt, ut quadam die Dominica, poſtquam Diaconus ſilentium populis, ut Miſſæ auſcultarentur, indixit. *&c.*

(3) *Liturg. Gallic. Lib. I, cap.* V, *num.* 5.

(4) *In Admonit. prævia ad eamdem, num.* 4.

(5) *S. Germani charta.* Tres autem parvuli qui uno ore ſequentes Kyrie eleiſon *&c. Concil. Vaſenſe* II, *can.* III *ait*: Et quia tam in Sede Apoſtolica, quam etiam per totas Orientales, atque Italiæ provincias, dulcis & nimium ſalutaris conſuetudo eſt intromiſſa, ut Kyrie eleiſon frequentius cum grandi affectu & compunctione dicatur; placuit etiam nobis, ut in omnibus Eccleſiis noſtris iſta tam ſancta conſuetudo & ad Matutinum & ad Miſſas, & ad Veſperum Deo propitio intromittatur.

eleiſon. *Mabillonius*[1] *hoc in loco vult poſt græcam illam deprecationem plures repetitam, aliquando, pro temporum ſcilicet ratione, Gallos reſonare canendo conſueviſſe hymnum Angelicum* Gloria in Excelſis Deo. *Rem, ut nullo nixam fundamento, inficiantur Martenius*[2] *&* Le Brun[3]. *Et ſane nil fieri in præſentia merentur, quæ illi ad evincendum adducunt Gregorii Turonenſis loca*[4]. *At in Sacramentario Codicis Bobienſis ponitur hymnus ille cum hac inſcriptione:* Gloria ad Miſſam decantanda, *quod non ſatis bene eſt a Martenio obſervatum. Is enim credidit eo in Sacramentario hymnum de quo agimus, inter illa reponi, quæ finita Miſſa in gratiarum actionem recitantur: quod falſum omnino. Et primo quidem inſcriptio ipſa contrarium ſuadet: deinde ea, quæ Miſſam, cui titulus* Miſſa Romenſis quotidiana, *in Bobienſi Codice ſequuntur; & quæ inter noſter hymnus legitur, ad gratiarum poſt Miſſam actionem non attinent; ſed varia ſunt eadem in Miſſa quotidiana pro temporum varietate recitanda vel canenda. Sic eo in loco invenitur* Oratio poſt Precem; Collectio poſt Ajos, *ſive* Agnus; Collectio poſt benedictionem, *quæ porro ſunt Miſſæ Gallicanæ partes, non gratiarum poſt Miſſam actio. Neque eſt, cum Petro* le Brun *dicendum; ritum illum pertinuiſſe ad Eccleſiam aliquam, quæ Romanum in ſacris morem jam adoptaverit. Nam Miſſa, cui illius veluti partes ea ſubjiciuntur, Gallicano veteri ritu integre exponitur. Nec obſtare poteſt quod* Romenſis[5] *in titulo eadem Miſſa vocetur; non enim tituli ſed ritus heic rationem reſpicimus. Si igitur Bobienſi Codici fides, Angelicus hymnus aliquando ſaltim apud veteres Gallos in Miſſarum ſollemniis decantabatur; quod confirmat Mozarabici ritus conſenſio, non ſolo Miſſalis Card. Ximenii opera vulgati teſtimonio, ſed Etherii inſuper atque Beati, qui anno Chriſti* IↃCCLXXXV *in Felicem & Elipandum ſcribentes diſerte ajunt*[6]: Sic in Miſſa non ſolum Dominicis diebus, ſed etiam quibuſcumque Feſtivitatibus GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBUS conclamamus. *Quo autem in Miſſæ loco, Galli hymnum illum decantare conſueverint, ſi Mozarabum Miſſale excipias, a quo in præſenti reponitur, veterum documentis non conſtat. Nec quod heic de illo egerim, putetur velim me adfirmare ſtatim poſt* Kyrie eleiſon, *quamquam ut id credam inclinet animus, decantatum fuiſſe.*

XXX. *Sequebatur deinde Canticum Zachariæ,* Benedictus Dominus Deus

(1) *Liturg. Gall. Lib. I, cap. v, num. 3.*

(2) *In eadem Admonit. prævia num. 2.*

(3) *Adlegata Diſſert. iv, Art. iii, Tom. ii, pag. 252.*

(4) *Ex cap. nimirum xxxiv, Lib. I de Gloria Martyrum, & ex cap. xxv lib. II de Miraculis ſancti Martini: quibus certe locis narratur hymnum illum, aut a Clero, aut ab univerſo populo decantatum in Eccleſia fuiſſe pro gratiarum de receptis beneficiis actione; non vero de Miſſa agitur.*

(5) *Conſuli poterunt quæ de ea appellatione dicta a nobis ſunt infra ad pag 338.*

(6) *Lib. I: Biblioth. Patrum Tom. xiii, pagina 370.*

Deus Iſrael &c. *quod Sacerdos celebrans cantare incipiebat* [1] *, proſequente alternis vocibus Clero . Idem canticum in S. Germani Expoſitione vocatur* Prophetia *. Unde intelligimus , quid ſibi velit in antiquis Miſſæ Gallicanæ libris inſcriptio illa orationis* Poſt Prophetiam *; eſt enim Collecta , quæ a Sacerdote dicebatur abſoluto cantico de quo agimus , quamve Mabillonius & Ruinartus , eo S. Germani monumento deſtituti , errantes credidere primam ex veteri Teſtamento Lectionem excipere debuiſſe . Cetera prælaudatum canticum in Quadrageſima omittebatur dicente eodem S. Germano ,* [2] Sanctus Deus archangelorum in quadrageſimo concinetur , & non canticum Zachariæ. *Finita Collecta poſt Prophetiam duas Lector* [3] *pronunciabat Lectiones, ex veteri Teſtamento unam , ex novo alteram ; & quidem & de Apocalypſi tempore Paſchali . In Sanctorum feſtivitatibus & illorum Acta legebantur , juxta vetuſtiſſimum & aliis in Eccleſiis receptum morem, apud ſacrarum antiquitatum Scriptores* [4] *celebrem . Ea Acta legendi locus erat ante Lectionem divinarum Scripturarum : imo & illum occupaſſe, alias deſtinatum Lectioni Veteris Teſtamenti, veriſimile videtur . Primum illud colligitur ex Gregorio Turonenſi cap.* LXXXVI *Lib.* I *de Gloria Martyrum , ubi ait :* Dies paſſionis erat Polycarpi martyris magni , & in Ricomagenſi vico civitatis Arvernæ ejus ſollemnia celebrabantur . Lecta igitur paſſione cum reliquis Lectionibus , quas canon Sacerdotalis invexit &c. *Paſſionis igitur lectio reliquas præcedebat lectiones. Idem apertius declarat prælaudatus Gregorius in lib.* I I *de Miraculis S.Martini cap.* XLIX *; in quo conceptis verbis narrat* [5] *Lectorem in Miſſæ ſollemniis ſuum legendi munus incœpiſſe a Vita S. Confeſſoris , cujus feſtivitas habebatur . Ad hæc Paſſiones & Geſta Sanctorum legi loco primæ Lectionis de veteri Teſtamento conjici poſſe videtur , quod in Sacramentario Bobienſi , & Luxovienſi Lectionario unica plerumque in Sanctorum feſtivitatibus deſignetur ex novo Teſtamento Lectio , quum in aliis omnibus Miſſis duæ perpetuo ponantur .*

XXXI. *In-*

(1) *Illud ita fieri conſueviſſe colligitur ex Greg. Tur. Lib.* VIII *Hiſt. cap.* VII, *hiſce in verbis :* Adveniente quoque die Dominico , Rex Eccleſiam ad ſpectanda Miſſarum ſollemnia petit : fratres vero conſacerdoteſque qui aderant , locum Palladio Epiſcopo ad agenda feſta præbuerunt . Quo incipiente Prophetiam Rex interrogat *&c. Alternis deinde vocibus Clerum ſubcinniſſe conſtat ex Charta S. Germani.*

(2) *Eadem in charta , in epiſtola ſecunda ,*

(3) *Lectoris , non Subdiaconi , uti vellet Mabillonius Liturg. Gall. Lib.* I , *cap.* V , *num.* 5 , *Lectiones legere munus fuiſſe patet ex Greg. Turon. Lib.* II *de Miraculis S. Martini cap.* XLIX , *ubi legimus :* Denique Sacerdotibus qui advenerant , ad agenda ſollemnia procedentibus , cum LECTOR , cui legendi erat officium , advenisſet , & accepto libro , vitam ſancti cœpiſſet legere Confeſſoris &c.

(4) *Inter illos videri poteris Ruinartus Præfat. ad Acta Martyrum ſincera num.* 5 , *pag.* IV. *edit. Amſtelæd. anni* CIƆIƆCCXIII ; *& adnotatione ad cap.* LXXXVI *Lib.* I *de Gloria Martyrum Greg. Turon. Vide & Ed. Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus Lib.* I , *Art.* IV , *num.* II . *Iſtis adde , ſi lubeat , & Caſparem Sagittarium in ſingulari Opere de Martyrum Natalitiis in primitiva Eccleſia cap.* IV , *num.* XIII , *pag.* 93 *edit. ſecunda Francofurti & Lipſiæ anni* MDCXCVI.

(5) *S. Gregorii locum vide in ſuperiori adnot.* 3.

Digitized by Google

XXXI. *Inter illas, quas memorabam modo Lectiones, nil prorſus cantari, aut quovis modo recitari conſuevisſe denotat S. Germanus, qui de iiſdem agens, eas nullo interpoſito ritu ſimul jungit. Micrologus etiam de illis Miſsis agens, quibus ſua ætate mos remanſerat duplicem ante Euangelium ponendi lectionem, ait:* [1] duæ lectiones leguntur continuatim ad Miſſam, ut in Nativitate Domini. *At contra eſt unicum documentum Luxovienſis Lectionarii in Miſſa Nativitatis Domini, ubi inter Iſaiæ lectionem, & D. Pauli epiſtolam ſcriptum legimus* DANIHEL CUM BENEDICTIONE, *quæ certe verba ſignificant hymnum trium puerorum* Benedicite omnia opera Domini Domino; *& locum, in quo leguntur, niſi veteris librarii errorem ineſſe dicamus, exerto veluti digito nobis demonſtrat; inter primam nempe atque ſecundam lectionem hymnum illum eſſe canendum. Petrus* le Brun [2] *ſuſpicatur circa locum illius hymni cantus, diſcriminis aliquid inter Galliarum Eccleſias interceſſiſſe; & aliquibus eum veluti medium uſurpantibus inter utramque lectionem, aliæ iis abſolutis retinerent. Quodcumque ea de re judicium feras, trium puerorum hymnus a S. Germano reponitur inter ſecundam Lectionem atque Euangelium. De illo ſanctionem habemus Synodi Toletanæ* IV, *quæ can.* XIII *decrevit,* ut per omnes Hiſpaniæ Eccleſias, vel Galliæ, in omnium Miſſarum ſollemnitate decantetur hymnus trium puerorum in pulpito. *Ultimæ hujus circumſtantiæ de cantu in pulpito, nullum nobis eſt noſtris in monumentis veſtigium. Martenius* [3] *vult hymnum, de quo agimus, cantari debuiſſe ad modum Reſponſorii, atque de illo Gregorium Turonenſem interpretatur dicentem cap.* III *Lib.* VIII *Hiſtor. Franc.* jubet Rex ut diaconum noſtrum, qui ante diem ad Miſſam pſalmum reſponſorium dixerat, canere juberem. *Attamen S. Germani teſtimonio decipitur vir doctus, quo teſtimonio dicitur inter hymnum & Euangelium Reſponſorium eſſe a parvulis canendum. Heic nova emergit diſſonantia inter Gregorium ajentem diaconum cantaſſe Reſponſorium, & Germanum officium ejuſmodi parvulis deputantem; quam fortaſſe in re non magni ſane momenti, tribuere debemus variis inter Galliarum Eccleſias eodem in ritu ſervando conſuetudinibus.*

XXXII. *Comitantibus ordine ſeptem vel quinque, opinor de Clero, cum totidem candelabris, ritu ſollemni procedebat Diaconus ad* [4] *analogii tribunal, hoc eſt* ambonem *vel* pulpitum, *Euangelium cantaturus; dum interea temporis*

(1) *De Eccleſiaſticis Obſervat. cap.* III.

(2) *Art.* III *ejuſdem Diſſert.* IV.

(3) *Memorata Admonit. prævia num.* 7.

(4) *Ita S. Germani charta ajens.* Egreditur proceſſio ſancti Euangelii velut potentia Chriſti triumphantis de morte cum prædictis armoniis, & cum ſeptem candelabris luminis, quæ ſunt ſeptem dona Spiritus Sancti, vel V, legis lumina myſterio Crucis confixa, aſcendens in tribunal analogii, velut Chriſtus ſedem regni paternæ (*ita vetus monimentum pro* paterni) ut inde intonet dona vitæ, clamantibus clericis Gloria tibi Domine.

poris chorus exſultantis animi ſigna promebat, Triſagium *reſonando eadem ratione, qua ſupra decantatum idem fuerat. Incipiente Diacono ſanctam Euangelii lectionem inſonabat Clerus* Gloria tibi Domine. *Eodem deſinente & ab analogio redeunte, denuo modulantibus clericis* Triſagium *audiebatur. Rememorare juvat in præſenti Concilium Vaſenſe* II *decreviſſe can.* III, ut in omnibus Miſſis, ſeu in Matutinis, ſeu in Quadrageſimalibus, ſeu in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, ſemper SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS eo ordine, quo modo ad Miſſas publicas dicitur, dici debeat. *Hoc in Miſſæ Gallicanæ loco Epiſcopus ſermonem ad populum habebat; & ſi per infirmam valetudinem id ſibi non liceret, vel forte tardioris eſſet linguæ, homiliæ vel ab eodem Epiſcopo compoſitæ, vel ab* [2] *aliis, legebantur; a quo autem legerentur, an ab ipſo Epiſcopo, an a Diacono me latet. Notari maxime merentur verba, quibus S. Germani charta hunc enarrat ritum; ait:* Homelias autem Sanctorum quæ leguntur, pro ſola prædicatione ponuntur; ut quidquid Propheta, Apoſtolus, vel Euangelium mandavit, hoc doctor vel paſtor Eccleſiæ apertiori ſermone populo prædicet; ita arte temperans, ut nec ruſticitas ſapientes offendat, nec honeſta loquacitas obſcura ruſticis fiat.

XXXIII. *Homiliam apud S. Germanum ſequitur ritus alter inſcriptus* De Prece: *in Miſſalibus quoque Gallicanis* Collecta *occurrit* poſt Precem *dicenda. Illum interpretantur Martenius & Petrus* le Brun *de nonnullis precibus, quæ fiebant pro Catechumenis, antequam de templo juxta vetuſtiſſimum Eccleſiæ morem, ante Oblationem, dimitterentur. Eiſdem de precibus accipiendus & canon* VI *Concilii Lugdunenſis anni a Chriſto* IↃXVII, *in quo homini ac mulieri quibuſdam publice pœnitentibus permittitur, ut Miſſæ ſacro interſint,* uſque ad Orationem plebis, quæ poſt Euangelia legeretur. *Quomodo autem preces illæ ſe haberent apud veteres Gallos, quidve eſſent, non conſtat. Harum ritum ab illo, quem in Conſtitutionibus Apoſtolicis habemus* [3], *haud abſimilem multo fuiſſe, conjectura eſſe poſſet; quod in utroque Diaconi munus inveniatur, ut preces ſuper Catechumenos fundat, & eas a Sacerdote, qui Miſſam celebrat, prolata oratio ſive collecta excipiat. Egreſ-*

ſis

(1) *Eadem charta*: Tunc in adventu S. Euangelii clero modulamine denuo pſallet clerus AIUS. En *quid ſint armoniæ, cum quibus juxta ſuperius teſtimonium Diaconus procedebat.*

(2) *Superiori adnotatione* (7) *pag.* XLV, *diximus Salvianum Maſſilienſem presbyterum homilias ab Epiſcopis inter Miſſarum ſollemnia recitandas compoſuiſſe multas. Clariſſ. Ruinartus ad hunc chartæ S. Germani locum animadvertit, Cæſarium Arelatenſem Antiſtitem, ut in ejus Vita narratur, quum propter valetudinem jam concionari per ſe non poſſet, a Sacerdotibus atque Diaconis ſermones proprios, aut ſanctorum Ambroſii, Auguſtini, ſive aliorum conciones, recitare feciſſe.*

(3) *Lib.* VIII, *cap.* VI, *pag* 397 *Tom.* I *Patrum Apoſtolic. edit.* Joannis Clerici *Amſtelaed. an.* M. DCC. XXIV.

ſis igitur de Eccleſia Catechumenis, & ſolis in ea remanentibus fidelibus, ſilentium iterum indicebatur. Editores Theſauri novi Anecdotorum [1] arbitrantur a Diacono indictum illud fuiſſe, quod ut veriſimile habeo, maxime quod Miſſæ initio, ut ſuperius dixi, Sacerdote ad altare accedente, S. Germani charta adfirmet Diaconum ſilentium ut fieret, præcipere debuiſſe. Cetera eadem charta hoc in loco, quamvis ſilentium indictum memoret, a quo tamen indiceretur, notare prætermittit.

XXXIV. Initium attingimus jam illius in ſacro ritu partis, quæ, quia ſoli aderant fideles, Miſſa fidelium dicebatur. Hanc inchoabat Sacerdos peculiari adhortatione ſingulis Miſſis propria, & Præfatio Miſſæ a Gallis vocata, a Mozarabis Miſſa, & aliquando Oratio; qua populum monebat vel de diei ſancta ſollemnitate, vel de cæleſtibus donis eadem die a Deo petendis. Noſtris in Miſſalibus, in Gothico præcipue, ab ea Præfatione Miſſarum officia plerumque incipiunt. In Codice etiam Bobienſi poſt Euangelium, officiorum maiori in parte, illa occurrit. Non deſunt tamen in vetuſtis illis membranis Miſſæ, quarum Præfationi Collectæ præmittuntur poſt Prophetiam, & poſt Precem. Hic in antiquis monimentis ordo, ac rerum diſtributio, mirum qui doctiſſimos viros a veritatis tramite devios fecerit, & per illud temporis, quo nondum prodierat vetus S. Germani charta, & poſtquam hæc detecta lucem adſpexit. Jo. Mabillonius cenſuit Præfationem, de qua agimus, recitare Sacerdotem debuiſſe ipſo Miſſæ initio, abſoluta ad Introitum Antiphona, Kyrie eleiſon, & hymno Gloria in excelſis Deo, ſi quando iſte erat dicendus. Ad peculiarem vero certarum dierum ceremoniam & ritum revocavit, ſi aliquando eidem aliquid aliud anteiret; quemadmodum ſubinde contigiſſe aperte denotant illa Miſſarum officia, in quibus primo loco leguntur prælaudatæ Collectæ poſt Prophetiam, & poſt Precem. Verum id ea ratione haud eveniſſe innuimus inter animadverſiones noſtras ad pag. 235. Ad veritatem magis adcedit, & commendatione hac etiam in re dignum invenitur docti Ruinarti ingenium; qui Bobienſis Codicis adtenta edoctus meditatione, hoc in loco poſt Euangelium Præfationem repoſuit. In eo tamen emendatione indiget, quod illam locaverit ante ejiciendi e templo Catechumenos ritum. Memorati ſæpe Admonitionis præviæ ad S. Germani chartam Auctores, melius D. Ruinarti conſilium haud probantes, refutatam pene jam Mabillonii opinionem, inani ratione ſuſcitare ſe crediderunt; adfirmantes antiphonam ad Introitum cum verſu pſalmi, & Gloriam Trinitatis ſequi Præfationem, quod obſervaverint eam antiphonam eadem in veteri charta inſcribi De Prælegere; perinde ac ſi verbum illud poſitum fuiſſet ad denotandum antiphonam ante Præfationem legendam. Horum igitur

omnium

(1) Admonitionis præviæ num. 11.

omnium opinionibus rejectis, ſententia comperta nobis eſto, ſtatuens; Præfationem cum ſua Oratione ſive Collecta poſt indictum, ejectis jam Catechumenis, ſilentium locum ſibi vindicaſſe, quod in ſuperſtitibus Gallicanæ Miſſæ libris ea ordine ſequatur Collectam poſt Precem, *hoc eſt ceremoniam atque ritum Catechumenos e templo removendi.*

XXXV. *Collecta, quæ Præfationem ſequitur, finita, adſtantes panis & vini oblationem ad altare deferebant. De hoc apud antiquos Gallos ritu documentum habemus Concilii Matiſconenſis* II [1] *ſtatuentis*, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis quam vini, ut per has immolationes & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel vel ceteris juſte offerentibus promereantur eſſe conſortes. *Quid vero aliis per hebdomadam diebus fieret, an de oblatione dominico die facta conſecraretur, an nova fieret, comperto nondum mihi eſt. Ruinartus, nullo tamen priſcæ ætatis monimento in medium prolato, vult illis diebus liberum cuique fuiſſe altari oblationem offerre. Dum oblationes ad altare populus offerebat, Chorum interea cantu occupari debuiſſe credere par eſt: quid autem caneretur incertum hactenus eſſe opinor. Laudatus nuper Ruinartus coniicit cantatos fuiſſe pſalmos. S. Germani charta* ſoni *voce nobis obſcure denotat, quid præſenti in loco Clerus cantaret, ait enim*: Sonum autem, quod canetur quando procedit oblatio. *Martenio* [2], *atque Petro* le Brun [3] *placet ea voce ſignificari* antiphonam, *quæ noſtri temporis* Offertorio *reſpondeat. Quæ ſane in re id notetur maxime velim, quod de Miſſa Romana veteri eſt a Thomaſio noſtro obſervatum* [4]: *eatenus nimirum a choro cantum protrahi debuiſſe, donec populus oblationibus offerendis detineretur. Idem, ni fallor, denotaſſe nobis videtur S. Germanus dum dixit*, Sonum quod canetur, quando procedit oblatio. *Quod ſi verum, conjectura inde oritur non levis, neque unam antiphonam, neque unicum fortaſſe pſalmum ſatis eſſe potuiſſe, ut canendo integrum illud tempus impleretur.*

XXXVI. *Mos fuit majoribus noſtris ut ſollemnem Miſſam haud quaquam celebrarent, quin ex precedentis diei ſacrificio Euchariſtiæ Sacramentum de Sacrario, vel Secretario; aut de eo loco, quocumque nomine iſte conferetur, in quo adverſari illud conſueverit, deportatum Altari imponeretur. Id in moribus illas habuiſſe opinor, quod crederent Euchariſtici Sacramenti præſentia novum Sacrificium ſanctificationem quamdam benedictionemve percipere;*

(1) *Celebrati anno Chriſti* DLXXXV. *Vide Canonem* IV, *Tom.* VI *Labbeanae Collectionis* pag. 674 *edit. Venet.*

(2) *Admonit. præv. num.* 12.

(3) *Diſſert.* IV, *art.* III, *Tom.* II, *pag.* 256.

(4) *Diſquiſit. antiquorum rituum cantus Miſſæ, edit. hujuſce noſtræ Tom.* V, *pag.* XXX.

cipere ; ſive ut verbis utar canonis XVII *Synodi Arauſicanæ primæ*, [1] *quod* Admixtione Euchariſtiæ, *præſentia ſcilicet, conſecraretur. Romana in Eccleſia Miſſæ initio præſtitum illud fuiſſe Acolythorum miniſterio, qui Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini in* Capſa *deportantes ſuper altare imponebant, traditur numero* 8 *primi Ordinis Romani* [2]. *Eumdem morem & apud veteres Gallos obtinuiſſe liquido conſtat, qui hac in re eo a Romanis diſtabant, quod Euchariſtiam ad altare deferrent non Miſſæ initio, neque ante Oblationem, uti vellent Martenius & Durandus* [3], *ſed Oblatione jam peracta juxta S. Germanum. Is porro in præſentia primo agit de* Sono, *deinde Oblationem memorat; ac demum mentionem iniicit de Euchariſtia ad altare afferenda. In eo etiam a Romanis Galli diſſentiebant, quod Euchariſtiam non in* Capſa, *ſed in* Turri *portabant; nec Acolythorum, ſed Diaconi miniſterio. Illud de* Turri *apertum eſt in S. Germani charta, quæ ait* Corpus Domini defertur in TURRIBUS. *Erat autem* Turris, *opinor, antiquis illis temporibus vas figura turritum, in quo Calix atque Patena cum Euchariſtia adſervabatur* [4]: *& ea fortaſſe ſui forma diſtinguebatur a* Capſa, *vaſe Romanorum more fabrefacto, atque ſacro eidem officio deputato. Heinc ut viris doctis notatum, explanationem habemus memorati paullo ſuperius canonis Arauſicani, aientis*, Cum capſa & Calix offerendus eſt & admixtione Euchariſtiæ conſecrandus. *Diaconi munus fuiſſe apud Gallos Euchariſtiæ Sacramentum ad altare deferre colligimus teſtimonio Gregorii Turonenſis, qui cap.* LXXXVI *lib.*I *de Gloria Martyrum hæc habet*: Tempus ad Sacrificium offerendum advenit: acceptaque Turre DIACONUS, in qua myſterium Dominici Corporis habebatur, ferre cœpit ad oſtium; ingreſſuſque templum, ut eam altari ſuperponeret &c. [5] *Diacono cum ſancta Euchariſtia procedente verſus altare, Chori cantus reſonare debebat, quod animadverto non ſatis eſſe a viris doctis obſervatum; quamquam illud manifeſtis hiſce verbis indicet S.Germani charta dicens*: Nunc autem [6] procedentem ad Altarium Corpus Chriſti ſpiritualibus vocibus præclara Chriſti magnalia dulci modilia pſallet Eccleſia. *Quid autem caneretur, licet ſubolfacere mihi videar, rei tamen incertitudine victus pro certo adfirmare non auſim.*

En

(1) *Anno* CCCCXLI *celebrata, Concil. Labb. edit. Venet. col.* 704 *Tom.* IV.

(2) *Apud Mabill. Muſei Italici Tom.* I, *pag.* 8.

(3) *Citata ſæpe Admonit. prævia num.* 11.

(4) *Conſule de Gallorum veterum* Turri *poterit Mabill. Liturg. Gall. Lib.* I, *cap.* VII, *numeris* 6 & 7.

(5) *Eo in teſtimonio, antequam doctiſſimus Ruinartius obſervaret in vetuſtioribus membranis omnibus legi* myſterium, *quum Librariorum vitio haberetur* miniſterium, *deceptus eſt clariſſimus Mabillonius Liturg. Gallic lib.* I, *cap.* V, *num.* 9 *quando illud interpretatur non de Euchariſtia Sacramento, ſed de ſacris vaſibus, ut puta de Calice, de Patena in uſum Sacrificii, altari a Diacono deferendis.*

(6) *Ita* procedentem *legitur in veteri monimento.*

En quid me cogitante menti obverſetur : Mozarabes finito Euangelio juxta canonem XII *Concilii Toletani* IV [1] Laudes *canere debebant : has* Laudes *S. Iſidorus cap.*XIII *lib.*I *interpretatur* Alleluja. *Iſidoro conſonat Miſſale Mozarabum, adjungens tamen pſalmi verſiculum eadem voce* Alleluja *terminatum; eadem fortaſſe ratione, quæ in antiquis Miſſarum Libris* [2] *a Thomaſio vulgatis ſæpiſſime viſitur. Hoc animadverſo* Laudes *eadem, ſive* Alleluja *in præſenti aperte memorantur & S. Germano : quamvis, quod indigeſta multa confuſe in unum heic illius charta conſarcinet, locus, in quo illa cantari debent, ad amuſſim non determinetur; nihilo tamen minus ſuſpicari inde poſſumus decantatas eas fuiſſe dum Diaconus progrediebatur ſanctam Euchariſtiam altari impoſitum.*

XXXVII. *Hucuſque Gallicanæ Miſſæ Ordinem fuſiori ſtilo proſequuti ſumus, quod in eo deſcribendo alios nonnulla omiſiſſe credidimus. Quæ vero eodem in Ordine oblationem & ſanctam Euchariſtiam Altari impoſitam excipiunt; quandoquidem in ſacrarum rerum Scriptoribus, quos memoravimus; in Mabillonio præſertim, Ruinart, atque le Brun diligentiſſime in legentium oculos pene ipſos poſita inveniuntur : non eſt ſane cur de iiſdem pluribus agam. Ea propter ſatis pro loci hujus ratione nobis erit, ſi ſumma eorumdem capita curſim memoremus. Oblata igitur munera, quæ conſecrari in Chriſti Corpus & Sanguinem debebant; ut & Euchariſticum Sacramentum; totumque Altare*, Pallio, *ſive* Palla *ex ſerico facta, non rara quidem, ſed ſpiſſa, ne ſacra myſteria a circumſtantibus videri poſſent; juxta S. Germanum auro etiam atque gemmis ornata, cooperiebantur. Sequitur deinde aut illa oratio, quæ & nunc temporis dicitur eodem in Miſſa loco,* [3] Veni ſanctificator omnipotens æterne Deus *&c. aut altera huic non abſimilis. Qua finita ſacra Diptycha legebantur, & nomina recitabantur tam Sanctorum, quorum in memoriam ſacrificium Deo offerebatur; quam viventium atque defunctorum* [4], *pro quibus offerebatur. Hunc autem ritum concludebat oratio nuncupata* Collectio poſt nomina. *Tum pacis oſculo ſe mutuo ſalutabant fideles, & a ſacerdote* Collectio *ſubjungebatur nuncupata* ad pacem. *Habetur deinde* Immolatio, *quæ &* Conteſtatio, *aut etiam* Illatio *vocatur* [5]; *quæque reſpondet hodiernæ Miſſæ* Præfationi : *eodem modo ac iſta, incipit a vocibus* ſurſum corda, *& Triſagio terminatur. Sequitur illico* Canon Miſſæ, *qui* Collectio poſt ſanctus *inſcribitur : breviſſimus ille quidem, varius ac proprius ſingulis in Miſſis pro harum diverſitate; & ita compoſitus ut paucis deducat ad ſacri myſterii actionem, ad voces nimirum*, Qui pridie quam pa-

(1) *Labb. Collec. Tom.* VI *col.*1445. *edit. Venet.*
(2) *Eos conſule Tom.* V *noſtra hujus editionis.*
(3) *Micrologus cap.*XI *ait : Sacerdotem dicere eam Orationem juxta Gallicanum Ordinem.*
(4) *Confer quæ ſcripſimus adnotatione noſtra*
(5) *ad pag.* 231.

teretur. [1] *Alia quæ ſubſequuntur ſacræ Actionis verba in Gallicanis noſtris Miſſalibus non habemus: in Miſſali Francorum Canon Gregorianus ponitur* [2], *licet aliæ Miſſæ partes veterem Gallicanum retineant ritum: quod clariſſimo Mabillonio indicium eſt* [3], *Gallos prius Romanum Canonem admiſiſſe, quam integrum Romanorum Miſſæ ritum. Sacræ eidem Actioni ſubjungitur in veteri Ordine Gallicano oratio, cui titulus* Poſt Myſterium, *ſive* Poſt Secreta; *quam Orationem Mozarabes vocant* Poſt Pridie. *Sacra Hoſtia deinde frangitur, & in Calice fit cum Sanguine commixtio: de hoc ritu, cujus mentionem habemus apud Gregorium Turonenſem* [4], *legitur in S. Germani charta:* Confractio & commixtio Corporis Domini tantis myſteriis declarata antiquitus ſanctis Patribus fuit. *Deinde ſubjungit:* Sacerdote autem frangente, ſupplex Clerus pſallet antiphonam. *Quæ autem ea antiphona fuerit, me latet.*

XXXVIII. *Sacram Actionem ſequebatur* Oratio Dominicalis, *quam præcedebat præfatio quædam illius ad inſtar, quam hac noſtra ætate Sacerdotes in Miſſæ officio eidem præmittimus: eo tamen intercedente diſcrimine, quod unam eamdemque ſingulis in Miſſis nos frequentamus; veteres vero Gallos quibuſvis Miſſarum officiis propriam atque ſingularem habuiſſe, eorum Miſſalia produnt. Illud etiam in moribus iiſdem erat, ut Græcorum ritu* Oratio Dominica *non a ſolo Sacerdote, ſed ab omnibus adſtantibus caneretur: qua de re luculentiſſimum occurrit Turonenſis Gregorii teſtimonium in cap.* XXX *lib.* II *de Miraculis S. Martini, quo de femina quadam muta dicitur:* quadam die, dum Miſſarum ſollemnia celebrarentur, cum reliquo populo ſtabat. Factum eſt autem cum Dominica oratio diceretur, hæc aperto ore cœpit ſanctam orationem cum reliquis decantare. *Hæc ſatis aperte ad rem noſtram Turonenſis Præſul. Oratio illa* Libera nos &c. *quam nos Dominicæ orationi ſubjungimus, & a priſcis Gallis eodem in loco recitabatur; ſed varia erat illis pro Miſſarum diverſitate. Rerum ordine ſervato in ea Miſſæ Gallicanæ parte verſamur, in qua priſco jure Epiſcopi populo benedictionem impertiri debebant, non tamen Presbyteri; uti manifeſta ſanctione Concilii Agatenſis can.* XLIV, *ſtatuitur; quo dicitur* Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere Presbytero penitus non *licere. Benedictionis illius forma noſtris in hiſce Miſſalibus frequens occurrit ſingulis Miſſis propria. Hanc diſciplinam S. Germani tempore, aut non ubique receptam, aut immutatam*

(1) *Conſule Miſſam in Vigilia Natalis Domini pag.* 232 *aut illam in ipſo Nativitatis Domini die ad pag.* 236.

(2) *Infra ad pag.* 365.

(3) *Liturg. Gallic. lib.* I, *cap.* V, *num.* 17.

(4) *Cap.* LXXXVII *Lib.* I *de Gloria Martyrum, pag.* 819, *ubi ait:* Verum ubi explicitis verbis ſacris, confracto Corporis Dominici Sacramento, & ipſe ſumpſit, & aliis diſtribuit ad edendum.

tam aliquanto fuiſſe apparet ex illius ſæpe laudata a nobis charta ; in qua diſerte ait [1] *& presbyteros eam benedictionem largiri debuiſſe, ſed Epiſcopali breviorem. Poſt benedictionem illam ſacra erat locus Communionis. Sacerdos primo de Sacrificio ſumebat, tum ad ſanctam menſam accedentibus de eodem diſtribuebatur : Idque dum præſtabatur Chorus pſallebat, quod ſignificare dum vult S. Germanus adhibet vocem* Trecanum, *quæ ſane hymnum denotare videtur vel canticum in S. Trinitatis honorem. Demum Communione ſancta peracta in Gallicanis Miſſalibus duplex occurrit oratio, una quæ dicitur* Poſt Communio, *vel* Poſt Euchariſtiam ; *altera vero vel ſimpliciter* Collectio, *vel* Conſummatio Miſſæ; *qua porro appellatione liquet eam fuiſſe poſtremam veteris apud Gallos Miſſæ partem.*

XXXIX. *Unicum modo reſtat. Ut paucis dicam nimirum quid Gallicanis Miſſalibus præſtiterim hac in nova editione, quam eſſe ordine quartam conſtat. Primam enim curavit Ven. ipſe Thomaſius ; ſecundam Jo. Mabillonius in ſua Liturgia Gallicana ; tertiam Muratorius eo in Opere, quod ſupra memorabam ; quam quarto in loco hæc noſtra excipit. Illam igitur quam diligentiſſime exegi ad Thomaſianum exemplar ; & quum nactus ſim illud idem, ad cujus marginem Thomaſius atramento adnotaverat omnes veteris membranæ apices : tum qui uſus alicujus eſſe poſſent, tum qui apertiſſimi ſunt antiqui librarii errores & vitia ; ſi quid inter illos inveni, quod ad germaniorem textus ſenſum perveſtigandum facere quoquomodo poſſet ; ad calcem paginæ inferiorem inter adnotationes repoſui. Ad hæc quum librariorum mendis vel maxime ſcateant eorum Miſſalium antiquæ membranæ ; quumque ea legentium judicio emendanda, diligentia pene dixerim ſcrupuloſa, ſi in ejus generis monimentis tractandis nimius quis in illa eſſe poſſet, reliquerit Thomaſius ; Mabillonius vero plerumque emendaverit, præſertim quum emendationem ipſe contextus detegere videtur : heinc & Viri hujus præclariſſimis emendationes, variantium, uti ajunt, lectionum ad inſtar, ad eumdem calcem adjeci. Adjeci inſuper, & quidem ſuis in locis, & integras ejuſdem animadverſiones ; quas a meis diſtinguendas eſſe curavi tum typorum formis ; tum etiam addito ad finem illarum unjuſcujuſque eximii auctoris nomine. Si vero ali-*

h 2 *quando*

(1) *En S. Germani verba* : Sacerdotibus mandavit Dominus benedicere populum ; ſed tamen propter ſervandum honorem Pontificis, ſacri conſtituerunt Canones, ut longiorem Benedictionem Epiſcopus proferret, breviorem Presbyter funderet : Dicit : (*en forma benedictionis a ſimplici Presbytero donanda*) Pax, Fides & Charitas & Communicatio Corporis & Sanguinis Domini ſit ſemper vobiſcum. *Circa hanc benedictionem hallucinatus eſt clariſſ. Mabill. Liturg. Gall. Lib. I, cap. v, num. 23, qui antequam prodiret S. Germani opuſculum, nullo fultus antiquitatis documento ſcripſit eam benedictionem impertitam fuiſſe ab Epiſcopo vel a Sacerdote. Quod etiam dicitur minus appoſite ad loquendi morem veteris illius ætatis, in qua* Sacerdos *uſurpabatur ad denotandum Epiſcopum. Vide Petrum Le Brun* Explication litterale *&c. Tom. I, pag. 619.*

Google

*quando contigit ; ut Vir ille ſane doctiſſimus , aut in veteris libri textu emendando , aut in animadverſionibus , mihi non probaretur ; & contraria eidem ſentirem : ea , qua decet hominem liberales verſantem diſciplinas , dicendi libertate utens , Mabillonii opinione relata , meam ſubjunxi . Cetera , quod & reſpectu Gelaſiani Codicis me praſtitiſſe jam dixi, ſuperiori hujuſce præfationis num.*XXIV*, de illis ad exemplariorum fidem Thomaſianis recenſionibus,ad libri calcem poſitis in prima hujuſce Operis editione ; ſervatum a me eſt & in recudendis Gallicanis Miſſalibus ; eas enim ſuis , quibus reſpondent locis , ad imum chartæ marginem aptavi . Quæ omnia ne confuſionem , aut obſcuritatem parerent aliquam , tum qui nobis idoneus viſus eſt rerum ordo , tum typorum formæ diverſæ effecerunt .*

XL. *Quandoquidem vero brevitati ac legentium commodo proſpicientes, compendiariis nonnullis notis uſi ſumus in adnotationibus noſtris ; par eſſe atque idoneum patet, ut illarum heic explicationem ſubjungam ; ne dum in ſcribendo breves eſſe contendimus, obſcuritatis nobis vitium opponatur . Igitur*

M.denotat S. Gregorii Magni Sacramentarium a clariſſimo Menardo vulgatum . Eo ſæpe utimur in recenſione Codicis Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ juxta editionem perdocti D. Dionyſii a S. Martha , in poſtrema Operum S. illius Pontificis Pariſienſi editione .

Mabill. Indicavimus eo ſigno in Gallicanis Miſſalibus ſæpiſſime,aut eorumdem editionem a Viro clariſſimo Joanne Mabillonio adornatam in Liturgiæ Gallicanæ libris ; aut ejuſdem eximii viri adnotationes ad eadem Miſſalia .

Mſ.manu deſcriptum Codicem deſignat ſive Gelaſiani Sacramentarii quando occurrit in Libris Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ ; ſive manuſcriptam membranam veteris Eccleſiæ Gallicanæ Miſſalium,quando horum foliis impreſſum invenitur .

O . *Vetuſtiſſimum exemplar manuſcriptum Sacramentarii Gregoriani , a Bibliotheca in qua reponebatur, Ottobonianum nuncupatum ; nunc vero in Vaticana Biblioth. repoſitum ſub num.* 2 *inter Ottobonianos .*

P. Pamelii Sacramentarium Gregorianum, Tom. II *Liturgicon , editionis Coloniæ Agrippinæ anni* M. DC. LXXV *, ad cujus marginem ſibi notaverat Ven. Thomaſius variantia loca Codicis Ottoboniani ſuperius prælaudati .*

*R. Codex Alexandrino-Vaticanus ſignatus num.*337 *exhibens vetuſtiſſimum exemplar Gregoriani Sacramentarii .*

EXPLICIT PRAEFATIO.

INDEX

Digitized by Google

I N D E X

EORUM QUÆ IN PRÆFATIONE TRACTANTUR

I. *PRæfationis argumentum exponitur .*

II. *Adſeritur tres Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ libros in præſenti volumine principio occurrentes , opus eſſe S. Gelaſii, ejus nominis inter Romanos Pontifices primi .*

III. *Difficultates in antiquitatem & auctorem Codicis Gelaſiani , ab aliis jam ſubmotas , iterum refutandi cauſſa aperitur .*

IV. *Quæ Jacobum Baſnagium in antiquitatem Codicis Gelaſiani permoverint ; explicatur ; & quomodo ille ſatis perſpectum non habuerit , quid ſint* Codices Sacramentorum *a Ven. Thomaſio vulgati .*

V. *Lumina tempore ſacrorum Officiorum in Eccleſiis , ætate D. Hieronymi, in Occidentis partibus adhiberi cœpiſſe declaratur .*

VI. *Adſtruitur ejuſdem Hieronymi temporibus ritum Cereum Paſchalem benedicendi apud Occidentales viguiſſe .*

VII. *Baſnagii difficultas derivata a publicis deprecationibus Feriæ* VI *majoris Hebdomadæ , quibus in Gelaſii Codice oratur pro Romano ſive Francorum Imperio , ſubmovetur .*

VIII. *Feſtum adſumtæ in Cælum Virginis Mariæ ante Gregorium Magnum officio publico celebrari conſueviſſe oſtenditur .*

IX. *Et Feſtum Nativitatis S. Mariæ Virginis octavo ſæculo antiquioris eſſe inſtitutionis in Baſnagium evincitur .*

X. *Baſnagii argumentatio a ſcribendi ratione , & Gelaſii ſtilo , derivata retunditur .*

XI. *Chriſt. Matth. Pfaffii , & Jo. Franciſci Buddei in antiquitatem Gelaſiani Codicis opinio recenſetur .*

XII. *Eadem opinio refellitur .*

XIII. *Thomaſiani Sacramentarii Codice ad illud Sacramentarii Veronenſis comparato , illum præ iſto S. Gelaſio Pontifici convenire potius oſtenditur .*

XIV. *Nec comparatione ejuſdem Thomaſiani Sacramentarii ad Codices Gregorianos facta , aliquid eruitur ad ſuadendum illud S. Gelaſii opus non eſſe .*

XV. *Tres aliæ difficultates in Thomaſii ſententiam de auctore ejuſdem Sacramentarii propoſitæ ſubmoventur .*

XVI. *Quantum ſacræ Eccleſiæ doctrinæ conferre poſſint Sacramentorum noſtri Libri indicatur .*

XVII. *Enarratur quibus potiſſimum conſtet primus Sacramentorum Liber .*

XVIII. *De eodem agitur argumento .*

XIX. *Denuo de eodem argumento agitur .*

XX.

Digitized by Google

XX. *Idem ſequitur argumentum.*

XXI. *Idem argumentum concluditur.*

XXII. *Ea indicantur quæ ſecundo Sacramentorum Libro habentur.*

XXIII. *Quæ tertio demum Libro occurrant, præcipua enarrantur.*

XXIV. *Nevæ hujus editionis Gelaſiani Codicis ratio expenitur.*

XXV. *Expenditur origo & antiquitas Miſſæ Gallicanæ veteris.*

XXVI. *Liturgiæ Gallicanæ veteris fontes indicantur.*

XXVII. *Enumerantur ii, qui Miſſæ veteris Eccleſiæ Gallicanæ deſcriptionem dare ſuſceperunt.*

XXVIII. *De veteris Miſſæ Gallicanæ Introitu agitur.*

XXIX. *De Sacerdotis ad Altare in Miſſa Gallicana ingreſſu agitur; de hymno* Triſagio, *de* Kyrie eleiſon, *& de* Gloria in Excelſis Deo.

XXX. *De* Prophetia, *ſive cantice Zaccbariæ, & Lectionibus tum veteris tum novi Teſtamenti, & Vitæ Sanctorum eadem in Miſſa Gallicana uſitatis.*

XXXI. *De hymno trium puerorum in veteri Miſſa Gallicana, atque de Reſponſorio.*

XXXII. *De Euangelii Lectione eadem in Miſſa, & de Homilia.*

XXXIII. *De precibus quæ fiebant pro Catecbumenis de Eccleſia mox ejiciendis: & de ſilentio, illis ejectis, fidelibus indicto.*

XXXIV. *De Præfatione Miſſæ Gallicanæ; ſive de initio Miſſæ fidelium.*

XXXV. *Agitur de Offertorio in veteri Miſſa Gallicana.*

XXXVI. *De Eucbariſtiæ Sacramento poſt Oblationem ad altare deportato, atque eidem ſuperimpoſito.*

XXXVII. *De ſubſequentibus aliis Miſſæ Gallicanæ partibus uſque ad Orationem Dominicam.*

XXXVIII. *De Miſſa Gallicana veteri ab Oratione Dominica ad finem uſque.*

XXXIX. *Ratio exponitur in reeudendis Gallicanis neſtris Miſſalibus adhibita.*

XL. *Notæ compendiariæ eccurrentes in hujuſce Operis præſenti editione explicantur.*

Google

CODICES SACRAMENTORVM NONGENTIS ANNIS VETVSTIORES

NIMIRVM

LIBRI III SACRAMENTORVM ROMANÆ ECCLESIÆ
MISSALE GOTHICUM, SIVE GALLICANVM VETVS
MISSALE FRANCORVM
MISSALE GALLICANVM VETVS

PRIMVM PRODEVNT

CVRA ET STVDIO

IOSEPH MARIÆ THOMASII

CONGREG. CLERICORVM REG. PRESBYTERI.

Digitized by Google

CHRISTINAE
SVECORVM GOTHORVM
ET WANDALORVM
REGINAE

JOSEPH MARIA THOMASIVS CONGREG. CLER. REG. PRESBYTER
S. D.

QVOS Codices abhinc complura ſæcula conſcriptos Munificentia Tua mihi conceſſit edendos:hos nunc ſui fœcundos exemplis Majeſtati Tuæ jure reſtituo. Qua in re utrumque gratulor, & ſine priſci characteris moleſtia in hoc uno volumine eos lectitare Te poſſe: & de Re Sacra optime meritam ex eiſdem apud eruditos omnes haberi. Accipe ergo quod præclaram decet Sapientiam, Religionemque tuam: atque in eo ſummæ obſervantiæ in Te meæ obſequium humaniter admitte. Vale.

Digitized by Google

Digitized by Google



PRÆFATIO

PERSCRUTANTI mihi præſtantiſſimas Urbis Bibliothecas, ex multis variiſque manuſcriptis Codicibus, quibus abundant, venit in mentem aliquot ſeligere publico bono communicandos, quatuor nimirum Sacramentorum Codices: quos & ab antiquitate & ab Eccleſiaſticorum rituum notitia commendabiles fore cenſebam. Hos modo ſub hoc Sacramentorum titulo exhibemus: norunt quippe omnes apud vetuſtiſſimos Eccleſiæ Patres Sacramenta antonomaſtice appellari Chriſti Corpus & Sanguinem, cum in Altari conficiuntur in Miſſa. Hac præcipue ratione Miſſales libri, Sacramentorum libri ſunt appellati: quamvis nec iis deficiantur, quæ ad reliquorum Sacramentorum adminiſtrationem pertineant. De his Sacramentorum Codicibus, quos edimus, pauca præfari Lectori pio æque ac ſtudioſo ratio ipſa poſtulat: ut unde habiti, quando conſcripti, & a quo conditi fuerint, prius agnoſcat.

Digitized by Google

LIBRI III. SACRAMENTORUM R. E.

Primus in ordine eſt Codex Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ in tres libros diſtinctus: quorum primus eſt de anni circulo, ſecundus de Sanctorum Natalitiis, tertius de Dominicis diebus, variiſque cauſis. Pertinet nunc ad inſtructiſſimam Bibliothecam Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ, cujus benignitate publici juris fieri licuit. Ipſum viderunt ac ſæpius laudarunt Eminentiſſimus Card. Bona lib. de Rebus Liturgicis, & doctiſſimus Jo. Morinus libb. de Pœnitentia & Sacris Ordinationibus: qui in appendice Manuſcriptorum ad Commentarium de Pœnitentia editum anno 1651, in annotatione ad Sacramentarium Gelaſianum, pagina 52: *Antiquiſſimum, inquit, omnium Codicum, quos nanciſci nobis contigit, ille eſt quem in opere noſtro Petavianum ſæpius vocavimus a Poſſeſſore, viro ampliſſimo,* (1) *Domino Petavio Parlamenti* Pariſienſis *Senatore integerrimo, qui perhumane illum nobis dedit utendum. Illius character nongentis annis non videtur inferior; eſt enim ſcriptus literis majoribus & quadratis, quas unciales aliqui vocant. Scriptor latinatis parum peritus erat: ſæpe enim ignorantia potius, quam negligentia, aut præcipitatione* παραγράφει. *Scriptus eſt in Francia, nam in Canone commemorantur SS. Dionyſius, Ruſticus, & Eleutherius, Hilarius & Martinus. Deinde in officio Feriæ* VI. *ante Paſcha, cum oratur pro Imperio Romano dicitur:* Reſpice propitius ad Romanum, ſive Francorum benignus Imperium. *Diviſus eſt in tres libros, & uniuſcujuſque libri initium graphice admodum, & magnis literis monocondiliis exaratum eſt. Pertinet nunc ille Codex ad celeberrimam illam & potentiſſimam Suecorum & Gothorum Reginam Criſtinam &c.* Hæc ille de Codicis Poſſeſſoribus & qualitatibus. Cujus vetuſtatem hæc inter alia aſtruere poſſunt. I. quia in Symbolo, quod habetur in Scrutinio ante Dominicam in Palmis deeſt additio illa, *Filioque*: quæ ſane in Germania, Galliaque (ubi ſcriptus videtur Codex) VII, & Romæ nonniſi IX Chriſti ſæculo facta fuit. II. quia non habet Miſſas pro V feriis Quadrageſimæ, quas S. Gregorius II, initio VIII ſæculi primus inſtituit, ut ſcribit Anaſtaſius, ſive alius, in vitis Pontificum, & Præfatio ſub nomi-

(1) *Spectaſſe olim Codicem illum ad Bibliothecam celebris Monaſterii Floriacenſis; & quomodo inde in Petavianæ domus dominium pervenerit, collige ex Jo. Mabillonii Præfat. in Liturgiam Gallicanam num* XII: *ubi agit de Miſſalibus Gallicanis hoc in eodem noſtro volumine repoſitis; quorum antiquis exemplaribus membranaceis eamdem, ac veteri codici de quo in præſentia agitur, fuiſſe fortunam facile crediderim. Cetera dictum a me eſt ſuper. Præfat. num* XXIV. *Codicem illum poſt Ven. Thomaſii obitum in Vaticano Alexandrinam Bibliothecam fuiſſe inlatum, atque repoſitum ſub numerico ſigno* 316.

nomine Grimoldi ſuo Sacramentorum libro præpoſita apud Pamelium tom. II Liturgicon. (Sub nomine Grimoldi, dixi, quia Micrologus cap. LX illam citat tanquam Albini Magiſtri Caroli Magni. Vidimus & nos illam Præfationem in antiquiſſimo [1] *MSS.* Gregori Sacramentario Bibliothecæ Reginæ Suetiæ, ſed nullo nomine inſcriptam.) III. quia multis Miſſis caret, quas a ſæculo VII uſurpatas fuiſſe ſcimus, ut in feſto Dedicationis S. Mariæ ad Martyres menſe Majo, & omnium Sanctorum menſe Novembri: quarum Bonifacius Quartus, qui Sabiniano intermedio, ſucceſſit Gregorio Magno, initio VII ſæculi auctor fuit. IV. quod pauciora hic, quam in aliis Sacramentorum libris Sanctorum natalitia recenſeantur. Quod indicium eſſe vetuſtatis recte Menardus obſervavit: cujuſque rei germanam rationem oſtendit *Jo.* Fronto in prænotatis ad Kalendarium Rom. præſertim §. 3. quia nimirum ea tantum Sanctorum feſta notabantur in libris Miſſalibus; in quibus populi conventus, ſive publicæ Miſſæ a Pontifice una cum Clero & populo peragebantur. V. [2] quod Martyrum ſolummodo in hoc Codice propria natalitia celebrentur: quodque ex priſco Eccleſiæ uſu SS. Eelix in Pincis, & Marcellus Papa, quia ſanguinem non fuderunt, haud Martyres, ſed tantum Confeſſores appellentur. Sunt & alia complura antiquioris notæ argumenta; quæ in ipſo Codice de ſe Lector deprehendat. Unde illum jure merito Morinus lib. VII de Pœnitentia cap. I, num. 15, annum ſeptingenteſimum antecedere coniicit. Quod vero ſpectat ad Codicis conditorem, idem Morinus Gelaſii eſſe cenſet, licet poſt *S.* Gregorium ſit ſcriptus: *ſeu* (ut ejus verbis utar loco cit. num. 14.) *eum officiorum ordinem complecti, qualis ante S. Gregorium uſurpabatur*. Nec diſſentit Card. Bona Lib. II, cap. IV de Rebus Liturgicis [3]. Ad ejus autem veritatis quam quærimus, aſſecutionem, lento veluti paſſu manuducendus eſt Lector: ut prius ſcilicet repetat jam ab exordio naſcentis Eccleſiæ certas quaſdam ſacrificandi, orandique formulas in uſu fuiſſe. Id acta Martyrum, Patrumque tractatus nos docent: proferunt enim non raro ſtata quædam ac ſolemnia verba in ſacris Conventibus recitari ſolita.

(1) In antiquiſſimo M. S. *qui nimirum olim Reginæ Suecia, nunc vero temporis Vaticano-Ottobonianus, de quo in Præfatione noſtra loquuti ſumus num. XIV. not. 2. quoque ſæpiſſime utimur in præſenti noſtra Gelaſiani Sacramentarii recenſione.*

(2) *De hoc doctiſſimi Thomaſii loco videatur cap. IV libri, cui titulus:* La Difeſa de Libri Liturgici della Chieſa Romana, e della ſacra perſona del Ven. Card. Giuſeppe Maria Tomaſi.

(3) *Et quidem num. IV, pag. 319 edit. Romana anni* MDCLXXI. *Eo in loco agens de auctoribus & antiquitate* Collectarum *ſive* Orationum *in Chriſtianorum ſacris, opinatur, nec immerito, earum, quæ in Gregorii Sacramentario leguntur, plurimas ſpectare ad Gelaſianos Sacramentorum Libros; quorum exemplar ſe ſuſpicari ait noſtro in Codice haberi: inquit porro:* cum evolverem codicem illum antiquiſſimum Ordinis Romani Petavianum, qui nunc eſt in Bibliotheca Reginæ Sueciæ, ſuſpicatus ſum ordinem S. Gelaſii in eo contineri.

Digitized by Google

ſolita. Has preces temporis proceſſu a Pontificibus auctas & reſtitutas, vel etiam iterum contractas Eccleſia ſemper retinuit, & ad poſteros tranſmiſit: quas in noſtris adhuc Miſſalibus habemus, additis tamen aliis quæ de novo inſtituuntur, officiis. S. Leonem Magnum inter alios SS. Antiſtites egregie huic operi manum admoviſſe, ipſe ejus ſtylus, qui ſe homini vel tantillum in ejus ſcriptis verſato illico prodit, aperte oſtendit. Nec a vero aberrat laudatus Morinus, dum lib. IX, de Pœnitentia cap. XXX, n. 2 ſcribit multa ex his Ritualibus precibus SS. Silveſtro, Julioque Pontificibus non eſſe poſteriora: & ex phraſi, ſtyloque ſapere omnino tempora, quæ Imperatorem Conſtantinum præceſſerunt. Sic ipſe orationis illius eloquentiſſimæ Archidiaconi ad Pontificem in Reconciliatione Pœnitentium, quam hic reperies pag. 53, auctorem facit ſaltem Conſtantino coetaneum: licet una, aut altera dictio Gelaſianam forſan ſapiat recenſionem. Non me latet hunc ipſum ſermonem Magno Leoni adſcribi (1) ad erudito Paſchaſio Queſnelio tom. I Operum ejuſdem Sancti: cui non difficulter adhæreo, victus ipſo Leonino calamo: quem inibi mihi videre videor vel primo ſcribentem, vel fere ex integro recenſentem. Ex his Liturgicarum precum Conditoribus præcipue commendatur in vitis Pontificum S. Gelaſius Pontifex ab anno CCCCXCII, de quo ibi: *Fecit etiam Sacramentorum Præfationes & Orationes cauto ſermone*. Ab hujus Sancti Præſulis nova acceſſione totum illud opus Miſſalium precum Gelaſianus Codex vocari cœpit: unde ad finem VI ſæculi S. Gregorius ſuum Sacramentorum librum veluti illius breviarium & ſummam adornavit: ut plane conſtat ex Johanne Diacono in vita ipſius Gregorii Lib. II, cap. XVII. Sic enim de illo inquit: *Sed & Gelaſianum Codicem de Miſſarum ſollemniis, multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens pro exponendis Euangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit*. Quibus verbis obiter docemur, Gelaſianum Codicem unum quidem, ſed in plures libros fuiſſe

(1) *Eruditi laus ibi tribuitur Paſchaſio Queſnellio. Ita & S. Hieronymus, quamvis noviſſet Origenem & Euſebium Cæſarienſem in fidei rebus erraſſe, ſcribens tamen ad Minervium & Alexandrum ait:* Ego & in Adoleſcentia, & in extrema ætate profiteor, & Origenem & Euſebium Cæſarienſem viros eſſe doctiſſimos, ſed erraſſe in dogmatum veritate. *Et in Chronicon eumdem Cæſarea Euſebium eruditiſſimum appellat: quod quum improbet Joſephus Scaliger animadverſionibus ſuis ad idem Chronicon pag. 8, adhibita tamen diſtinctione ſuam in Hieronymum cenſuram his verbis aperit:* Si eruditiſſimus vocandus qui multa legit, ſane nemo illi hanc laudem invidere poteſt. Sin autem is eruditiſſimus, qui judicium cum multa lectione conjunxit, alium potius quam Euſebium producere debuit. *Hæc ſane oſtendunt quam temere huic Thomaſii locum notaverit mala cenſura architectus. De eodem Queſnellio Ed. Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus lib. I, parte II, cap. VIII, art. IV, num. XV. poſt Thomaſii noſtri tempora ſcripſit,* ante Leonem Magnum id negat vir multæ eruditionis Paſchaſius Queſnellius. *Verum de hac re conferatur cap. I. Libri ſupra memorati,* La Difeſa de Libri Liturgici &c.

fuiſſe diſtinctum ; qualis eſt hic noſter in tres libros diviſus : id enim mihi videtur Johannes innuere, dum veluti ex antitheſi Gregorium ſuum Sacramentarium in unum librum coarctaſſe dicit. Poſt Sanctum Gregorium omnes quotquot conſecuti ſunt Pontifices illo Gregoriano quam maxime uſi ſunt opere : illudque aliis nationibus invexerunt : ut in Adriano patet, qui ipſum Carolo Magno dono dedit. Sed & Gelaſianum Codicem prorſus rejectum non crediderim : nam multa illi conformia continet Antiphonarius M. S. Bibliothecæ Angelicæ [1] apud S. Auguſtinum hic in Urbe, ſcriptus ante medium XI ſæculi ad uſum Eccleſiæ Romanæ. Gregoriana exemplaria paſſim exſtant, tum MM. SS. in Bibliotheca Vaticana, ac Reginæ Suetiæ & alibi; tum edita Romæ ab Angelo Roccha, Coloniæ a Pamelio, ac Pariſiis ab Hugone Menardo : quorum quiſque ſuam editionem ut germanum Gregorii fœtus prædicat. Sed mirum eſt quam inter ſe diſſideant, ut difficile ſit litem decidere : nec ego tantorum virorum judex eſſe poſſum, aut volo : illud tamen pro veritatis amore ſilere non debeo, [2] Pamelio præ reliquis me adhærere ; moveor enim ex antiquiſſimorum MM. SS. Codicum conſenſu : moveor ex multorum feſtorum, Miſſarumque defectu in ejus editione (ſi tamen quæ virgulis, vel quæ tanquam aliunde aſcita Pamelius ipſe adnotavit, diligenter dempſeris) : moveor ex illius brevitate, quæ Gregorianam coarctationem, juxta Johannis Diaconi narrationem, magis redolere videtur : nec minoris momenti dixerim Grimoldi Abbatis, ſive Alcuini Magiſtri Caroli Magni juxta Micrologum, teſtimonium in prælaudata præfatione, quam Gregoriano operi adtexuit. Poſt hos autem authenticos Romanæ Eccleſiæ Sacramentorum libros Gelaſii nimirum & Gregorii, exſtitit alia quidem, ſed privata Miſſalis libri confectio per Albinum ex utroque conflata : ſic enim legitur in Centulenſi Chronico Lib. III, cap. III, tom. IV Spicilegii Dacheriani in indice librorum anno IↃCCCXXXI numeratorum : *Miſſalis Gregorianus & Gelaſianus modernis temporibus ab Albino ordinatus*.

Hac longiuſcula, ſed non prorſus inutili narratione Lector per ſe jam animadvertere poteſt, cujus ſit inſtitutionis Codex, quem edimus. Nam hujus Albini non eſſe conſtat ; quod in ipſo non habeantur eæ orationes & Miſſæ, quæ tum temporis in Gregoriano Sacramentario paſſim exſtabant. Cur enim Gregorianas Miſſas prætermiſerit, qui ex Gregorio primum ſuum ille Miſſale digeſſit ? Nec ipſe operis hujus titulus

(1) *Illum nimirum Codicem, qui in antiquis Miſſarum Libris, editionis noſtræ tom. V, denotatur ſigno A. Cujus etiam meminimus ſuperiori Præfatione num. XX.*

(2) *Conferantur quæ ſcripſimus prælaudata mox in noſtra Præfatione num. XIV.*

tulus hanc privatam coordinationem patitur: quippe qui abſolutum ſibi vendicet Romanæ Eccleſiæ uſum & auctoritatem. Gregorianum autem non eſſe facile ſibi quiſpiam perſuadebit; ſi illum cum hoc noſtro contulerit: adeo diſcrepant: quin ex ipſa collatione argumentabitur hunc eſſe Gelaſianum Codicem illum a Johanne Diacono memoratum. Inde enim conſtabit 1. multa eſſe in Gregoriano ſubtracta: 2. pauca converſa: 3. nonnulla eidem adjecta quæ in hoc non extant. Ut ſumma dicam: hunc eum Romanæ Eccleſiæ Sacramentorum Codicem putaverim, qui Gelaſii olim appellabatur ex illius Sancti Pontificis precum augmento. Appellabatur, dixi; nolim enim illum integrum ei adſcribas, ſed Leoni Magno magna ex parte, ejuſque Prædeceſſoribus Romanis Epiſcopis. Nec immerito: cœperam enim Leoninas phraſes, ſententiaſque cum hoc Codice conferre; & inveni nedum ſtylum, ſed ipſiſſima verba Leonis hic recitari: & hinc certior factus, paulo certius hoc aſſerere non dubito: hoc quod mihi proſequi otium non permiſit, ſtudioſus quiſque ſuamet obſervatione præſtare poterit. Id tamen libentius admitto huic Codici nonnulla eſſe appoſita ſequenti ſæculo, quæ præfatos Conditores non ſapiunt: non multa tamen ſunt ea in tertio libro, pauciora enim deprehendes in ſecundo, pauciſſima in primo. Nec ideo recte dixeris reſpuendum: ſicut nec omnino rejicitur tanquam fucatus S. Gregorii Sacramentarius; etſi in illo legas Miſſam in Dedicatione S. Mariæ ad Martyres, quam inſtituit aliquot poſt eum annis Bonifacius Quartus. Conſtat enim hujuſmodi ſacros libros non ad meram eruditionem conſcribi, ſed ad uſum potiſſimum Eccleſiarum: unde novas ſemper acceſſiones pati oportet, prout ipſa conſuetudinis, temporiſque ratio tulerit. Et hinc quam facillime refellitur quod opponi poſſit, in hoc Codice S. Gregorium in Canone nominari, & illius in eo verba: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas*; & quod majus eſt, integrum capitulum ex ejus Regiſtro inter Sacras Ordinationes recitari: nam ultro concedimus non exiguo poſt tempore fuiſſe conſcriptum, & hinc aliqua additamenta paſſum. Rurſus inſtitutionem S. Gregorio antiquiorem hunc Codicem continere, non obſcure elici poſſe videtur ex eo quod in ipſo non extet S. Pauli Commemoratio Pridie Kal. Julii; quodque III Kalendas ejuſdem, Miſſa notetur propria pro Natali S. Petri, & ipſomet die alia item propria pro Natali S. Pauli. Auctorem enim hujuſmodi Commemorationis S. Gregorium facit Micrologus [1], conſentientibus illius Sacramentariis. Antea enim

(1) *Obſervat. cap.* XLII, *ubi hæc inter cetera habentur*: Sanctus Gregorius Papa feſtum ſancti Pauli, poſt feſtum Sancti Petri voluit obſervare.

enim eodem die utriuſque Apoſtoli, ut feſtum in duabus viis Triumphali & Oſtienſi, ita & repetita Miſſa in duabus Baſilicis, Vaticana S. Petri, & S. Pauli extra Portam Trigeminam a Romano Antiſtite celebrabatur. Pulchre Prudentius qui ſub finem IV ſæculi floruit, id expreſſit in hymno Apoſtolorum his verbis.

Aſpice per biſidas plebs Romula funditus plateas:
Lux in duobus fervet una Feſtis.
Nos ad utrumque tamen greſſu properemus incitato:
Et his & illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius qua fert via Pontis Hadriani:
Lævam deinde fluminis petemus.
Tranſtyberina prius ſolvit Sacra pervigil Sacerdos:
Mox hic recurrit, DUPLICATQUE Vota.

Cui priſco mori optime reſpondet noſter hic Codex, cum duas ſeparatim Miſſas uno eodemque Apoſtolorum die præſcribit, præter tertiam de utroque Apoſtolo communem, in aliis utique Urbis Eccleſiis recitandam. Gelaſianum autem hunc eſſe Codicem liquido (ni fallor) oſtendit Toloſanus ille Codex allatus a Morino in Appendice ad Commentarium de Pœnitentia pag. 55; ita enim in eo ſcribitur in Officio Sabbati Sancti cum XII Lectiones leguntur. *Sequuntur Lectiones ſecundum Gelaſium. Oratio antequam legatur prima Lectio, illico poſt Benedictionem,* Cerei ſcilicet. Deſcriptis mox XII Lectionibus ſecundum Gelaſium, ſequitur ibi Rubrica. *Item Lectiones ſecundum Gregorium. Lectio prima in Geneſi. In principio creavit Deus. Oratio, Deus, qui mirabiliter creaſti hominem; & reliqua ut ſupra ſecundum Gelaſium.* Hinc diſcimus in Gelaſiano Codice Cerei Benedictionem contineri, primæque Lectioni Geneſeos Orationem præire, atque XII in eo Lectiones contineri: quæ omnia ut in Gregorianis non habentur; ita in hoc noſtro pleniſſime exhibentur: niſi quod hic X tantummodo Lectiones habentur, duabus omiſſis librarii oſcitantia, ut conjicio. Nec minus favet antiquiſſimum Miſſale M. S. Membranaceum Bibliothecæ Vallicellanæ Oratorii ſignatum B.VIII, in quo Dominicis diebus poſt Paſcha & Pentecoſten duplex fere Miſſa notatur, altera Miſſa ſic inſcripta, *Item alia Miſſa.* At Dominica II poſt Octavas Paſchæ hæc ſecunda Miſſa ſic deſcribitur.

ALIA MISSA SANCTI GELASII.

Tibi placitam Deus noſter populo tuo tribue voluntatem : quia tunc illi proſpera cuncta præſtabis ; cum tuis aptum feceris inſtitutis .

Super Obl.

His nobis Domine myſteriis conferatur , quo terrena deſideria mitigantes , diſcamus amare cæleſtia . Per .

Ad Cō.

Sacramenta quæ ſumpſimus , quæſumus Domine , & ſpiritalibus nos expient alimentis , & corporalibus tueantur auxiliis . Per .

Hanc eandem S. Gelaſii Miſſam hic legimus eodem die : in hoc tantum eſt diſcrimen , quod hic duæ , ibi una præſcribitur Oratio , At Orationem alteram habet Miſſale illud in Miſſa priori , quæ eſt Gregoriana : ex duabus nimirum Orationibus Gelaſianis unam prætermiſit , alteram Gregorius retinuit : qui, ut jam dictum eſt, ex Gelaſiano multa ſubtraxit , pauca convertit , nonnulla de ſuo adjiciens . Lectorem tandem non prætereat , quod in noſtro hoc Codice ſæpius Miſſæ , *Orationes & Preces* inſcribantur : qui titulus quam bene conſonet Sacramentorum Libro in Romana Eccleſia ante S. Gregorium uſurpato. teſtem affero Vigilium,qui quadraginta plus annis ante eum,hoc eſt anno DXXXVIII. *Ordinem PRECUM* , ſcripſit in Epiſt. ad ' Eutherium . cap.v. *in celebritate Miſſarum nullo nos tempore , nulla feſtivitate ſignificamus habere diviſum : ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrare . Quoties vero Paſchalis , aut Aſcenſionis Domini , vel Pentecoſtes , & Epiphaniæ , Sanctorumque Dei fuerit agenda Feſtivitas , ſingula Capitula diebus apta ſubjungimus , quibus commemorationem ſanctæ ſolemnitatis , aut eorum facimus , quorum natalitia celebramus : cætera vero ordine conſueto proſequimur . Quapropter & ipſius Canonicæ Precis textum direximus ſubter adjectum , quem (Deo propitio) ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus . Et ut caritas tua cognoſcat , quibus locis aliqua feſtivitatibus apta connectes, Paſchalis diei PRECES ſimiliter adjecimus* . Hæc ille . Ubi etiam Miſſales , Orationes , Capitula vocavit ex antiquo more : quem videre eſt in Breviario Mozarabo ; in quo complures Orationes Capitula vocantur . Hæc de primo Codice Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ indicaſſe ſufficiat .

(1) *Ad* Profuturum *Bracarenſem Epiſcopum* , non ad Eutherium *eam epiſtolam datam fuiſſe poſt* Baluzium *fatentur eruditi . Ipſum vide tom.* 1 *ſua nova* Collect. Concil.

MISSALE GOTHICUM.

Secundus hujus Collectionis Codex eſt Miſſale Gothicum, de quo Card. Bona. lib. I, cap. XII, num. VI Rerum Liturgicarum hæc ſcribit: *Unus ex his Codicibus exſtat in Bibliotheca Sereniſſimæ Suecorum Reginæ, ante annos nongentos ſcriptus, ut periti cenſent, literis quadratis & majuſculis, ſignatus num. 626, quem olim fuiſſe (ajunt) ampliſſimi viri Petavii Senatoris Pariſienſis, emptum vero a Regina poſt ejus deceſſum. Deſunt ei aliquot folia in principio & in fine. Initio præfixus hic titulus eſt manu recentiori,* Miſſale Gothicum; *& ex eo quædam Liturgicæ precationes excerptæ ſunt, & tomo* VI *Bibliothecæ veterum Patrum editionis noviſſimæ Pariſienſis inſertæ pag.* 155. Hactenus ille: qui eodem loco pluribus de eo agit, exiſtimans hoc eſſe Miſſale Gallicanum priſcum, & præſertim Galliæ Narbonenſis Gothorum regno olim ſubjectæ, antequam Romani ritus in Galliam, Pipino & Carolo Magno agentibus, inducerentur. Contendit enim Galliarum Eccleſias eum ritum habuiſſe, qualem habebant & Hiſpanicæ, quæ Mozarabo utebantur etiam ante S. Iſidorum Epiſcopum Hiſpalenſem, ut ex ejus libro I de Officiis patet; ubi ex Apoſtolorum diſpoſitione Miſſæ ordinem, quem deſcribit, manaſſe teſtatur. Lectorem ad prædicti Card. librum remittimus: hoc præterea adnotando hanc ejus aſſertionem Concilio IV Toletano habito anno DCXXXIII, comprobari. Siquidem ibi Can. 12, 13, & 14, ſicut textus loquitur, eundem ritum per Hiſpaniam æque atque Galliam viguiſſe monſtratur. Textum, dixi, nec enim me latet ad marginalem oram, Conciliorum editores Galliciam pro Gallia repoſuiſſe. Sane Gallicanæ Eccleſiæ vetus hoc eſſe Miſſale antequam Romanos ritus ab eo longe diverſos admitteret, mihi pene exploratum habetur: continet enim complura Sanctorum Galliæ feſta, ut S. Saturnini Epiſcopi Toloſani & Martyris, SS. Ferreoli Presbyteri, & Ferrutionis Diaconi Martyrum Veſontionenſium, S. Symphoriani Martyris Auguſtodunenſis, cujus ſolemnitatis meminit S. Gregorius Turonenſis, SS. Mauritii & Sociorum Martyrum Agaunenſium apud Sedunum, S. Leodegarii Epiſcopi Auguſtodunenſis & Martyris, & S. Martini Epiſcopi Turonen. Habentur item in eo Triduanæ Rogationes ante Aſcenſionem, quæ in Gallia inſtitutæ, ſerius ad alias nationes ſunt propagatæ. Et licet in eo ſit natale S. Eulaliæ Virginis & Martyris Luſitanæ, nihil tamen officit, quin adhuc

(1) *Nunc vero temporis in Bibliotheca Alexandrina ſive Regio-Vaticana ſub num.* 317.

Gallicanum Miſſale cenſeatur: celebris enim fuit & apud Gallos Sanctiſſima illa Virgo, ut apud Venantium Fortunatum, & Gregorium Turonenſem legimus. Gallicanum item comprobabit, qui conſenſum animadverterit Gallicanarum Synodorum cum eo. Etenim in Conc. Agathenſi celebrato anno Chriſti DVI, & Alarici Gothorum in Gallia Regis XXII, Can. 13 ſtatutum ſuit, *Symbolum ab omnibus Eccleſiis una die, ideſt ante octo dies Dominicæ Reſurrectionis, publice in Eccleſia Competentibus tradi*. Quod hic reperies: nam Miſſa Dominicæ Palmarum inſcribitur, *Miſſa in Symboli traditione*. Item Can. 30, Orationes vocantur *Collectiones*: quo nomine Orationes & in hoc Miſſali Gothico dici conſtat. Cæterum in Gallicanarum rerum monumentis verſatos alia adferre poſſe teſtimonia non diffidimus: nobis enim non vacat. Id tantum non prætermittam, auctoritatem ſcilicet omni exceptione majorem Miſſalis Francorum, quod in hac Collectione edimus. Cum enim illud ex una parte Francorum eſſe negari non poſſit, ut ex Miſſa pro Rege Francorum patet: & eundem ex altera Miſſæ ordinem, & precum ſeriem contineat, quam hoc Gothicum exhibet; hinc liquet ipſummet Miſſæ tenorem fuiſſe per Gallias ſive Narbonenſem, & Aquitanicam, quæ olim Viſigothis paruerunt, ſive Celticam & Belgicam, ubi Franci ſui regni exordia in Galliis ſumpſerunt. De tempore vero quo Miſſale hoc Gothicum ſcriptum eſt, non erit difficile judicium, ſcriptum eſt poſt ann. DCLXXXVII, quo martyr occubit S. Leodegarius, cujus hic Miſſa habetur: ante Pipinum autem, ſive Carolum Magnum: his enim regnantibus ad Romanos ritus, ſuis relictis, Galli acceſſerunt. Deſcriptum tamen cenſeo ex vetuſtioribus exemplaribus, multa enim exhibet antiquiores ritus redolentia, ut Nocturnas Vigilias Epiphaniæ & Paſchæ, cujus Vigiliæ nonniſi ab initio noctis auſpicantur. At ſi de Libri Auctore inquiratur, nihil plane compertum: verum ſi conjecturæ locus daretur, divinaret ne aliquis qui ejus Conditorem eſſe diceret Muſæum Presbyterum Maſſiliæ Civitatis in Provincia Narbonenſi, mortuum Leone & Majorano regnantibus, hoc eſt circa annum CCCCLX? Gennadius ſane in ſuo Virorum Illuſtrium Catalogo ſic de illo ſcribit. *Ad perſonam S. Euſtaſii Epiſcopi*, Succeſſoris S. Venerii, *compoſuit Sacramentorum egregium & non parvum volumen, per membra quidem pro opportunitate officiorum & temporum, pro Lectionum textu, Pſalmorum ſerie & decantatione diſcretum, ſed ſupplicandi Deo, & conteſtandi beneficiorum ejus ſodalitate ſui conſentaneum. Quo opere graviſſimi ſenſus, & caſti-*

caſtigatæ eloquentiæ agnovimus virum. Hæc ille. Cujus verba *conteſtandi beneficiorum ejus* &c. bene quadrant Præfationibus ſive Illationibus hujus Miſſalis: quibus nimirum Dei beneficia conteſtantur; quæque proinde ſæpe in hoc ipſo Codice *Conteſtationis* nomen ſortiuntur. Muſæus porro, ſive alius fuerit ejus auctor, certe multa ad verbum ex Sancto Auguſtino habet excerpta, ut ex tract. LV in Johannem Præfationem Feria V in Cœna Domini, & ex Serm. x *de Sanctis*, Præfationem Innocentium.

MISSALE FRANCORUM.

Tertius in ordine Codex eſt Miſſale Francorum, quod hac appellatione donavimus, quia in eo habetur mentio Regni Francorum, deeſt enim illi titulus & principium, & ab hoc verbo *recluduntur* incipit: cujus verba præcedentia aliena manu in ſuperiori inferiorique paginæ ora notata, minori charactere in hac editione exprimi curavimus. De hoc Codice libet Morini verba referre, quibus integram Lector illius notitiam habeat: ſic enim inquit libro de Sacris Ordinationibus Par. II, pag. 261. *In Bibliotheca viri ampliſſimi D. Petavii Senatoris Parlamenti Pariſienſis integerrimi, Codex eſt omnium Codicum ritualium, quos nobis videre contigit, antiquiſſimus: accurate admodum ſcriptus, literis uncialibus majoribus, bene quadratis, ſplendide efformatis. In gratiam Eccleſiæ Pictavienſis videtur olim deſcriptus: nullius enim Sancti præter S. Hilarii Miſſam ſpecialiter continet, ipſius nomine in Orationibus, in Præfatione, & infra Actionem expreſſo; cæteræ communes ſunt. In memento quoque poſt Coſmam, & Damianum, Hilarii fit memoria & Martini. Codicem illum Gallicum fuiſſe dubitari non poteſt, cum in Miſſa pro Regibus Francorum, & in variis Orationibus Imperium Romanum nunquam commemoretur, ſed perpetuo Deus in eo pro Regni Francorum proſperitate exoretur. Itaque mihi videtur Codex ille poſt annum DXI, ſed ante annum DLX in Gallia ſcriptus, Galliſque nondum in unum populum cum Francis coaleſcentibus. Ter enim* pro Regni Francorum nomine *preces fiunt*: *alias* pro Francorum Principatu, *alias* pro Principibus Francorum, *& ſemel* pro ſalute & incolumitate Regni Francorum. *Codex ille vetuſtate, & characteris magnificentia adeo venerandus, e Gallia migravit Stokolmium, Suecorum Regiam, a Chriſtina incomparabili Suecorum Principe cum innumeris aliis auro redemptus*. Hæc Morinus. Cui tantum ſubjungo, hoc Francorum Miſſali plane demonſtrari veterem Galliæ ritum in Miſſa diſſimilem in multis a Romano, conſimi-

Digitized by Google

ſimilem vero, ſi precum ſeriem attendamus, Gothico, Gallicanoque Miſſalibus hic editis. [1]

MISSALE GALLICANUM VETUS.

Poſtremus Codex eſt Palatinus Biblioth. Vaticanæ ſign. num. 493. characteribus uncialibus ſive quadratis, ſed negligentiori ſæpe manu conſcriptus, quamplurimis paginis mancus, & erroribus refertus. Hujus meminit Card. Bona lib. I Rerum Liturgicarum cap. XI, num. VI & VIII. In ultimis ſuis paginis habet S. Gelaſii Decretalem cum hoc titulo, *Incipit Decretalem Sancti Gelaſii Papæ Urbis Romæ*, incipit autem. *Poſt Propheticas & Euangelicas atque Apoſtolicas Scripturas* &c. quam edere prætermiſimus, cum toties ſit edita, & multis alias erroribus ſcateat. Gallicanæ alicujus Eccleſiæ olim fuiſſe ipſe Miſſæ Ordo prodit, ſimilis enim eſt duobus præcedentibus Gothico & Francorum. Hoc amplius in eo animadverto ad Romanos ritus propius præ illis accedere cum in Orationum brevitate ex Romano more, tum in Canone Miſſæ, quem ſæpe citat & ſupponit: cujus tamen unquam meminit, quin ex ipſo Miſſæ contextu nec admittere poteſt Miſſale Gothicum, de quo ſupra. Ex hoc fortaſſe quantulocunque Romanis ritibus conſenſu, moderni alicujus manus Codicem illum inſcripſit, *Miſſa Romana*: quo titulo, ut a vero longius aberrante, ſublato, hunc ſuffecimus, *Miſſale Gallicanum*. Nec temere, ut arbitror ob rationes allatas. Quibus accedit, quod in eo mentio habeatur horæ XII; leguntur enim Orat. *Ad Duodecimam* in Vig. Natalis Domini & Paſchæ. Cujus horæ XII appellationem in ſacris officiis ſollemnem in Gallia fuiſſe aſtruit Concil. Turonenſe II anni DLXVII. Canone 18; in quo *ad Duodecimam* duodecim Pſalmos decantari præſcribitur. Quod ſi feria VI

(1) *De eo Codice, quem modo in Regio-Vaticana Bibliotheca habemus, placet hæc ex Jo. Mabill. Liturg. Gallic. lib. III, num. 7, ſubjungere*: Quod attinet ad ejus antiquitatem, certum eſt multa ex veteri Gallicano ritu in illo contineri: ſed nec diffitendum quædam eſſe ad modum Ordinis Gelaſiani & Gregoriani. Ordinationum quippe ritus & precationes eædem reperiuntur in Ordine Romano: & Canon idem eſt item cum Romano, adeo ut etiam verba hæc DIESQUE NOSTROS IN TUA PACE DISPONAS, quæ a Gregorio Magno addita perhibentur, in illo Canone legantur. Unde codicem non ſæculo ſexto, pace viri doctiſſimi, ſed inſequenti conſcriptum fuiſſe intelligitur. At non ſerius ob duas rationes. Primo enim in benedictione Regum, non de uno, ſed de pluribus Regibus ſeu Principibus Francorum fit mentio, in hunc modum, FRANCORUM REGNI ADESTO PRINCIPIBUS, tum PROTEGE DOMINE FRANCORUM NOMINIS UBIQUE RECTORES: quæ arguunt, Francorum principatum tunc penes unum non fuiſſe, quando vel ſcriptus eſt codex, vel compoſita benedictionis formula. Deinde in Canone, ubi Confeſſores Martyribus ſubjiciuntur, uni recenſentur HILARIUS & MARTINUS; quum in ſæculi noni codicibus plures alii memorentur, ut ex libris Sacramentorum a Menardo noſtro relatis, aliiſque manifeſtum eſt. *Hæc de noſtro hoc Codice vir clariſſimus.*

Digitized by Google

ria VI de Paſſione Domini Oratio fiat pro Romano Imperio, hoc ob eam cauſam exiſtimo factum, quia Galliarum Provinciæ primum Romani juris exſtiterunt: quæ deinde ſive Viſigothis, ſive aliis ſubjectæ, nondum tamen per id temporis quo hi ritus uſurpabantur, a Romanis Imperatoribus plane defecerant, neque a Romano Imperio niſi longo poſt tempore in ea Europæ parte contigit perfecta illa *ἀποστασία*, qua juxta Apoſtolum ad Theſſalonicenſes II, cap. II, in fine tandem ſæculorum, *qui tenebat* Orbem *de medio fieret*.

Hæc viſa ſunt ſtudioſo Lectori compendio prælibanda. Cæterum fuſioribus adnotationibus (a), hos Sacramentorum Libros illuſtrare cœperamus quidem, ſed cum non vacaret, maluimus Eruditorum deſiderio cito potius ſatisfacere, quam diuturniore adhuc tempore iis elucidandis lucubrare. Pari item de cauſa id quod circa libri medium ad marginales oras aggreſſi fueramus, ut textus caſtigationes inibi ex aliis Codicibus apponeremus, longius proſequi non potuimus Codicum defectu, qui tum temporis ad manum non erant. Noſtrarum nihilominus adnotationum loco, quod attinet ad Libros Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ, præſto eſſe poſſunt Vicecomitis, Pamelii, Rochæ, Menardi, Hallerii, Haberti, Morini, & Cardalis Bonæ Clariſſimorum Virorum eruditiſſimæ commentationes; ut ordinem Romanum, Alcuinum, Amalarium, cæteroſque antiquiores omittam. Pro Gallicanis autem Miſſalibus Patres ſunt potiſſime conſulendi, Auguſtinus, Cæſarius Arelatenſis, Gregorius Turonen. cæterique Galliæ veteres Scriptores: a quibus haud exiguam lucem accipere poſſe animadvertimus. Quod autem prolixioribus notationibus conficere nequivimus, hoc vel qualitercunque ex parte præſtare conati ſumus. Quantum enim properatim fas fuit, conferri curavimus cum aliis ſacris libris Codicem Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ (Gallicanorum enim Miſſalium alia exempla non habuimus) ut in promptu eſſent caſtigationes mendorum, quibus ille ſcatet. Quæ vero ex ejuſmodi libris facile emendari non potuerunt, Lectori caſtiganda reliquimus. Quem admonitum volumus integra nos fide, ut par eſt, ipſa MM. SS. Exemplaria exhibere, iis tantum ſublatis erroribus, nec tamen omnibus, qui faſtidium magis facerent, quam fidem: cujuſmodi ſunt *medillam*, *concide*, *Anteſtes*, &c. qui non tantum Scriptoris, quantum linguæ Latinæ vitio, quæ tum communis erat & vulgaris; ſed jam Barbarorum commixtione

(a) *Inchoatum a Ven. Thomaſio laborem hac in editione noſtra primum exhibemus in illis adnotationibus de eo Codice promtis, cujus mentionem fecimus Præfat. noſtra ſuperioris num.* XXIV.

mixtione fœdata, ſunt adſcribendi: reliquos vero barbariſmos & ſolœciſmos, maxime qui multifarie reſtitui poſſent, de induſtria retinuimus: ad cujus rei fidem pleniorem in hujus operis[1] calce Recenſionem appoſuimus ad fidem Exemplarium; ut quæ ab ipſis diſcrepare iterata collatione comperimus, in unum collecta exhiberemus. Illud præmonere etiam volumus, quæ minori charactere in Miſſali Gothico & Gallicano ſunt impreſſa, in Originalibus alia manu, & Longobardico charactere adjecta, & in Francorum Miſſali alia item manu, ſed recentiore, & forte noſtri ſeculi eſſe ſuppleta.

(1) *Recenſionem illam nos ſuis, quibus reſpondet locis, accommodaſſe ad ſingulas libri paginas in inferiori parte, diximus jam prælaudato Præfat. noſtra num. xxiv.*

LIBRI

LIBRI TRES SACRAMENTORVM ROMANÆ ECCLESIÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX CAPITVLORVM

HORUM III. LIBRORUM SACRAMENTORUM ROMANÆ ECCLESIÆ.

LIBER PRIMUS

Ordinis anni circuli.

I. ORationes & Preces in Vigiliis Natalis Domini ad Nonam. 3
II. Item de Vigilia Dñi in nocte. 4
III. Item in Vigilia Domini mane prima. *ibidem*
IV. Item in Natale Dñi in die. 5
V. Item Orat. de Natali Domini ad Veſp. ſive Matut. 6
VI. In Nat. ſancti Stephani Martyr. VII. Kal. Januarias. 7
VII. In Natl. ſancti Johañ. Euangel. VI. Kal. Januarias. *ibidem*
VIII. In Natl. Innocentium V. Kal. Januar. 8
IX. Item in Octabas Domini. Kal. Januar. *ibidem*
X. Prohibendum ab Idolis. 10
XI. In Vigiliis de Theophania. 11
XII. Item in Theophania in die. *ibid.*
XIII. In Septuageſima. 12
XIIII. In Sexageſima. *ibidem*
XV. Orat. & Prec. ſuper Pœnitentes. 13
XVI. Ordo agentibus publicam pœnitentiam. 14
XVII. Orat & Prec. a Quinquageſima uſque ad Quadrageſimam. *ibid.*
In Jejunio prima Statio. Fer. IV. 15
Feria VI. in Quinquageſ. 16
Feria VII. in Quinquageſima. 17
XVIII. Orat. & Prec. Dominica in Quadrageſimæ inchoätis initium. *ibidem*
. Feria ſecunda in Quadrageſima. 18
Feria Tertia. *ibidem*
Feria Quarta. 19
Feria Sexta. *ibidem*
Feria Septima. *ibidem*
XVIIII. Orat. prima Sabb. in Menſe primo.
Orat. & Prec. in XII. Lection. Menſe primo. 20
XX. Ordo qualiter in Romana Sedis Apoſtolicæ Eccleſia Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi eligendi ſunt. 21
Ad ordinãdos Presbyteros. *ibid.*
XXI. Capitulum ſancti Gregorii Papæ. 23
XXII. Ad ordinandos Diaconos. *ibid.*
XXIII. . . . .
XXIV. Item Orationes & Preces ad Miſſam. 25
XXV. Secunda Dominica in Quadrageſima. 26
Feria II. hebdom. II. *ibidem*
Feria III. hebdom. II. 27
Feria IIII. hebdom. II. *ibidem*
Feria VI. hebdom. II. *ibidem*
Feria VII. hebdom. II. 28
XXVI. Tertia Dominica quæ pro Scrutiniis Electorum celebratur. 29
Feria II. hebdom. III. 30
Feria III. hebdom. III. *ibidem*
Feria IIII. hebdom. III. *ibidem*
Feria VI. hebdom. III. 31
Feria VII. hebdom. III. *ibidem*
XXVII. Quarta Domin. pro Scrutinio II. 32
Feria II. hebdom. IIII. *ibidem*
Feria III. hebdom. IIII. *ibidem*
Feria IIII. hebdom. IIII. 33
Feria VI. hebdom. IIII. *ibidem*

Digitized by Google

Feria VII. hebdom.IIII. 34
XXVIII. Quinta Dominica quæ pro Scrutin. celebratur. *ibidem*
Feria II. hebdom.V. 35
Feria III. hebdom.V. *ibidem*
Feria IIII. hebdom.V. *ibidem*
Feria VI. hebdom.V. 36
Feria VII. hebdom.V. *ibidem*
XXIX. Denuntiatio pro Scrutinio, quod tertia hebdomada in Quadrag. ſecunda Feria nuntiatur. 37
XXX. Orat. ſuper Electos ad Catechumenum faciendum. *ibidem*
XXXI. Benedictio Salis dandi Catechumeno. 38
XXXII. Benedictio poſt datum Salem. *ibidem*
XXXIII. Item Exorciſmi ſuper Electos, quos Acolythi impoſita manu ſuper eos dicere debent. 39
XXXIIII. Expoſitio Euangeliorum in aurium apertione ad Electos. 41
XXXV. Præfatio Symboli ad Electos. 44
XXXVI. Item Præfatio Orationis Dominicæ. 47
XXXVII. Domin. in Palmas de Paſſione Domini. 49
Feria II. hebdom.VI. 50
Feria III. hebdom.VI. *ibidem*
Feria IIII. hebdom.VI. 51
XXXVIII. Orat.in quinta Feria. *ibid.*
Ordo agentibus publicam pœnitentiam. 52
Item ad reconciliandum pœnitentem. 54
Reconciliatio pœnitētis ad mortem. 55
Oration. poſt reconciliationem, vel poſtea quam communicaverit. 56
XXXIX. . . . .
XL. Item in quinta Feria Miſſa Chriſmalis. 57
Benedictio Olei. 58
Item Olei exorcizati confectio. 61
Item in Feria V. Miſſa ad Veſperum. 62
XLI. Ordo de Feria VI. Paſſione Domini. 63
XLII. Sabbatorum die Catechiſmus infantium. 67
Ordo qualiter Sabbato Sancto ad Vigiliam ingrediantur. 68
Benedictio Cerei. 69
XLIII. Orat. per ſingulas Lectiones in Sabbato Sancto. 70
XLIIII. Benedictio Fontis. 73
Baptiſmus. 75
Conſignatio ſive Confirmatio. 76
XLV. Orat. & Prec. ad Miſ. in nocte. *ibidem*
XLVI. Dominicum Paſchæ. 78
XLVII. Totius Albæ orat. & preces.
Feria ſecunda. *ibidem*
XLVIII. Feria III. 79
XLVIIII. Feria IIII. 80
L. Feria quinta. *ibidem*
LI. Feria Sexta. 81
LII. Feria Septima. *ibidem*
LIII. Octabas Paſchæ die Dominico. 82
LIIII. Orat. & prec. de Paſcha annotina. 83
LV. Orat. & prec. in Parochia. *ibid.*
LVI. Orat. Paſchales Veſpertinales. 84
LVII. Orat. & prec. Dominicum poſt Octabas Paſchæ. 86
LVIII. Item II. Domin. poſt Clauſum Paſchæ. *ibidem*
LVIIII. Tert. Domin. poſt Clauſum Paſchæ. 87
LX. Quart. Domin. poſt Clauſum Paſchæ. *ibidem*
LXI. Quinta Domin. poſt Clauſum Paſchæ. 88

LXII. Se-

Digitized by Google

LXII. Sexta Domin. poſt Clauſum Paſchæ. *ibidem*
LXIII. Orat. & preces in Aſcenſa Domini. 89
Benedictio frugū novarū. *ibid.*
LXIIII. Item alia Miſſa. 90
LXV. Orat.& Preces Dominica poſt Aſcenſa Domini. *ibidem*
LXVI. Sabbato Pentecoſten.
Ægrotanti Catechumeno impoſitio manuum. 91
LXVII. Item impoſitio manus ſuper Energumenum Catechumenū. 92
LXVIII. Item alia pro parvulo Energumeno. *ibidem*
LXVIIII. Orat. ſuper Catechumenum infirmum. 93
LXX. Catechiſmus infirmi baptizandi. *ibidem*
LXXI. Item ad Catechumenum ex Pagano faciendum. *ibidem*
LXXII. Item ad ſuccurrendum infirmo Catechumeno. 94
LXXIII. Benedictio Fontis pro infirmo, & Benedictio aquæ ad ſuccurrendum. *ibidem*
LXXIIII. Item alia ad ſuccurrendū. 95
LXXV. Item alia Benedictio. *ibidem*
Baptiſmus. *ibidem*
Conſignatio. 96
LXXVI. Ad ſuccurrendum Benedictio Olei exorcizati. *ibidem*
LXXVII. Orationes per ſingulas Lectiones in Sabbato Pentecoſten. *ibidem*
LXXVIII. Item in Vigilia de Pentecoſten ad Miſſam. 97
LXXVIIII. Item aliter in Vigilia Pentecoſten. 98
LXXX. Oratio & Prec. Domin. Pentecoſten. 99
LXXXI. Item Orationes ad Veſperos infra Octabas Pentecoſten. *ibid.*
LXXXII. Denunciatio jejuniorum Quarti, Septimi, & Decimi Menſis. 100
LXXXIII. Orationes & Preces Menſis Quarti.
Feria IIII. 101
Feria VI. 102
Sabbato in XII. Lectiones. *ibid.*
LXXXIIII. Orat. & prec. in Dominica Octavar. Pentecoſt. 103
LXXXV. Benedictio ſuper eos qui de hæreſi Ariana ad Catholicam redeunt unitatem. 104
LXXXVI. Item pro eis qui de diverſis hæreſibus veniunt. 105
LXXXVII. Reconciliatio Rebaptizati ab hæreticis. *ibidem*
Alia pro minore ætate. 107
Item alia pro minore ætate. *ibid.*
LXXXVIII. Orat. in dedicatione Baſilicæ novæ. 107
Conſecratio Baſilicæ. *ibidem*
Orat. ſuper aquam & vinum ad conſecrationem Altaris. *ibidem*
Præfatio Conſecrationis Altaris. 108
Benedictio Altaris ſive Conſecratio. *ibidem*
Benedictio Linteaminum. *ibid.*
Ad conſecrandam Patenam. *ibid.*
Ad Calicem benedicendum. 109.
Item benedictio ad omnia in uſum Baſilicæ. *ibidem*
Præfatio & Benedict. Chriſmalis. *ibidem*
LXXXVIIII. Orat. & prec. ad Miſſas in dedicatione Baſilicæ novæ. 110
XC. Item alia Miſſa. 111
XCI. Orat. & prec. in dedicatione Baſilicæ, quam Conditor non dedicatam reliquit. *ibidem*
XCII. In ejuſdem Conditoris Agendis. 112
XCIII. Orat. & prec. in dedicatione loci

loci illius, ubi prius fuit Synagoga. *ibidem*
XCIIII. Orat. & prec. in dedicatione Fontis. 113
XCV. Incipit Ordo de ſacris Ordinibus benedicendis. 114
XCVI. Item Benedictiones ſuper eos qui ſacris Ordinibus benedicendi ſunt. 116
Præfatio Oſtiarii. 117
Item benedictio ejuſdem. *ibid.*
Præfatio Lectoris. *ibidem*
Benedictio Lectoris. *ibidem*
Præfatio Exorciſtæ. *ibidem*
Benedictio Exorciſtæ. *ibidem*
Præfat. ordinan. Subd. 118
Benedictio Subdiaconi. *ibidem*
Conſecratio manuum. *ibidem*
XCVII. In natl. Conſecrationis Diaconi. *ibidem*
XCVIII. In natl. Conſecrat. Presbyt. qualiter ſibi Miſſ. debeat celebrare. 119
XCVIIII. Oratio de Epiſcopis ordinandis. 120
Conſecratio. *ibidem*
C. Item Miſſ. quam pro ſe Epiſc. die Ordinationis ſuæ cantat. 121
CI. Item in natalitio Epiſcopi ſi infirmus aut abſens fuerit, qualiter Presbyter debeat celebrare Miſſam. 122
CII. Item Miſſa pro alio Sacerdote. *ibidem*
CIII. Conſecratio ſacræ Virginis quæ in Epiphania, vel ſecunda Feria Paſchæ, aut in Apoſtolorum natalitio celebratur. 123
Benedictio veſtimentorum Virginum. 125
CIIII. Item oratio ſuper Ancillas Dei, quibus convertis veſtimenta mutantur. *ibidem*
CV. Item orationes ad Miſſas ejuſdem. *ibidem*
CVI. Item alia ejuſdem. 126
Item alia ejuſdem. *ibidem*

L I B E R   S E C U N D U S.

Orationes & Preces de Natalitiis Sanctorum.

I. Denunciatio Natalitii unius Martyris. 127
Denunciatio cum Reliquiæ ponendæ ſunt Martyr. *ibidem*
II. In Natale ſancti Felicis Confeſſoris. XVIIII. Kal. Febr. *ibidem*
III. In Natl. ſancti Marcelli Conf. XVII. Kal. Februar. 128
IIII. In Natl. Sanctorum Martyrum Sebaſtiani, Mariæ, Marthæ, Audifax, & Abacuc. XIII. Kal. Februar. *ibidem*
V. In Natl. ſancti Fabiani. Item XIII. Kal. Feb. 129
VI. In Natl. ſanctæ Agnetis Virginis de Paſſione ſua. XII. Kal. Februar. *ibidem*
VII. Item in Natl. ejuſdem de Nativitate. V. Kal. Febr. *ibidem*
VIII. Orat. in Purificatione Sanctæ Mariæ. IIII. Non. Feb. 130
VIIII. In Natl. ſanctæ Agathæ. Nonis Februar. *ibidem*
X. In Natl. ſanctæ Soteris. IIII. Id. Februar. 131
XI. Orat. in Natl. Valentini, Vitalis, & Feliculæ. XVI. Kal. Mar. *ibidem*
XII. In Natl. S. Julianæ. XIII. Kal. Mar-

Martias. *ibidem*
XIII. In Natl. ſanctarum Perpetuæ, & Felicitatis. Non. Martiis. 132
XIIII. In Adnunciatione ſanctæ Mariæ Matris Domini Noſtri Jeſu Chriſti. VIII. Kal. Apr. *ibidem*
Orationes ad Veſperum. 133
XV. In Nat. ſanctæ Euphemiæ. Idibus Aprilis. *ibidem*
XVI. In Natl. Philippi, & Jacobi Apoſtolorum. Kalendis Madiis. *ibid.*
XVII. In Natale ſancti Juvenalis. V. nonas Madias. 134
XVIII. De Inventione S. Crucis. Item. V. nonas Madias. *ibidem*
XVIIII. In Natl. ſanctorum Nerei, & Achillei Fratrum & S. Pancratii. IIII. Id. Madias. 135
XX. In Natl. Sanctorum Petri, & Marcellini. IIII. non. Jun. *ibidem*
XXI. Item in Sanctorum Cyrini, Naboris, & Nazarii. Prid. Id. Junias. 136
XXII. In Natl. ſancti Viti. XVII. Kal. Jul. *ibidem*
XXIII. In Natl. Sanctorum Marci, & Marcelliani. XIIII. Kal. Julias. *ibidem*
XXIIII. In Vigl. Sanctorum Martyrum Gerbaſii & Protaſii. Item XIIII. Kal. Julias. 137
Item in Natl. ut ſupra III. Kal. Julias. *ibidem*
XXV. In Vigil. S. Johan. Bapt. VIII. Kal. Jul. *ibidem*
XXVI. Item in Natl. unde ſupra. 138.
Oratio in Vigl. S. Johannis. *ibid.*
XXVII. In Vigil. Mar. Johan. & Pauli. VII. Kal. Jul. *ibidem*
XXVIII. Item in Natl. eorumdem. VI. Kal. Julias. 139
XXVIIII. In Vigil. Apoſtolorum Petri, & Pauli. III. Kal. Jul. *ibidem*
XXX. Item in Natl. ſancti Petri proprie. III. Kal. Julias. *ibidem*
XXXI. In Natl. Apoſtolorum Petri, & Pauli III. Kal. Jul. 140
XXXII. Item in Natl. S. Pauli proprie. III. Kal. Jul. *ibidem*
XXXIII. Orat. ad Veſperum. 141
XXXIIII. Item de Vigil. omnium Apoſtolorum. *ibidem*
XXXV. Item in Natl. omnium Apoſtolorum. 142
XXXVI. In Octab. Apoſt. Pridie non. Jul. *ibidem*
XXXVII. In Natl. ſanctorum Simplicii, Fauſtini, & Beatricis. V. Kal. Auguſt. 143
XXXVIII. In Natl. Abdo, & Senis. III. Kal. Auguſt. *ibidem*
XXXVIIII. In Natl. Machabæorum. Kal. Auguſtis. *ibidem*
LX. In Natl. ſancti Sixti. VIII. Id. Auguſt. 144
XLI. In Natl. ſancti Donati. VII. Id. Auguſt. *ibidem*
XLII. In Vigil. S. Laurentii. V. Id. Auguſt. *ibidem*
XLIII. Item in Natl. ejuſdem. IIII. Id. Auguſtas. 145
Orat. ad Veſper. *ibidem*
XLIIII. In Natl. ſancti Tiburtii. III. Id. Auguſt. 146
XLV. In Natl. ſancti Hippolyti. Id. Auguſt. *ibidem*
LXVI. In Octab. S. Laurentii. XVI. Kal. Septemb. *ibidem*
XLVII. In Adſump. ſanctæ Mariæ. XVIII. Kal. Septemb. 147
XLVIII. In Natl. ſancti Agapiti. XV. Kal. Septemb. *ibidem*
XLVIIII. In Nat. ſancti Magni. XIIII. Kal. Septemb. 148
L. In Nat. ſancti Ruffi. VI. Kal. Septemb. *ibidem*
LI. In Natl. S. Hermis. V. Kal. Septemb. *ibidem*

LII. In die Paſſ. ſancti Johannis Bapt. iiii. Kal. Septemb. 149
LIII. In Natl. ſancti Priſci. Kal. Septemb. ibidem
LIIII. In Nativit. ſanctæ Mariæ. vi. Id. Septemb. 150
LV. In Natl. ſancti Gorgonii. v. Id. Septemb. ibidem
LVI. In Exaltatione S. Crucis. xviii. Kal. Octob. ibidem
LVII. In Natl. Sanctorum Cornelii, & Cypriani. Item xviii. Kal. Octob. 151
LVIII. In Nat. ſanctorum Coſmæ & Damiani. v. Kal. Octob. ibidem
LVIIII. Orat. in ſancti Archangeli Michaelis. iii. Kal. Octob. ibidem
LX. Orat. in Jejunio Menſis Septimi. 152
In ſexta Feria Menſis Septimi. ibidem
In xii. Lectiones die Sabbati. ibidem
LXI. In Natale Sanctorum Marcelli, & Apulei. Non. Octob. 153
LXII. In Natl. ſanctorum Quatuor Coronatorum Coſtiani, Claudii, Caſtorii, & Simproniani. vi. Id. Novembris. ibidem
LXIII. In Vigil. ſanctæ Cæciliæ. xi. Kal. Decemb. ibidem
LXIIII. Item in Natl. ejuſdem. x. Kal. Decemb. 154
LXV. In Natl. ſancti Clementis. viiii. Kal. Decemb. ibidem
LXVI. In Natl. ſanctæ Felicitatis. Item viiii. Kal. Decemb. ibidem
LXVII. In Natale ſanctorum Martyrum Saturnini, Chriſanthi, Mauri, Dariæ, & aliorum. iii. Kal. Decemb. 155
LXVIII. In Vigil. ſancti Andreæ. iii Kal. Decemb. ibidem
LXVIIII. Item in Natl. ejuſdem. Prid. Kal. Decemb. 156
LXX. In Octabas ſancti Andreæ Apoſtoli. vii. Id. Decembr. ibidem
LXXI. In Natl. ſancti Thomæ Apoſtoli xii. Kal. Jan. ibidem
LXXII. Orat. in Natl. plurimorum Sanctorum. 157
LXXIII. Item alia Miſſa. ibidem
LXXIIII. Item alia Miſſa. ibidem
LXXV. Item alia Miſſa. 158
LXXVI. Item alia Miſſa. ibidem
LXXVII. Item alia Miſſa. ibidem
LXXVIII. Item alia Miſſa. 159
LXXVIIII. Item alia Miſſa. ibidem
LXXX. Orat. de Adventu Domini. ibidem
LXXXI. Item alia Miſſa. 160
LXXXII. Item alia Miſſa. ibidem
LXXXIII. Item alia Miſſa. 161
LXXXIIII. Item alia Miſſa. ibidem
LXXXV. Orat. & Preces Menſis Decimi. Feria iiii. 162
In Sexta Feria. 163
Sabbato in xii. Lectiones. ibid.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

Orationes & Preces cum Canone pro Dominicis diebus.

I. Miſſa. 165
II. Item alia Miſſa. *ibidem*
III. Item alia Miſſa. 166
IIII. Item alia Miſſa. *ibidem*
V. Item alia Miſſa. 167
VI. Item alia Miſſa. *ibidem*
VII. Item alia Miſſa. *ibidem*
GII. Item alia Miſſa. 168
GIII. Item alia Miſſa. *ibidem*
X. Item alia Miſſa. 169
XI. Item alia Miſſa. *ibidem*
XII. Item alia Miſſa. *ibidem*
XIII. Item alia Miſſa. 170
XIIII. Item alia Miſſa. *ibidem*
XV. Item alia Miſſa. *ibidem*
XVI. Item alia Miſſa. 171
Canon Actionis. 172
Item Benedictiones ſuper populum poſt Communionem. 177
XGII. Orationes cotidianis diebus ad Miſſas. 178
XGII!. Item alia Miſſa. 179
XX. Item alia Miſſa. *ibidem*
XXI. Item alia Miſſa. *ibidem*
XXII. Item alia Miſſa. 180
XXIII. Item alia Miſſa. *ibidem*
XXIIII. Orat. ad proficiſcendum in itinere. *ibidem*
XXV. Item Orationes pro iter agentibus. 181
XXG. Orat. pro Caritate 182
XXGI. Item alia Miſſa. *ibidem*
XXGII. Orat. in Tribulatione. 183
XXGIII. Item alia Miſſa. *ibidem*
XXX. Item alia Miſſa. *ibidem*
XXXI. Item alia Miſſa. *ibidem*
XXXII. Item alia Miſſa. 184
XXXIII. Item alia Miſſa. *ibidem*
XXXIIII. Item alia Miſſa. 185
XXXV. Item alia Miſſa. *ibidem*
XXXVI. Item alia Miſſa. *ibidem*
XXXVII. Item alia Miſſa. 186
Orat. in Natl. Presbyteri, qualiter ſibi Miſſam debeat celebrare. *ibidem*
XXXVIII. Orat. tempore (quod abſit (mortalitatis. 187
XXXVIIII. Item alia Miſſa. *ibidem*
XL. Item alia Miſſa. 188
XLI. Item alia Miſſa. *ibidem*
XLII. Orat. pro Mortalitate animalium. *ibidem*
XLIII. Orat, de Sterilitate. 189
XLIIII. Orat. ad pluviam poſtulandam. *ibidem*
XLV. Item alia Miſſa. 190
XLVI. Orat. ad poſcendam ſerenitatem. *ibidem*
XLVII. Orat. poſt tempeſtatem & fulgura. 191
XLVIII. Orat. pro his qui Agape faciunt. *ibidem*
XLVIIII. Item Orat. ad Miſſas. 192
L. Miſſa in Monaſterio. *ibidem*
LI. Item Orat. Monachorum. 193
LII. Actio Nuptialis. *ibidem*
LIII. Orat. in Natale genuino. 196
LIIII. Orat. ad Miſſam pro ſterilitate mulierum. 197
LV. Benedictio Viduæ quæ fuerit caſtitatem profeſſa. 198
LVI. Orat. pro Pace. *ibidem*
LVII. Orat. tempore Belli. 199
LVIII. Item alia Miſſa. 200
LVIIII. Item alia Miſſa. *ibidem*
LX. Item alia Miſſa. 201
LXI. Item alia Miſſa. *ibidem*
LXII. Item Miſſa pro Regibus. 202
LXIII. Miſſa contra Judices male agentes. 203

m LXIIII.

Digitized by Google

LXIIII. Item alia Miſſa. *ibidem*
LXV. Oratio in contentione ad Miſſas. *ibidem*
LXVI. Item alia Miſſa. 204
LXVII. Orat. ad Miſſam contra obloquentes. *ibidem*
LXVIII. Orat. ad Miſſas pro Inreligioſis. *ibidem*
LXVIIII. Orat. ſuper infirmum in domo. 205
LXX. Item Orat. ad Miſſam pro infirmis. *ibidem*
LXXI. Orat. pro reddita ſanitate. 206
LXXII. Oratio intrantibus in domum ſive Benedictio. *ibidem*
LXXIII. Item Orat. ad Miſſas. 207
LXXIIII. Orat. ſuper venientes in domum. *ibidem*
LXXV. Benedictio aquæ ſpargendæ in domo. 208
LXXVI. Item alia. *ibidem*
Item ad Conſparſum faciendum. 109
Orat. pro Aſperſione aquæ. 210
LXXVII. Item Orat. pro fulgoribus. *ibidem*
LXXVIII. Benedictio aquæ exorcizatæ ad fulgura. 211
LXXVIIII. Orat. in Area nova. *ibid.*
LXXX. Item Orat. in Monaſterio. *ibidem*
LXXXI. Orat. in domo Ancillarum Dei. 212
LXXXII. Orat. pro Renunciantibus ſæculo. *ibidem*
LXXXIII. Orat. pro eo qui prius barbam tondit. *ibidem*
LXXXIIII. Orat. ad Matutinas. *ibid.*
LXXXV. Oration. ad Veſperum. 213
LXXXVI. Orat. ante cibum. 214
LXXXVII. Orat. poſt cibos. *ibidem*
LXXXVIII. Orat. ad fruges novas benedicendas. *ibidem*
LXXXVIIII. Benedictio Pomorum. 215
LXL. Benedictio Arboris. *ibidem*
XCI. Orat. poſt obitum hominis. *ibidem*
Item Orat. antequam ad ſepulchrum deferatur. 217
Item Orat. ad ſepulchrum priuſquam ſepeliatur. 218
Item Orat. poſt ſepulturam. *ibid.*
Commendatio animæ defuncti. 219
Item alia. *ibidem*
XCII. Item Miſſa pro defuncto Sacerdote. *ibidem*
XCIII. Item alia pro Sacerdote. 220
XCIIII. Item alia pro Sacerdote ſive Abbate. *ibidem*
XCV. Oratio ad Miſſam in Natale Sanctorum, ſive Agenda mortuorum. 221
XCVI. Miſſa pro defuncto nuper baptizato. *ibidem*
XCVII. Item alia Miſſa. 222
XCVIII. Orat. ad Miſſam pro defunctis deſiderantibus pœnitentiam, & minime conſecutis. Item ad Miſſas. 223
XCVIIII. Orat. pro defunctis laicis. Item unius defuncti. 224
C. In agenda plurimorum. *ibidem*
CI. Item alia Miſſa. 225
CII. Item alia Miſſa. *ibidem*
CIII. Item alia Miſſa in Cæmeteriis. 226
CIIII. Item alia Miſſa. *ibidem*
CV. Item Miſſa in depoſitione Defuncti, tertii, ſeptimi, xxxmi dierum, vel annualis. 227
CVI. Item Oratio ad Miſſam pro ſalute vivorum. 228
Ad Pœnitentiam dandam. 229

Hinc incipit Codex [1] *qui prioribus foliis deficitur.*

XLVI. Miſſa ad poſcendam ſerenitatem.
XLVII. Miſſa poſt tempeſtatem & fulgora.
XLVIII. Orat. ſuper his qui Agape faciunt.
XLVIIII. Item Orat. ad Miſſa ut ſupra.
L. Miſſa in Monaſterio.
LI. Item Orat. in Monaſterio.
LII. Orat. ad Miſſ. pro hiis, qui prius nuptias copulantur, vel omnis Actio Nuptial.
LIII. Miſſa in Natal. genuinum.
LIIII. Pro ſterilitate mulierum.
LV. Benedictio Viduæ, quæ fuer. caſtitate profeſſa.
LVI. Miſſa pro pace.
LVII. Orat.ad Miſſa tempore Belli.
LVIII. Item Alia.
LVIIII. Item Alia.
LX. Item Alia.
LXI. Item Alia.
LXII. Item Alia.
LXIII. Item Miſſa pro Regibus.
LXIIII. Contra Judices male agentes.
LXV. Item Alia.
LXVI. Miſſa in [2] contentione.
LXVII. Item Alia.
LXVIII. Miſſa contra obloquentes.
LXGIII. Miſſa pro Inreligioſis.
LXX. Orat. ſuper Infirmum in domum.
LXXI. Miſſa pro infirmis.
LXXII. Orat. pro redita ſanitate.
LXXIII. Orat. in domo, ſive Benedictiones.
LXXIIII. Miſſa in domo.
LXXV. Orat. ſuper venientis in domo.
LXXVI. Benedictio aquæ ſpargendæ in domo.
LXXGI. Item Alia.
LXXGII. Orat. pro fulgoribus.
LXXGIII. Benedictio aquæ ſpargendæ ad fulgora.
LXXX. Orat. in area nova.
LXXXI. Orat. in Monaſterio.
LXXXII. Orat. in domo Ancillarum Dei.
LXXXIII. Orationes pro Renuntiantibus ſæculo.
LXXXIIII. Orat. pro eo qui prius barbam [3] tondit.
LXXXV. Orat. ad Matutinum.
LXXXVI. Orat. ad Veſperos.
LXXXGI. Orat. ante cibum.
LXXXGII. Orat. poſt cibos.
LXXXGIII. Orat. ſuper fruges novas benedicendas.
XC. Item Alia.
XCI. Benedictio Pomorum.
XCII. Benedictio Arboris.
XCIII. Commendatio Animæ defuncti.
XCIIII. Miſſa pro defuncto Sacerdote.
XCV. Item Alia.
XCVI. Item alia pro Sacerdote, vel Abbate.
XCGI. Miſſa in Natl. Sanctorum, vel

(1) *Petavianus olim, tum in Biblioth. Reginæ Sueciæ ſignatus num. 1455; nunc vero temporis Vatic-Alexand. ſub nota 316. de quo videſis tum quæ a Ven. Thomaſio, tum quæ a nobis in Præfationibus dicuntur.*

(2) *Mſ.* in contencione.

(3) *Mſ.* tundit. *Scriptori hujus mſ. Codicis illud frequens fuit ut pro littera* o *alteram* u *poneret, ſicut & e loco alterius* i.

vel Agendum mortuorũ.
XCGII. Miſſa pro defuncto nuper baptizato.
XCGIII. Item Alia.
C. Miſſa pro defunctis deſiderantibus pœnitentiam, & minime conſequentur.
CI. Miſſa pro defunctis Laicis.
CII. Miſſa in agenda plurimorũ.
CIII. Item Alia.
CIIII. Item Alia.
CV. Item Alia in Cymiteriis.
CVI. Item Alia.
CVII. Item alia in die depoſitionis defuncti, VII. & XXX. dierum.
CIII. Item alia pro ſalute vivorum.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

Deo gratias ſemper. Amen.

Pater noſter. qui es. in cælis. ſanctificetur. nomen. tuum. adveniat. regnum. tuum. fiat.
PAter. ymon. oentis. vranis. agiaſti. totonomaſu. eltato. ibaſili. aſu.geniti.
voluntas. tua. ſicut. in calo. & in terra. panem. noſtrum. ſuperſubſtantialem.
totelimaſſu. oſſe. vranu. Kae. pitiſgis. tonarton. ymon. omoyſion.
da nobis. hodie. & dimitte. nobis. debita. noſtra. ſicut. &. nos.
doſymin. ſymero. Kae. aphis. ymin. thaothelemata. ymon. us. Kae. ymin.
dimittimus. debitoribus. noſtris. &. ne. nos. in. ducas. in temptatione.
(1)aphionem. tauphelemata.ymon. Kae. mys. ymin. Kis. ymas. ſpiraſmo.
ſed libera nos. a malo.
allariſſe. ymas. apotuponeru.

(1) *Mſ.* aphi . enen.

IN NOMINE DN̄I JESV XP̄I SALVATORIS.

INCIPIT LIBER [1] SACRAMENTORVM ROMANÆ ECCLESIÆ ORDINIS ANNI CIRCVLI.

ORAT. ET [2] PRECES. IN VIGILIIS [3] NATALIS DOMINI AD [4] NONAM.

DA nobis [5] omnipotens Deus: ut ſicut [6] adoranda Filii tui natalitia prævenimus : [a] ſic [7] & ejus munera capiamus ſempiterna gaudentes. [8] Per Dominum noſtrum.

Præſta miſericors Deus: ut ad ſuſcipiendum Filii tui ſingulare nativitatis myſterium, & mentes credentium præparentur, & non credentium corda ſubdantur. [b] Per Dominum noſtrum.

[9] SECRETA.

Tanto nos, Domine quæſumus, promptiore ſervitio hujus ſacrificia præcurrere concede ſolemnia: quanto in hoc conſtare principium noſtræ redemptionis oſtendis. [c] Per.

[10] POST COMMVN.

Hujus nos Domine Sacramenti

A 2 ſemper

a. Sic & ejus. *lege* ſic ejus.
b. Per Dominum noſtrum. *leg*. Per :
c. Per. *leg*. Per Dominum.

(1) *Ita totidem verbis in Mſ. titulus ille legitur.*

(2) Liber Sacramentorum, *hoc eſt officia Miſſarum: horum enim volumen* librum Sacramentotum *veteres dixiſſe conſtat. Videri poterunt de hac re Pamelius in Prolegomenis ad tom.* II *ſuorum Liturgicon; & Hugo Menardus nota* 2 *ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Magni; atque Angelus Rocca ſub initium animadverſionum ſuarum in eumdem Librum Sacramentorum: quos non ſolum veterum teſtimonia de hujuſmodi nuncupatione collegiſſe patet; ſed & differere an potius decendus ſit* Liber Sacramentorum; *an vero* Liber Sacramentarius.

(3) Natalis, *non vero* Nativitatis. *Confer quæ diximus Tom.* IV, *pag.*268, *& inde ſequentibus, not.* (1)

(4) Ad Nonam. *Vide quæ adnotavimus ad pag.*258 *Tom.*V, *not.* (2) *quæ occurrunt in Capitulari Euangel. ejuſdem Tom.*V *pag.*513. *Vide & Menardum in hunc ſui* Sacramentarii *locum*.

(5) *Codex Ottobono-Vatic. ſig. num.*2, *una cum altero Cod. Vatic. Alexand. not. num.*337 *&* Sacramentaria *Pamelii atque Menardi illic interponunt vocem* quæſumus.

(6) *Cod.* O. ad adoranda.

(7) *Voculam* & ejus *loci expungunt & quatuor mox laudata* Sacramentaria *ſub not.* (5).

(8) *Menard.* Per eumdem. O. P. R. Qui tecum vivit.

(9) *In Gregorianis exemplis illic plerumque legitur*, Super Oblata.

(10) Poſt Communionem, *fere ut in Miſſali Romano, quod eam orationem inſcribit* Poſtcommunio. *In Gregorianis exemplis heic legitur* Ad complendum, *quod ea Oratio ſit Miſſæ complementum, uti bene interpretatur Menardus. Ab Auguſtino in epiſtola ad Paulinum apud eundem Menardum dicitur* Gratiarum actio.

Digitized by Google

ſemper natalis inſtauret:[a] cujus [b*] nobilitas ſingularis humanam repulit vetuſtatem. Per Dominum.

II. ITEM DE VIGILIA
Domini in nocte.

Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem veri luminis feciſti inluſtratione clareſcere: Da quæſumus: ut, cujus Lucis [1] myſterium in terra cognovimus, ejus quoque gaudiis in [2] cælo perfruamur. [3] Per.

Concede quæſumus omnipotens Deus: ut [4] Unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet, quos ſub peccati jugo vetuſta ſervitus tenet. Per.

SECRETA.

Munera noſtra Domine, quæſumus, Nativitatis hodiernæ myſteriis apta [c] perveniant: Ut ſicut homo genitus, [5] idem præfulſit [d] & Deus; ſic nobis hæc terrena ſubſtantia conferat quod divinum eſt. Per.

VD & juſtum eſt, æquum, & ſalutare. Cujus Divinæ Nativitatis potentiam ingenita virtutis tuæ genuit magnitudo. Quem ſemper Filium & ante tempora æterna generatum, quia tibi pleno atque perfecto æterni Patris nomen non defuit, prædicamus: verum etiam honore, majeſtate, atque virtute æqualem tibi cum Sancto Spiritu confitemur: dum trino vocabulo unicam credimus majeſtatem. Quem laudant Angeli.

POST COMMUN.

Læti Domine frequentamus ſalutis humanæ principia: quia trina celebratio beatæ competit [6] myſterio Trinitatis. Per Dominum noſtrum.

III. ITEM IN VIGILIA
Domini mane prima.

Deus qui per Beatæ Mariæ Sacræ Virginis partum ſine humana concupiſcentia [e] percreatum, in Filii tui membra [7] venientes, paternis feciſti præjudiciis non teneri: Præſta quæſumus: ut, hujus creaturæ novitate ſuſcepta, vetuſtatis antiquæ contagiis exuamur. Per eundem Dominum.

Reſpice nos omnipotens, & miſericors Deus: & mentibus clementer humanis, naſcente Chriſto, ſummæ veritatis lumen [f] infunde [8] Per.

SECRETA.

Da nobis Domine ut Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſolemnia, quæ

a. In Sacramentariis S. Gregorii apud Pamelium & Menardum in die Natalis Domini habetur, *cujus Nativitas*.

*b** Al. *Nativitas ſingularis*. Vide ſanctum Leonem in celeberrima illa epiſtola ad Flavianum, quæ eſt 24 ultimæ editionis.

c. Apud Pamel. & Menardum legitur, *proveniant*. *d.* Apud Pamelium, & Menard. *refulſit Deus*. *e.* Apud Pamelium, & Menardum *procreatum*.

f. Apud Pamelium, & Menardum, *oſtende*.

(1) P. M. O. R. Myſteria.

(2) P. in cælis. *Gelaſianus noſter Mſ. vocem cælum perpetuo ſcriptam exhibet diphthongo æ, non vero œ; quod in præſentia notari voluimus*.

(3) *P. M. O. R.* Qui tecum vivit &c.

(4) *Eadem monimenta illic habent*, ut nos Unigeniti tui &c.

(5) *Mſ.* ideſt *pro* idem, *ſed mendoſe*. *Deinde Gregoriana noſtra exempla loco* præfulſit *ajunt* refulſit.

(6) *Mſ* myſterium.

(7) *Mſ.* venientia.

(8) Oſtende *ibidem ajunt O. & R.*

quæ præſentibus ſacrificiis prævenimus, ſic nova ſint nobis, ut continuata permaneant: ſic perpetua perſeverent, ut per ſuo miraculo nova ſemper exiſtant. Per eundem,

ITEM ALIA.

Cuncta, Domine, quæſumus, his muneribus a nobis ſemper diabolica figmenta ſeclude: ut noſtri Redemptoris exordia purificatis mentibus celebremus. Per.

VD a* Nos, ſurſum cordibus erectis, divinum adorare Myſterium: quo humana conditio, veteri terrenaque lege ceſſante, nova cæleſtiſque ſubſtantia mirabiliter reſtaurata profertur; ut quod magno Dei munere geritur, magnis Eccleſiæ gaudiis celebretur. Per.

POST COMMVN.

Concede nobis, Domine quæſumus, ut Sacramenta, quæ ſumpſimus, quicquid in noſtra mente vicioſum eſt, ipſius medicationis dono curetur. Per.

AD POPVLVM.

Populum tuum, Domine quæſumus, tueantur, ſanctificent, & gubernent, æternumque perficiant tam devotionibus acta ſolemnibus, quam natalitiis agenda divinis Jeſu Chriſti Domini noſtri.

IV. ITEM IN NATALE Domini in die.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui hunc diem per incarnationem Verbi tui, & per partum Beatæ Virginis Mariæ conſecraſti: Da populis tuis in hac celebritate b* juſtitiæ: ut & qui tua gratia ſunt redempti, tua adoptione ſint filii. Per Dominum.

Præſta miſericors Deus: ut natus hodie

a* *Dignum eſt nos cunctis ſurſum cordibus divinum adorare myſterium: ut quod magno Dei munere agitur, magnis Eccleſiæ gaudiis celebretur*. S. Leo ſerm. II. de Nativ.

b* *Lætitiæ*. Vide Miſſale Gothicum infra in Miſſa hujus diei.

(1) Ad Populum *Gregoriana exempla Pamel & Menar.* Super Populum. *Hujuſce Orationis* ad populum, *vel* ſuper populum *mentionem feciſſe invenies Amalarium, Micrologum, & Honorium Auguſtodunenſem: at ejus ritum haud facile ex illis deteges, neque enim quæ in illis leguntur aut inter ſe, aut cum vetuſtiſſimis iſtis mſſ. exemplis conſentiunt. Amal. lib.* III, *cap.* XXXVII *docet eam eſſe ultimam populi benedictionem, quæ in diebus Quadrageſimalis jejunii potiſſimum frequentaretur. Apertius Micrologus cap.* LI. *aiens*: Orationem ſuper populum in Quadrageſima ideo frequentamus, quia .... oratio poſt Communionem, pro ſolis communicantibus ſolet orare. Populus autem etſi quotidie in Quadrageſima conveniat, non tamen quotidie, ut deberet, communicet. Ne ergo populus ita oratione ut communione careret, adjecta eſt oratio ſuper populum: in qua non de communicatione, ſed pro populi protectione ſpecialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic orationi a populo antiquitus perſolvebatur. Vel potius ideo, quia omnes juxta atteſtationem S. Ambroſii in Dominicis diebus communicare deberent, quibus & oratio poſt communionem pro benedictione ſufficere poſſet. *Diverſa de hac re profert Honorius in Gemma cap.* LIX *dicens*: Statutum quoque eſt, ut panis poſt Miſſam benediceretur, & populo pro benedictione communionis partiretur, hocque Eulogia dicebatur. Sed quia hoc in Quadrageſima fieri non licuit, orationem ſuper populum dici Eccleſia ſtatuit, ut per hanc particeps communionis fit. *Hæc illi, quos veteris hujus ritus germanam rationem haud adtigiſſe demonſtrat, non ſola ipſorum in ſcribendo diſſenſio, ſed & vetuſtiſſima Gelaſii atque Gregorii Sacramentaria, quæ eam orationem recitari jubent non ſolo jejunii tempore, ſed & in celebrioribus ſollemnitatibus, & in ipſis dominicis diebus, quando nec jejunium panis diſtributionem populo interdicit: nec idoneum eſt cogitare aliquem ſacris interfuiſſe, qui de Euchariſtia particeps non fieret. Nodum hunc inter veteres ritus occurrere ſatis aperte innuit ſe noviſſe clariſſimus Cardin. Bona, Rerum Liturg. Lib.* II, *cap.* XX, *num.* II. *quem ut videas, auctor tibi ſum.*

Digitized by Google

hodie Salvator ſicut divinæ generationis eſt auctor, ita & immortalitatis ſit ipſe largitor. Per.

SECRETA.

Oblatio tibi ſit Domine [1] hodiernæ feſtivitatis accepta: [a] quia & noſtræ reconciliationis proceſſit perfecta placatio, & divini cultus nobis eſt indita plenitudo Jeſu Chriſti Domini noſtri. Qui tecum vivit.

VD Tuæ laudis hoſtiam jugiter immolantes. Cujus figuram Abel juſtus inſtituit, agnus quoque legalis oſtendit, celebravit Abraham, Melchiſedech Sacerdos exhibuit: ſed verus agnus, æternus Pontifex hodie natus Chriſtus implevit. Et ideo cum Angelis.

[b] INFRA ACTIONEM.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, in quo incontaminata Virginitas huic mundo edidit Salvatorem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Sed & memoriam.

POST COMMVN.

Da nobis, Domine quæſumus [2], ipſius recenſita Nativitate [c] vegetare: cujus cæleſti myſterio & paſcimur, & potamur Jeſu Chriſti Domini noſtri Filii tui. Qui tecum vivit.

AD POPVLVM.

Præſta, quæſumus Deus noſter: ut familia tua, quæ Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti eſt Nativitate ſalvata, ejus etiam ſit perpetua redemptione ſecura. Per Dominum.

V. ITEM ORAT. DE Natal. Domini ad Veſp. ſive Matut.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris: & populum tuum, qui te factore conditus, teque eſt reparatus auctore: Te etiam jugiter operante, ſalvetur. Per Dominum.

Largire [3] quæſumus Domine famulis tuis [4] fidei & ſecuritatis augmentum: ut qui [5] de Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriantur, & adverſa mundi, te gubernante, non ſentiant, & quæ temporaliter celebrare deſiderant, ſine fine percipiant. [6] Per Dominum.

Deus, qui populo tuo plene præſtitiſti redemptionis effectum, ut non ſolum Vnigeniti tui Nativitate corporea, ſed etiam & [d] Crucis [e*] patibulo ſalvaretur: hujus, quæſumus, fidei

a. Ita in Miſſa Ambroſiana apud Pamelium infra octavam Nativ. Domini.
b. Infra *leg.* Intra. *c*. Apud Pamelium in vigil. Nat. Domini. *reſpirare*.
d. Crucis Patibulo. *leg.* Crucis ejus patibulum.
*e** ejus. Leo ſerm. III. de Nativ. cap. 3.

(1) *Mſ.* hodierna.
(2) *P. M. O. R.* quæſumus unigeniti filii tui recenſita nativitate reſpirare, cujus ...... & potamur. Per eumdem. (3) O. Largire Domine, quæſumus &c.
(4) Fidei & ſecuritatis, *ita & Cod. O. Cod. Veron. apud Blanch. Tom. IV Anaſtaſ. pag. LIV. Ita & Menardus; qui ad hunc locum ait*: Ita in Cod. Remenſi & Rodradi, & hanc lectionem teſtatur Angelus Rocca ſe in uno Codice reperiſſe. In Cod. mſ. Ratoldi Abbaris, & apud Pamelium legitur, *fidei, ſpei & caritatis augmentum*. Quæ lectio videtur plauſibilior, nec tamen prior eſt contemnenda, cum ſit antiquorum codicum, nec ſuo ſenſu careat.
(5) O. In Nativitate. P. qui Nativitate filii tui Domini noſtri gloriantur &c. *Pamelio conſentientes invenio M. R. & Ver. qui tamen voci* Nativitate *præmittunt præpoſitionem* de.
(6) *M.* Per. O. P. R. Per eumdem.

Digitized by Google

dei famulis tuis tribue [1] firmitatem: ut uſque ad promiſſum gloriæ præmium, ipſo quoque gubernante, perveniant. Per.

Deus, qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem & mirabiliter condidiſti, & mirabilius reformaſti: [a] Da [2] quæſumus: ut ejus efficiamur in divina conſortes, qui noſtræ humanitatis fieri dignatus eſt particeps Chriſtus Filius tuus. Per eundem Dominum noſtrum.

Omnipotens ſempiterne Deus creator humanæ reformatorque naturæ, quam Unigenitus tuus in utero perpetuæ Virginitatis adſumpſit: reſpice nos propitius: ut, Filii tui incarnatione ſuſcepta, inter ipſius mereamur membra numerari. Per eundem.

Deus, qui Nativitatis tuæ exordium pro noſtra neceſſarium ſalvatione duxiſti: reſpice nos propitius: & quos ſimiles ad imaginem tuam feciſti, ſimiliores obſervatione perfice mandatorum. [b] Per.

VI. IN NAT. SANCTI Stephani Martyr. VII. Kal. Januarias.

OMnipotens [3] æterne Deus, qui primitias Martyrum in [4] Sancti Levitæ Stephani ſanguine dedicaſti: Tribue quæſumus: ut pro nobis interceſſor adſiſtat, qui pro ſuis etiam perſecutoribus [5] ſupplicavit. Per.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut ſicut divina laudamus in Sancti Stephani paſſione magnalia: ſic indulgentiam tuam piis ejus precibus adſequamur. Per.

Præſta quæſumus omnipotens Deus: ut Beatus Stephanus Levita magnificus, ſicut ante alios imitator dominicæ Paſſionis & pietatis enituit: ita ſit fragilitatis noſtræ promptus adjutor. Per.

SECRETA.

Grata tibi ſint Domine munera, quæſumus, devotionis hodiernæ: quæ Beati Stephani Martyris tui commemoratio glorioſa depromit. Per.

POST COMMUN.

Gratias agimus Domine multiplicatis circa nos miſerationibus tuis: qui & Filii tui nativitate nos ſalvas, & Beati Martyris Stephani deprecatione ſuſtentas. Per.

AD POPULUM.

Beatus Martyr Stephanus, Domine quæſumus, pro fidelibus tuis ſuffragator accedat: qui dum bene ſit tibi placitus, pro his etiam proſit auditor. Per Dominum.

[c] VII. IN NATAL. SANCTI Johan. Euangel. VI. Kal. Januarias.

DEus, qui per os Beati Apoſtoli tui Johannis [6] Euangeliſtæ, Verbi tui nobis arcana reſeraſti: Præſta quæſumus: ut quod ille noſtris auribus

a. Apud Pamel. & Menardum, *da nobis, quæſumus, ejus divinitatis eſſe conſortes.*

b. In Ambroſiana Miſſa apud Pamelium legitur, *Qui cum.* c. VII. *leg.* VI.

(1) *Mſ* firmitate.

(2) *M. O. P. R.* Da nobis quæſumus ejus divinitatis eſſe conſortes qui humanitatis noſtræ fieri dignatus eſt (*Pamel.* es) particeps. Qui tecum vivit &c.

(3) *M. O. P. R.* ſempiterne Deus.

(4) *Eadem monimenta*, beati.

(5) *Rurſus iidem Codd.* exoravit.

(6) *Iidem Codices heic omittunt vocem* Euangeliſtæ: *nec fides debetur iis quæ de Cod. O. in præſentia adnotavit in ſua Liturgia Muratorius.*

bus excellenter infudit, intelligentiæ competentis eruditione capiamus. Per Dominum noſtrum.

Deus, qui Beati Johannis Euangeliſtæ præconiis Principii ſempiterni ſecreta reſeraſti: Da quæſumus, ut ad intelligentiam Verbi, ejus per quem nobis [a] ſplenduit [1], ſuffragiis accedamus. Per Dominum.

Præſta quæſumus omnipoteus Deus: ut excellentiam Verbi tui, quam Beatus Euangeliſta Johannes adſeruit, & convenienter intelligere valeamus, & veraciter [2] confiteri. Per.

SECRETA.

Supplicationibus Apoſtolicis Beati Johannis Euangeliſtæ, quæſumus, Eccleſiæ tuæ [3] Domine commendetur oblatio: cujus magnificis prædicationibus eruditur. Per.

POST COMMVN.

Beati Euangeliſtæ Johañ. nos, Domine quæſumus, merita proſequantur, & tuam nobis indulgentiam ſemper implorent. Per.

AD POPVLVM.

Adſit Eccleſiæ tuæ Domine quæſumus Beatus Euangeliſta Johannes, ut cujus perpetuus doctor exiſtit, ſemper eſſe non deſinat ſuffragator. Per.

VIII. IN NATAL. INNOCEN.

v. Kal. Januar.

DEus, cujus hodierna die præconium Innocentes Martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt: omnia in nobis viciorum mala mortifica; ut fidem tuam, quam lingua noſtra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum.

Deus, qui bonis tuis Infantium quoque neſcia Sacramenti corda præcedis: tribue quæſumus: ut in noſtra conſcientia fiduciam non habentes indulgentia ſemper copioſa [b] præveniat. Per.

Adjuva nos, Domine quæſumus, eorum deprecatione Sanctorum: qui Filium tuum humana necdum voce profitentes, cæleſti ſunt pro ejus nativitate gratia coronati. Per.

SECRETA.

Adeſto Domine muneribus Innocentum feſtivitate ſacrandis: & præſta quæſumus: ut eorum ſinceritatem poſſimus imitari, quorum tibi dicandam veneramur infantiam. Per.

POST COMMVN.

Ipſi nobis, Domine quæſumus, poſtulent mentium puritatem: quorum innocentiam hodie ſolemniter celebramus. Per Dominum.

AD POPVLVM.

Diſcat Eccleſia tua Deus infantum, quos hodie veneramur, exemplo ſinceram tenere pietatem: quæ prius vitam præſtitit ſempiternam, quam poſſit noſſe præſentem. Per Dominum noſtrum.

VIIII. ITEM IN OCTABAS

Domini. Kal. Januar.

DEus, qui bonis nati Salvatoris diem celebrare concedis octavum: fac, quæſumus, nos [c] ejus perpetua

a. ſplenduit. *leg.* ſplendit. *b.* præveniat. *leg.* perveniat. *c.* ejus. *leg.* eſſe. * *Ita correctum ex Pamelio, in exemplari enim mendoſe legitur*, nos eſſe.

(1) *P.* reſplendet. (2) *P. & M.* profiteri. (3) *P. vocem* Domine *illic omittit*.

petua divinitate [a] muniri; cujus ſumus carnali commercio reparati. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, [b] qui Vnigenito tuo novam creaturam nos tibi eſſe feciſti: cuſtodi opera miſericordiæ tuæ, & ab omnibus nos maculis vetuſtatis emunda: ut per auxilium gratiæ tuæ [c*] in illius inveniamur forma, in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia. Per.

SECRETA.

Præſta, quæſumus Domine, ut per hæc munera, quæ Domini Jeſu Chriſti arcanæ nativitatis myſterio gerimus, purificatæ mentis intelligentiam conſequamur. Per Dominum.

COD. SACRAM.

VD Per Chriſtum Dominum noſtrum. Cujus hodie octavas nati celebrantes, tua Domine mirabilia veneramur. Quia [d*] quæ peperit, & mater & virgo eſt: [e] qui natus eſt, & infans & Deus eſt. Merito cæli locuti ſunt, Angeli gratulati, Paſtores lætati, Magi mutati, Reges turbati, Parvuli glorioſa paſſione coronati. Lacta Mater cibum noſtrum: lacta panem de cælo venientem in præſepio poſitum velut piorum cibaria jumentorum. Illic namque agnovit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepium Domini ſui, [1] Circumciſio ſcilicet, & Præputium. Quod etiam Salvator & Dominus noſter a Simeone ſuſce-

B

a. muniri. Sic emendatum ex Pamelio, perperam enim ſcribitur in exemplari, *munere*. * muniri. *leg.* munere. *b. Qui unigenito tuo*. Apud Pamel. & Menard. legitur, *qui in unigenito tuo*. *c** S. Leo Serm. 11 L. de Nativitate.

*d**. Sunt verba S. Auguſtini Sermone 1. de Nativitate uſque ad, *& præputium.*

e. qui. *leg.* quia.

(1) M. Circumciſionem. *Dies iſte in antiquioribus Eccleſiæ monumentis, ut & hocce in noſtro, enſcribitur.* In Octabas Domini, *hoc eſt* in Octava Natalis Domini. *Non vero a Chriſti Domini Circumciſione nomen priſcis Eccleſiæ temporibus deſumebat. Rem teſtantur quæ hactenus vulgata prodiunt veterum Sacramentaria, Kalendaria, Martyrologia Capitularia fere omnia: conſule quæ editionis noſtræ Tom. v paſſim occurrunt. Ad hæc Patres, Ambroſius, Auguſtinus, Maximus, alii, qui hac die ſermones habuerunt, Kalendarum fœditates Gentilibus exprobrant, at feſti Circumciſionis nullam injiciunt mentionem. Quid plura, veteres etiam illi Scriptores, qui de rebus Liturgicis tractationes ediderе, tradunt Kal. Januarias Octavæ Domini dicatas fuiſſe: Sic vetus Ordo Romanus, & liber de Officiis ſub Albini nomine vulgatus, Amalarius, & ut alios præteream, Micrologus. Quare nimia confidentia ſacras antiquitates eos verſare remur, qui hæc aut ignorantes, aut callide diſſimulantes pronunciant in veteribus Eccleſiæ tabulis utrumque feſtum & Octava Nativitatis Dominicæ, & Circumciſionis conjunctim hac die recoli, quum illud de vetuſtioribus verum non ſit. Nec illi verum omnino adtingerent qui adfirmarent Circumciſionis feſtum (præſertim ſi feſti nomine non quemcumque cultum Chriſti Domini Circumciſioni redditum intelligas, ſed ſollemnem feſtivitatem) in primis naſcentis Eccleſiæ temporibus ortum habuiſſe: quod nec eximius Baronius adſeruit, uti perperam velles Iſaacus Caſaubonus num. ix. Exercit. 11, quem comperto eſt & ejus rei reprehenſorem inveniſſe inter ſuæ gentis heterodoxos Richardum Montacutium Orig. Eccleſ. Parte 1, pag. 135. &c. Nec tamen ejus feſti ortus a ſeculis xi vel xii repetenda, quod illis temporibus Ivo Carnotenſis, & B. Bernardus in idem feſtum ſermones habeant: qua in re certum eſt turpiſſime erraſſe, ut et in aliis bene multis, Rodulphum Hoſpinianum de Orig. Feſt. Chriſtian. Itaque me ſtatuere poſſe mihi videor, cultum, hujuſque ritum aliquem Chriſti Domini Circumciſionis una ſimul cum ritu Octavarum Nativitatis ejus ſancitum fuiſſe, fortaſſe & in ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis, aut ſaltim ante Magni Gregorii Pontificis ætatem: quod aperte ſatis evincit quæ hic noſtris in Sacramentorum libris occurrit honorifica Circumciſionis mentio; quam hoc eodem loco & invenies in Menardi Sacramentario. Idem confirmatur & vetuſtioribus Euangeliorum Capitularibus, quæ hactenus proſtant, ut ſunt illa a Jo. Frontone, a* Tho-*

ſuſceptus in Templo, pleniſſime dignatus eſt adimplere. Et ideo cum Angelis, & Archangelis.

POST COMMVN.

Præſta, quæſumus Domine, ut quod Salvatoris noſtri iterata ſolemnitate percipimus; perpetuæ nobis redemptionis conferat medicinam. Per.

AD POPVLVM.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui tuæ menſæ participes a diabolico jubes abſtinere convivio; da quæſumus plebi tuæ: ut, guſtu mortiferæ profanitatis abjecto, puris mentibus ad epulas æternæ ſalutis accedat. Per.

X. [1] PROHIBENDUM ab Idolis.

Omnipotens ſempiterne Deus da nobis voluntatem tuam & fideli mente retinere, & pia converſatione depromere: ut Eccleſia tua a profanis vanitatibus expiata, non aliud profiteatur verbis, aliud exerceat actione. Per Dominum.

SECRETA.

Vt tibi grata ſint, Domine, munera populi tui, ab omni, quæſumus, eum contagione perverſitatis emunda, nec falſis gaudiis inhærere patiaris, quos ad [2] diverſitatis tuæ præmia venire promittis. Per.

POST COMMVN.

Myſteriis tuis veneranter adſumptis, quæſumus Domine: ut contra noſtræ conditionis errorem, & contra diabolicas armemur inſidias. Per.

XI. IN

Thomaſio noſtro & a Georgio vulgata, quæ omnia in Officio Miſſæ Octavarum Domini ponunt Evangelium illud, in quo Chriſti Jeſu Circumciſio narratur: Poſtquam conſummati ſunt dies octo &c. *Celebris eſt ad rem præſentem & Canon* XVIII *Concilii Turonenſis anno* DLXX *habiti, Monachis præcipiens his verbis:* & hora octava in ipſis Calendis (*Januariis*) Circumciſionis Miſſa Deo propitio celebretur. *Et hæc quidem de aliquo cultu, & ritu quo antiquitus Domini Circumciſionem venerari moris erat, certiſſima ſunt. Cujus non meminere Patres primævæ Eccleſiæ prolatis de illo peculiaribus homiliis ſive ſermonibus, quod ipſis agendum hoc die erat in Gentilium ludos homines a vera religione, a ſanis moribus avocantes, quibus execrandis ludis potiſſimum etiam inſtituebantur ſacri hujuſce diei ritus. Si vero de peculiari & celebriori Circumciſionis ſollemnitate loqui velimus, placet proferre opinionem nobis veriſimilem, quæ & præcipue probatur viro ab Eccleſiæ Catholicæ inſtitutis alieno, Martino Lipenio in Hiſtoria Strenarum num. 55 capitis* IV, *qua creditur ejuſmodi feſtum ſexto & ſeptimo, & fortaſſe octavo atque nono Eccleſiæ ſæculo communi Epiſcoporum conſenſu non fuiſſe celebratum; ſed alicubi gentium ſolummodo ſubſecutis dein temporibus paullatim inſtitutum fuiſſe, in Galliis primum, deinde in Italia, in Germania demum atque Anglia, donec ubique obtinuerit. Hæc opinio ut illuſtretur, & certi aliquid in ea inveniatur, opera pretium foret omnium Eccleſiarum evolvere cujuſvis ætatis libros liturgicos.*

(1) *In Codice Remenſi quem laudat Menardus notatione* 134 *ad Gregorii Sacram. Kal. Januar. habetur Miſſæ Officium cum hac inſcriptione:* Miſſa prohibendum ab Idolis, *hoc eſt, ut ipſe animadvertit* ad prohibendum ab Idolis. *Spectat illud Miſſæ officium ad primam Januarii diem, & una cum jejunio hoc die & duobus proxime ſequentibus ſervando, cum Litaniis, aliiſque ſanctis precationibus oppoſuerunt veteres Chriſtiani ſceleſtiſſimis Gentilium victimis, choreis, ſtrenis, ac mille ſuperſtitioſis ludis, quibus hanc diem profanare illi conſueverant. De hiſce ludis agunt Baronius in Martyrol. ad hanc diem, & Bollandiſtæ, Menardus in Concord in Regularum cap.* 2, §. XIII, *Petrus Bellorius in Antonini Pii nummo explicato, Jacobus Spon de Origine Strenarum; & quos ſuperiori nota laudavimus, Lipenius, Hoſpinianus, Montacutius, &c.* (2) ad diverſitatis tuæ. *Lateat ibi oportet veteris Librarii error.*

XI. IN VIGILIIS DE [1] Theophania.

CORda noſtra quæſumus Domine venturæ feſtivitatis ſplendor inluſtret: quo mundi hujus tenebris carere valeamus, & perveniamus ad patriam claritatis æternæ. Per.

SECRETA.

Tribue quæſumus Domine, ut eum præſentibus immolemus ſacrificiis, & ſumamus: quem venturæ ſolemnitatis pia munera præloquuntur. Per.

VD [a] Quia cum Vnigenitus tuus in ſubſtantiæ noſtræ mortalitatis lucem reparavit. Per quem laudant Angeli.

POST COMMVN.

Inlumina, quæſumus Domine, populum tuum, & ſplendore gratiæ tuæ cor ejus ſemper accende [2], ut Salvatoris mundi, ſtella famulante, manifeſtata nativitas mentibus eorum & reveletur ſemper & creſcat. Per.

XII. ITEM IN THEOPHANIA in die.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Verbi tui incarnationem præclari teſtimonio ſideris indicaſti: quod videntes Magi oblatis majeſtatem tuam muneribus [b] adorarunt: Concede, ut ſemper in mentibus noſtris tuæ appareat ſtella juſtitiæ, & noſter in tua ſit confeſſione Theſaurus. Per.

Deus, cujus Vnigenitus in ſubſtantia noſtræ carnis apparuit, præſta quæſumus; ut per eum quem ſimilem nobis foras agnovimus, intus reformari mereamur. Per Dominum noſtrum.

Deus inluminator omnium gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere; & illud lumen ſplendidum infunde cordibus noſtris, quod trium Magorum mentibus [c] aſperſiſti [3]. Per.

SECRETA.

Hoſtias tibi, Domine, pro nati tui Filii apparitione deferimus, ſuppliciter exorantes: ut ſicut ipſe noſtrorum auctor eſt munerum, ipſe ſit miſericors & ſuſceptor Jeſus Chriſtus Dominus noſter, Qui tecum vivit.

VD Te laudare mirabilem [d] Dominum in omnibus operibus tuis, quibus Regni tui myſteria revelaſti. [e] Hancque [f] enim feſtivitatem index puerperæ virginalis ſtella præceſſit, quæ natum in terra cæli Dominum Magis ſtupentibus nuntiaret. Vt manifeſtandus mundo Deus, & cæleſti denuntiaretur inditio: & temporaliter procreatus, ſignorum temporalium miniſterio panderetur. Et ideo.

a. quia cum &c. apud Menard. in die Epiphaniæ legitur, *quia cum unigenitus tuus in ſubſtantia noſtræ mortalitatis apparuit; in novam nos immortalitatis ſuæ lucem reparavit.* *b.* adorarunt. *leg.* adorarent.

c. aſperſiſti. apud Pamel. & Menard. *aſpiraſti.* *d.* Dominum. *leg.* Deum.

e. hancque enim &c. apud Pamelium legitur, *Hanc etenim feſtivitatem Dominicæ Apparitionis index ſtella præceſſit.* *f.* enim. *leg.* II.

(1) Theophania, *frequens in veterum chartis appellatio, græce denotans,* τοῦ Θεῦ φανέρωσις. *Vide Suidam. Et inter recentioris ævi ſcriptores Frontonem in notis ad hanc diem.*

(2) *Eam orationem ita proſequuntur ex illo loco exempla Gregoriana P. M. O. R.* ut Salvatorem ſuum & inceſſanter agnoſcat, & veraciter adprehendat. Per &c. (3) O. aſpiraſti. *R.* inſpiraſti.

INFRA ACTION.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Vnigenitus tuus in tua tecum gloria ſempiternus, in veritate noſtræ carnis natus, Magis de longinquo venientibus [a*] viſibilis & corporalis apparuit. Sed & memoriam.

POST COMMVN.

Cæleſti lumine, quæſumus Domine, ſemper, & ubique nos præveni: ut myſterium, cujus nos participes eſſe voluiſti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus effectu. Per.

AD POPVLVM.

Deus, qui per hujus celebritatis myſterium æternitatis tuæ lumen cunctis Gentibus ſuſcitaſti: da plebi tuæ Redemptoris ſui plenum cognoſcere fulgorem: ut ad perpetuam claritatem per ejus incrementa perveniat. Per.

XIII. IN SEPTVAGESIMA.

DEus, qui per ineffabilem obſervantiam Sacramenti, famulorum tuorum præparas voluntates: donis gratiæ tuæ corda noſtra purifica, [1] ut quod ſancta eſt devotione tractandum, ſinceris mentibus exequamur. Per Dominum.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, fragilitati noſtræ ſufficientiam competentem: ut [b] ſuæ reparationis [c] affectum & pia converſatione recenſeat, & cum exultatione ſuſcipiat. Per.

SECRETA.

Concede [d] miſericors Deus, & digne tuis [2] ſervire ſemper altaribus, & eorum perpetua participatione ſalvari. Per.

AD POPVLVM.

Sacræ nobis, quæſumus Domine, menſæ libatio, & piæ converſationis augmentum, & tuæ protectionis [3] continuum præſtet auxilium. Per.

XIV. IN SEXAGESIMA.

TVere, quæſumus Domine, plebem tuam: & ſacram ſolemnitatem recolentem, gratiæ cæleſtis largitate proſequere: ut viſibilibus adjuta ſolatiis, ad inviſibilia bona [4] promptior incitetur. Per Dominum noſtrum.

Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter; & ad beneficia recolenda, quibus nos inſtaurare dignatus es, tribue venire gaudentes.

SECRETA.

Intende, quæſumus Domine hoſtias [e] familiæ tuæ: quam ſacris muneribus facis eſſe participem, tribuas [5] ad eam plenitudinem pervenire. Per.

POST

a* Viſibilis & corporalis apparuit. *Ita S. Leo Serm* 11I. *de Nativitate num.* 5.

b. *ut ſuæ reparationis*. Ex Pamel. ſic emendatum, quod in exemplari legitur, *ut in ſui reparationis*. * ſuæ. *leg.* ſui. c. *affectum*, apud Pamel. *effectum*.

d. Concede miſericors. *leg.* Concede nobis miſericors.

e. *familiæ tuæ, quam*. apud Pamelium habetur *familiæ tuæ: & quam*.

(1) *Mſ.* ut quo &c. (2) *P.* deſervire.

(3) *Mſ.* continuo præſtet auxilio.

(4) *M, & P.* promptius.

(5) *M. & P.* ad ejus plenitudinem. *Heic Menardus ait not.* 198. Plenitudo ſacri muneris eſt gratia, quam Euchariſtia plene & abundanter confert.

POST COMMUN.

Sit nobis, quæſumus Domine, cibus ſacer, potuſque ſalutaris; qui & temporalem vitam muniat, & præſtet æternam.

AD POPULUM.

Rege, quæſumus Domine, populum tuum, & gratiæ tuæ in eo dona multiplica: ut ab omnibus liber offenſis, & temporalibus non deſtituatur auxiliis, & ſempiternis gaudeat inſtitutis. Per.

XV. ORAT. ET PRECES
ſuper Pœnitentes. [1]

Exaudi, Domine, preces noſtras; & confitentium tibi parce peccatis: ut quos conſcientiæ reatus accuſat, [2] indulgentiæ tuæ miſeratio abſolvat. Per.

Præveniat hunc famulum tuum, quæſumus Domine, miſericordia tua, & omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per Dominum noſtrum.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris: nec ſit ab hoc [a] famulo tuæ clementiæ tuæ longinqua miſeratio: Sana vulnera, ejuſque remitte peccata: ut nullis a te iniquitatibus ſeparatus, tibi ſemper Domino valeat adhærere. Per.

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris: Reſpice, quæſumus, ad hunc famulum tuum, qui ſe tibi peccaſſe graviter confitetur. Tuũ eſt ablutionem criminum dare, & veniam

a. famulo tuæ. *leg.* famulo tuo.

(1) *Regino ille Prumienſis Monachus, qui Eccleſiæ Chriſti ix ſeculo labente floruit: & Burchardus Wormatienſis Epiſcopus, quem ſub finem ſeculi decimi & in equentis proxime xi, non ſine ſui nominis celebritate vixiſſe narrant plurimi, quem mox deſcripturi ſumus canonem Concilii Agathenſis anno Chriſti* DVI *celebrati recenſent: & ille quidem Lib.* I *de Diſciplinis Eccleſiaſticis & Religione Chriſtiana cap* CCXCI. *Poſtremus vero iſte cap.* XXVI *lib.* XIX *Decretorum; ubi hiſce verbis canon repræſentatur.* In capite Quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuscipiunt aut ſuſceperant pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo Civitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proclamantes. *Canonis hujus diſciplinam aperte ſatis innuit & alter ſeculi Chriſtiani nominis x. Ratherius Epiſcopus Veronenſis, cujus ſcripta typis vulgavit Lucas D' Acherius Spicilegii Tom.* II. *Is enim Ratherius in Synodica ad Presbyteros Epiſtola, quæ eodem tom.* II *habetur, vel juxta poſteriorem editionem Tom.* I, *pag.* 376 *& ſequentibus, ait:* Feria quarta ante Quadrageſimam plebem ad confeſſionem invitate, & ei juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde veſtro, ſed ſicut in Pœnitentiali ſcriptum eſt. *In moribus igitur veteris Eccleſiæ fuit, ut initio Quadrageſimæ pœnitentes pro Eccleſiæ foribus Epiſcopo ſe ſiſterent admiſſis criminibus debitam pœnam ſatisfactionemque recepturi. Ejus rei documenta alia indicat eruditus Martenius de antiquis Eccleſiæ Ritibus Lib.* I, *Parte* II, *num.* VI. *En igitur quod ſit ritus qui nobis in præſentia occurrit: eſt nimirum ordo ſuſcipiendi Pœnitentes prima Quadrageſimalis Jejunii die; qui ordo in libro Pontificali Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi apud Martenium loco nuper memorato, Artic.* VII, *inſcribitur*, Orationes & Preces ſuper pœnitentem confitentem peccata ſua more ſolito Feria quarta infra Quinquageſimam. *Et in mſ. Cod. Bellovacenſi a Godefrido Herman deſcripto quemadmodum, & in Pontificali Eccleſiæ Senonenſis apud eumdem Martenium:* Ordo quomodo pœnitentes in Caput Quadrageſimæ Epiſcopo ſe debeant repræſentare. *Ordines iſti incipiunt iiſdem verbis Canonis Agathenſis, quem ſupra retulimus. Plura de his obſervare ſi aves, adi-ſis aut prælaudatum Martenium, aut Marinum de Pœnitentia in Appendice, aut Menardum in notis ad Greg. Sacram. Nobis ſatis eſt pauca hæc attigiſſe, ut occurrentis in hiſce noſtris Sacramentorum libris ritus rationem aliquam redderemus.*

(2) *Pontificale Egberti Eboracenſe apud Martenium loc. cit.* indulgentia tuæ miſerationis abſolvat.

niam præſtare peccantibus: qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo Domine hoc: ut & tibi pœnitentiæ excubias celebret; Vt, correctis actibus ſuis,[a] conferre[a] tibi ad te ſempiterni gaudia celebretur. Per.

[2] Precor, Domine, clementiam tuæ majeſtatis ac nominis; ut huic famulo tuo peccata & facinora ſua confitenti veniam dare, & præteritorum[b] criminum relaxare digneris. Qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti ad caulas: qui publicani precibus vel confeſſione placatus es: Tu etiam Domine & huic famulo tuo placare, tu ejus precibus benignus adſiſte; ut in confeſſione flevili permanens clementiam tuam celeriter exoret: & ſanctis ac ſacris Altaribus reſtitutus, ſpei rurſus æternæ, & cæleſtis gloriæ reformetur. Per.

XVI. ORDO AGENTIB. publicam Pœnitentiam.

S Uſcipis eum IIII. Feria mane in capite Quodrageſimæ, & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & [3] *incIaudis uſque ad Cœnam Domini. Qui eodem die in gremio præſentatur Eccleſiæ, & proſtrato eo omni corpore in terra, dat orationem Pontifex ſuper eum ad reconciliandum in quinta Feria Cœnæ Domini, ſicut ibi continetur.*

XVII. ORAT. ET PREC. a Quinquag. uſque Quadrageſimam. [4]

AVfer a nobis, Domine quæſumus, iniquitates noſtras, ut ad Sancta San-

a. conferre tibi &c. Reſtituendum ex Menardo, *conferri ſibi a te ſempiterna gaudia gratuletur.*

b. criminum relaxare. apud Menardum. *criminum debita relaxare.*

(1) *Idem Pontiſicale ut & Thomaſius in Orationali Tom. II. noſtræ edit. pag. 444.* conferri ſibi a te ſempiterna gaudia gratuletur.

(2) *Videſis eamdem hanc Orationem apud Martenium loc. cit. in Ord. x. ex Mſ. Cod. Eccleſiæ Noviomenſis annorum circiter 800.*

(3) Et inciaudis uſque ad Cœnam Domini, *hoc eſt petenti indicis ſive declaras, quo in gradu pœnitentiæ remanere debeat uſque ad Feriam v in Cœna Domini. Comperto eſt enim Sacrarum Antiquitatum ſtudioſis quatuor apud veteres diſtingui conſueviſſe gradus ſive claſſes publice pœnitentium: Primus erat* gradus fletus, *illorum nimirum qui ad pœnitentiam admiſſi in Porticu extra Eccleſiam commorabantur peccata ſua deplorantes, & cinere ac cilicio ſordidati Eccleſiam ingredientium implorabant fidem, ut pro ipſis apud Epiſcopum & Clerum intercederent. Secundus* Audientium *dicebatur, illorum videlicet, qui intra Eccleſiæ portam admiſſi, eo in loco, qui Ethnicis, Judæis, Hæreticis, Schiſmaticis & Cathecumenis quibuſdam communis erat; e quo Scripturarum lectionem, interpretationemque ac Sermonem audire poterant. Tertius erat gradus* Subſtratioois, *qui intra Eccleſiam uſque ad Ambonis locum protendebatur: hoc in gradu pœnitentes per ſtatutum ab Epiſcopo tempus, jejuniis, precibus, aliiſque piis operibus dum ſe exercebant, manuum impoſitionem ab Epiſcopo & Sacerdotibus recipiebant. Quartus demum gradus erat* Conſiſtentiæ *Ambonem inter & Sanctuarium conſtitutus, in quo pœnitentes reconciliationi proximiores Miſſæ Sacrificio aliiſque fidelium Officiis adſtabant, munera tamen ad Altare non offerebant, nec proinde ad ſacram Communionem admittebantur, quæ ſane juxta priſca Eccleſiæ diſciplinam nuſquam inter pœnitentium exercitia locum habuit. Verum de his vide paſſim noſtrarum rerum Scriptores quæ veteres quæ recentiores. Quum igitur noſtro in præſenti ordine vel rubrica dicitur,* pœnitens Includatur uſque ad Cœnam Domini, *intelligo mihi præcipi ut certus eidem pœnitentiæ gradus deſtinetur, in quo remaneat uſque ad indictam diem Cœnæ Dominicæ.*

(4) Uſque ad Quadrageſimam, *ita tamen ut prima hæc Miſſa ad ipſum Dominicæ Quinquageſimæ diem ſpectet, ita rerum heinc ſequentium ordo poſtulat, & Orationes iſtæ quarum tres ſuperſunt adhuc in Sacramentariis Gregorianis Pam. & Men. deſtinanturque dici Dominicæ Quinquageſimæ.*

Digitized by Google

Sanctorum puris mereamur [1] ſenſibus introire. Per.

Perfice Domine benignus in nobis obſervantiæ ſanctæ ſubſidium: ut quæ, te auctore, facienda cognovimus, te operante, impleamus. Per.

SECRETA.

Sacrificium Domine obſervantiæ paſchalis [a] exerimus: præſta quæſumus, ut tibi & mentes noſtras reddat acceptas, & [b] continentiæ promptiores. Per.

POST COMMUN.

Repleti ſumus, Domine, donorum participatione cæleſtium: præſta quæſumus, ut eadem & ſumamus jugiter, & inceſſabiliter ambiamus. Per.

AD POPULUM.

De multitudine miſericordiæ tuæ, Domine, populum tibi protege [2] confitentem: & corporaliter gubernatum, piæ mentis affectu tuis muneribus adſequendis effice promptiorem. Per Dominum noſtrum.

IN JEJUNIO PRIMA [3]
Statió. Feria IIII.

Inchoata jejunia, quæſumus Domine, benigno favore proſequere; ut obſervantiam, quam corporaliter exercemus,

a. exerimus. apud Pamelium fer. VI. intra Quinquag. *offerimus*, & apud Menard. eadem feria VI. *quod offerimus*.

b. continentiæ promptiores, apud Pamelium feria VI. *continentiæ promptioris nobis tribuat facultatem*.

(1) P. mentibus *pro* ſenſibus.

(2) P. confidentem.

(3) *Quod heic aut ſubobſcure aut mendoſa dictione indicatur prima jejunii quadrageſimalis dies, in pleriſque veteris Liturgiæ monumentis* Caput Jejunii *vocatur, qua de appellatione percurri poterunt quartum ac quintum noſtra hujuſce editionis volumina. Quatuor hoſce dies, a præſenti ad Quadrageſimæ proxime inſequentem Dominicam, jejunio dicatos fuiſſe volunt poſt Gregorii Magni ætatem, propriis additis Miſſarum de jejunio agentium Officiis. Ita opinatur Amalarius Lib. 1, cap. 7 de Eccleſ. Offic. quem e recentioribus inter cæteros ſequuntur Joan. Fronto, atque Menardus in ſuis ad hunc locum notis. Opinionis ratio hæc profertur, quod B. Gregorius primus Homil.* XVI *in Evangelia adfirmet a Dominica Quadrageſimæ ad Paſcha diem uſque nos jejunare ſolum* XXXVI *dies: ait porro*: A præſenti enim die, uſque ad Paſchalis ſolemnitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo ſunt: ex quibus dum ſex dies Dominici abſtinentiæ ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia, quam triginta & ſex dies remanent. Dum vero per trecentos, & ſexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & ſex affligimur, quaſi anni noſtri decimas Deo damus. *Diſſimulari non debet veriſimilem admodum ex eo teſtimonio pro Amalarii opinione derivari rationem; qua poſita dicendum procuidubio eſſet, addita quatuor hæc Officia eſſe non ſolum Gregorianis Sacramentariis, ſed & noſtro huic. Verum ejus opinionis & inter veteres noſtrarum rerum Scriptores oppugnatorem invenies Micrologum virum ſui temporis neque indoctum neque indiligentem, qui in ſuis Eccleſiaſt. Obſervat. ait*: Sciendum autem, non ſolum modernos, ut quidam putant, ſed & antiquos a Capite Jejunii incœpiſſe, cum & ſanctus Gregorius ibi Quadrageſimalia Officia videatur initiaſſe. Sic enim in Gregorianis Sacramentariis, ſive Gradualibus libris evidentiſſime declaratur. Subſequens tamen Dominica proprie Initium Quadrageſimæ dicitur, unde & XLII dies uſque in Paſcha computantur, quibus cum ſex Dominicas ſubtrahimus, nonniſi triginta ſex in abſtinentia obſervamus. Ergo a Capite Jejunii neceſſario incipimus, ſi cum Domino jejunium quadraginta dierum complere volumus. Exinde etiam orationem ſuper populum juxta Gregorii inſtitutionem exordimur, quam numquam dicimus, niſi cum & quadrageſimaliter jejunare debemus. *Si conſtaret Gelaſianis ritibus noſtro in præſenti Sacramentario nil permixtum ſubſequentibus temporibus fuiſſe, eo firmaretur porro Micrologi opinio, caderet illa Amalarii, & Gregorius accipiendus eſſet non de integro*

Digitized by Google

cemus, [1] mentibus valeamus implere ſinceris. Per.

Fac nos, quæſumus Domine, ſalutis noſtræ cauſas & devotis ſemper frequentare ſervitiis, & devotius recolere principaliter inchoatas. Per.

SECRETA.

Fac nos, quæſumus Domine, his muneribus offerendis convenienter aptari: quibus ipſius [2] venerabilis Sacramenti venturum celebremus exordium. Per.

POST COMMVN.

Tribue nobis, omnipotens Deus: ut dona cæleſtia, quæ debito frequentamus obſequio, ſincera profeſſione ſentiamus. Per.

AD POPVLVM.

Reſpice Domine, quæſumus, ſuper famulos tuos: & in tua miſericordia confidentes cæleſti protege benignus auxilio. Per.

FERIA VI. [3]
In Quinquageſima.

Da, quæſumus Domine, fidelibus tuis jejuniis paſchalibus convenienter aptari: ut ſuſcepta ſolemniter caſtigatio corporalis, cunctis ad fructum proficiat animarum. Per.

Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter; ut quæ collata nobis honorabiliter recenſemus, devotis mentibus adſequamur. Per.

SECRETA.

Præpara nos, quæſumus Domine, hujus præcipue feſtivitatis officiis; ut hæc Sacrificia ſobriis mentibus celebremus. Per.

POST COMMVN.

Salutari munere, Domine, ſatiati ſupplices deprecamur; ut cujus lætamur guſtu, reparemur effectu. Per Dominum noſtrum.

AD POPVLVM.

Præſta famulis tuis, Domine, abundantiam protectionis & gratiæ: da ſalutem mentis & corporis: da continua proſperitatis augmenta: & tibi ſemper fac eſſe devotos. Per Dominum noſtrum.

FE-

---

gro Quadrageſimali jejunio, ſed de illo poſito inter primam Quadrageſimæ Dominicam & diem Paſchæ. At licet non conſtet an in præſenti noſter hic liber interpolatus ſit, vel minime, aliquid in eo me obſervare mihi videor, quæ animum inducunt, ut conjiciam, Micrologi opinioni adceſſionem aliquam fieri poſſe: Hæc enim dies dicitur prima Jejunii; & ſequens Dominica initium inchoantis Quadrageſimæ, quod ferme recidit in Micrologi diſtinctionem, & ſuadere poſſe videntur Gregorium Magnum eſſe loquutum de ſolo illo jejunii tempore, quod ab initio Quadrageſimæ incipit; nullum negaſſe ſua ætate ab hac die quarta ante illud initium fideles jejunare cœpiſſe. Verum hæc, quamdiu firmiora non occurrent rationum momenta, meræ conjecturæ fines non excedunt.

(1) *M.* mentibus etiam ſinceris exercere valeamus.

(2) *M, O, P, R.* ipſius venerabilis Sacramenti celebramus exordium. *Menardus in præſentia, not. 266, Sacramenti nomine intelligit* obſervationem, *vel* celebritatem *quadrageſimalem, a qua fortaſſe interpretatione abſtinuiſſet ſi noſtrum hunc locum vidiſſet.*

(3) *Feria v. Officium heic & ſequentibus Quadrageſimæ hebdomadibus, excipit illud Feriæ ſextæ, quod priſcis Eccleſiæ temporibus Feria v. Miſſæ celebritate careret. Eam huic diei ſub initium ſeculi* VIII. *deſignavit Gregorius* II, *quemadmodum de illo agens teſtatur Anaſtaſius, teſtantur Walafridus Strabo cap.* XX, *& Micrologus cap.* L. *Cauſſam vero cur diem iſtam abſque Miſſæ ſacrificio reliquerint veteres, videſis apud Frontonem in Prænotatis ad ſuum Kalend. § 6; & apud clariſs. Card. Bonæ Rerum Liturgic. Lib.* I, *cap.* XVIII.

Digitized by Google

FERIA VII.
In Quinquageſima.

Obſervationis hujus annua celebritate lætantes, quæſumus Domine, [1] ut paſchalibus actionibus inhærentes, plenis ejus effectibus gaudeamus. Per.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris: [a] & hoc ſolemne jejunium, quod animis, [b] corporibus curandis ſalubriter inſtitutum eſt, devoto ſervitio celebremus. Per.

SECRETA.

Suſcipe Domine ſacrificium, cujus te voluiſti [c] dignanti immolatione placare: præſta quæſumus, ut hujus operatione mundati, beneplacitum tibi noſtræ mentis offeramus affectum. Per.

POST COMMVN.

Cæleſtis vitæ munere vegetati, quæſumus Domine; ut quod eſt nobis in præſenti vita myſterium, fiat æternitatis auxilium. Per.

AD POPVLVM.

Fidelibus tuis Domine perpetua dona firmentur; ut eadem percipiendo, te quærant; & quærendo, ſine fine percipiant. Per.

XVIII. ORAT. ET PREC.
Dominica [d] in Quadrageſima. [2]
Inchoantis initium. [e*]

Concede nobis, omnipotens Deus, ut per annua quadrageſimalis exercitia [3] Sacramenti, & ad intelligendum Chriſti proficiamus arcanum: & [f] affectus ejus digna converſatione ſectemur. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nobis in obſervatione jejunii, & eleemoſynarum ſemine poſuiſti noſtrorum remedia peccatorum; concede nos opere mentis & corporis ſemper tibi eſſe devotos. Per.

SECRETA.

Sacrificium Domine quadrageſimalis initii ſolemniter immolamus, te Domine, deprecantes: ut cum epularum reſtrictione carnalium, a noxiis quoque voluptatibus [4] temperemur [g]. Per.

POST COMMVN.

Præſta nobis omnipotens Deus, ut vivificationis tuæ gratiam conſequentes; in ejus munere ſemper gloriemur. Per.

a. *& hoc*. apud Pamelium: *& concede ut hoc*.

b. *Corporibus curandis*. apud Pamel. *corporibuſque curandis*.

c. *Dignanti immolatione placare*. apud Pamelium legitur, *dignanter immolatione placari*. d. *In Quadrageſima*, male in exemplari, *in Quadrageſimæ*.

e* *Accedentes ergo dilectiſſimi ad Quadrageſimæ initium &c.* S. Leo ſerm. I. de Quadrageſima. f. *Et affectus*, apud Pamelium, *& effectus*.

g. *Temperemur*. apud Menardum, *temperemus*.

(1) *Apud Pamelium hoic legitur*: ut actibus quadrageſimalibus inhærentes *&c. Ceterum* actiones paſchales *in præſenti idem ſignificant ex veteri nonnullorum uſu*, *ac* jejunium quadrageſimale. *Conſule Menardum not.* 210. *ad Greg. Sacram.*

(2) *Vide quæ diximus ſuperiori adnot.* (3) *pag.* 15.

(3) Sacramenti, id eſt, myſterii, arcani, ſub cujus involucro aliquid myſticum latet, nempe ratio cur voluerit Chriſtus hunc quadraginta dierum numerum ſuo jejunio conſecrare. *Ita eſt Menardo notatum ad præſentem locum*, *not.* 214.

(4) Tempesemur, *ita Pamelius quem vide*, *ſed apud Menardum*, *& in Cod. R. legitur* temperemus.

AD POPULUM.

Super populum tuum, Domine quæſumus, benedictio copioſa diſcendat: [1] conſolatio tribuatur: fides ſancta ſuccreſcat: redemptio ſempiterna firmetur. Per Dominum noſtrum.

FERIA SECUNDA
In Quadrageſimo.

Sanctifica, Domine quæſumus, noſtra jejunia: & cunctarum nobis indulgentiam propitius largire culparum. Per Dominum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per continentiam ſalutarem & corporibus mederis & mentibus; majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus: ut pia jejunantium precatione placatus, & præſentia nobis ſubſidia præbeas & æterna. Per.

SECRETA.

Accepta tibi ſit Domine noſtræ devotionis oblatio: quæ & jejunium noſtrum, te operante, ſanctificet, & indulgentiam nobis tuæ conſolationis obtineat. Per Dominum noſtrum.

POST COMMUN.

Quæſumus omnipotens Deus, ut inter ejus numeremur membra: [a] cujus Corpore communicamus & Sanguine. Per.

AD POPULUM.

Eſto Domine propitius plebi tuæ: & temporali conſolatione non deſeras, quam vis ad æterna contendere. Per.

FERIA TERTIA.

Da, quæſumus Domine, [2] noſtræ [b] affectus jejunii ſalutare: ut caſtigatio carnalis adſumpta ad noſtrarum vegetationem tranſeat animarum. Per Dominum.

Cordibus noſtris, quæſumus Domine, benignus infunde: ut ſicut ab eſcis [c] temporalibus temperamur; ita ſenſus quoque noſtros a noxio retrahamus exceſſu. Per.

SECRETA.

Suſcipe creator omnipotens Deus, quæ jejunantes de tuæ munificentiæ largitate deferimus: & pro temporali nobis conlata præſidia, ad vitam converte propitiatus æternam. Per.

POST COMMUN.

Sumpſimus, Domine, celebritatis annuæ votiva Sacramenta: præſta quæſumus, [3] ut temporalis vitæ nobis remedio [d] præveniant & æterna. Per.

AD

a. *Cujus corpore communicamus & ſanguine*. apud Pamelium in Sabbato hebd. III. Quadrag. *cujus corpori communicamus & ſanguini*.

b. *noſtræ affectus*, apud Menardum Sabbat. hebd. II. *noſtris effectum jejuniis ſalutarem*.

c. temporalibus. *leg.* corporalibus.

d. *Præveniant & æterna*, apud Menardum, *proveniant, & æterna*.

(1) *P. M. O. illic interponunt voces*: indulgentia veniat.

(2) *Hunc locum veteris amanuenſis vitio deturpatum ita emendat Ven. Thomaſius in ſuo Orationali, edit. noſtra tom. II, pag. 446, ſcribens*: noſtri effectum jejunii ſalutarem.

(3) *M.* ut & temporalis vitæ nobis remedio proveniant & æternæ.

AD POPVLVM.

Reſpice Domine propitius ad plebem tuam: & quam divinis [1] tribues [a] proficere Sacramentis, ab omnibus abſolve peccatis. Per Dominum noſtrum.

FERIA QVARTA.

Precamur, omnipotens Deus, ut de tranſitoriis operibus abſtinentes; ea potius operemur, quibus ad æterna gaudia conſequenda, & ſpes nobis ſuppetat & facultas. Per Dominum.

Pacem nobis tribue, Domine quæſumus, mentis & corporis: ut per jejunium noſtræ fragilitatis & manifeſti ſubjiciantur hoſtes, & inviſibiles excludantur. Per.

SECRETA.

Sacrificia, Domine, propitius iſta nos ſalvent; quæ medicinalibus ſunt inſtituta jejuniis. Per.

POST COMMVN.

Tuorum nos Domine largitate donorum, & temporalibus adtolle præſidiis, & renova ſempiternis. Per.

AD POPVLVM.

Da, quæſumus, Domine populis Chriſtianis, & quod [2] profitentur agnoſcere, [b] & ad cæleſte munus diligere quod frequentant. Per.

[3] FERIA SEXTA.

Hujus nobis parſimoniæ, quæſumus Domine, præbe menſuram: ut quod licentiæ carnis auferimus, ſalutarem nobis fructum mentis adquirat. Per.

Da, quæſumus, nobis omnipotens Deus jejuniorum magnifice Sacramenti & digne ſemper tractare myſteria, & competenter honorare primordia. Per.

SECRETA.

Suſcipe, quæſumus Domine, devotorum munera famulorum: & tuis divinis purifica ſervientes pietate myſteriis: quibus etiam juſtificas ignorantes. Per Dominum.

POST COMMVN.

Præſta, quæſumus Domine, [c] ſpiritualibus gaudiis nos repleri: ut quæ actu gerimus, mente ſectemur. Per.

AD POPVLVM.

Plebs tua, Domine quæſumus, benedictionis ſanctæ munus accipiat: per quod & noxia quæque declinet, & optata reperiat. Per.

[4] FERIA SEPTIMA.

Deus, qui nos glorioſis remediis in terris adhuc poſitos, jam cæleſtium rerum facis eſſe conſortes: Tu, quæſumus, in iſta qua vivimus, nos vita guberna: ut ad illam, in qua ipſe es,

 luce

a. Tribues, apud Pamelium feria IV. ſequenti, *tribuis*.

b. Et ad cæleſte, apud Pamelium feria V. ſequenti legitur, *& cæleſte*.

c. Spiritualibus. *leg.* ſpiritalibus.

(1) *Thom. in Orat.* tribuis.

(2) *Mſ.* providentur.

(3) *Deſideratur heic Miſſa Feria* V. *Vide Superiorem adnotationem* (3) *pag.* 16.

(4) *Dies iſta plerumque in Eccleſiaſticis veterum libris inſcribitur Sabbato in* XII *Lectiones. plerumque inquam, non in omnibus, ut præſens hic noſter declarat. Ratio autem eſt, quod antiquitus non ſemper hoc in Sabbato duodecim Lectionum Officium contingebat, uti paullo inferius dicturi ſumus.*

[a] luce [1] perducas. Per Dominum noſtrum.

Reparet nos, quæſumus Domine, ſemper & innovet [b] tuæ [2] providentiæ pietatiſque fragilitatem noſtram, & inter mundi tempeſtates protegat, & gubernet, & in portum perpetuæ ſalutis inducat. Per.

SECRETA.

Hæc, quæ nos reparent, quæſumus Domine, beata myſteria, ſuo munere dignos efficiant. Per Dominum.

POST COMMVN.

Perpetuo, Domine, favore proſequere, quos reficis divino myſterio; & imbuiſti cæleſtibus inſtitutis, ſalutaribus comitare ſolatiis. Per.

AD POPVLVM.

Fideles tuos Domine benedictio deſiderata confirmet, quæ eos & a tua voluntate numquam faciat diſcrepare: & tuis ſemper indulgeat beneficiis gratulari. Per.

XVIIII. ISTAE ORAT. quæ ſequuntur prima Sabb. [3] in Menſe Primo ſunt dicendæ.

ORAT. ET PRECES
[c*] *in* XII. *Lect. Menſe Primo.*

DEus, qui delinquentes perire non pateris, donec convertantur & vivant; debitam, quæſumus, peccatis noſtris ſuſpende vendictam: & præſta propitius, ne diſſimulatio cumulet ultionem, ſed potius per jejunium emendatio proſit ad veniam. Per Dominum noſtrum.

Omnium noſtrorum, Domine quæſumus, ad te corda converte: & ab his, quibus offenderis, abſtinentes, non iram tuam, ſed miſericordiam ſentiamus. Per.

Jejunia, quæſumus Domine, nos ſacrata lætificent, ut imbicillitati noſtræ tribuatur auxilium, & mentibus deſideratus virtutum ſuccedat affectus. Per Dominum.

Adeſto, quæſumus omnipotens Deus, [4] ad jejunio corporali mentem noſtram operibus tuorum reſice mandatorum. Per Dominum.

Da nobis obſervantiam, Domine, [5] legitimam devotione perfectam: ut cum refrænatione carnalis alimoniæ, ſancta tibi converſatione placeamus. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per continentiam ſalutarem corporibus

a. *luce perducas*, apud Pamelium legitur, *lucem perducas*.

b. *Tuæ providentiæ pietatiſque*, apud Pamelium in Domin. Vacat, habetur, *tuæ providentia pietatis, quæ*.

c* Pro XII. Lectionibus vide Gildam ſapientem in epiſt. ad Clerum. Tom V. Biblioth. Patrum: & Egbertum Archiep. Eboracenſem Tom. VI. Concil. Labbe c. 1609 & 1610.

---

(1) *Thom. in Orat.* lucem.

(2) *Idem in Orat.* tua providentia pietatis, qua fragilitatem noſtram &c.

(3) *Hoc eſt prima die Sabbati primæ hebdomadæ menſis Martii. Jejunium enim quod quatuor anni temporum dicitur, quodque prima Quadrageſimæ hebdomada ex Gregorii VII Pontificis ſummi decreto ab Eccleſia ſervatur, olim ſervabatur prima menſis Martii hebdomada. Et hac de cauſſa prima Sabbati Quadrageſimæ dies in hiſce Sacramentorum Libris non vocatur* Sabbato in XII Lectiones, *quod & indicavimus ſuperiori nota* (4), *pag* 19. *De hac re adi-ſis Microlog. cap.* 24, *& Menard. adnotat.* 410 *in Gregor. Sacram.*

(4) *Thom. in Orat.* & in jejunio corporali &c.

(5) *In eodem Orat.* legitima &c.

bus mederis & mentibus, Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut pia jejunantium precatione placatus, & temporalia ſubſidia nobis [a] tribuas æterna. Per.

XX. ORDO QVALIT. in Romana Sedis Apoſtolicæ Eccleſia Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi eligendi ſunt.

M*Enſis* [1] *primi*, IIII. VII. *&* X. *Sabbatorum die in* XII. *Lectiones, ad Sanctum Petrum, ubi* [b] *Miſſæ celebrantur. Poſt quam* [c*] *Antiphonam ad Introitum dixerint, data oratione adnunciat Pontifex in populo dicens:*

Auxiliante Domino Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto.

Iterum dicit. [d]

Auxiliante Domino Deo [e] Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, Elegimus in ordine Diaconi, *ſive* [f] Presbyteri, *illum* Subdiaconum, *ſive* Diaconum de Titulo *illo*. Si quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat & dicat. Verumtamen memor ſit communionis ſuæ.

Et poſt modicum intervallum mox incipiunt omnes: Kyrie eleiſon *cum Letania. Hac expleta aſcendunt ipſi electi ad Sedem Pontificis: & benedicit eos.* [g] *a quo vocati ſunt, &* [h] *deſcendunt. Stant in ordines ſuos, benedictione percepta.* [i] Per Dominum.

Sequitur Oratio de Bened. require ipſam in quarto, aut X. *Menſe.*

AD ORDINANDOS PRESBYTEROS.

Oremus, dilectiſſimi, Deum patrem omnipotentem: ut ſuper hos famulos ſuos, quos ad Presbyterii munus elegit, cæleſtia dona multiplicet: [k*] & quæ ejus dignatione ſuſcipiunt, ejus exequantur auxilio. Per Dominum.

Exaudi nos [l*] Deus ſalutaris noſter; & ſuper

a. Tribuas æterna, in Miſſ. Rom. *& æterna*. *b.* Miſſæ. *leg.* Miſſas.

c S.Cæleſtinus conſtituit ut Antiphona ante Sacrificium caneretur.* Ita legitur in MS. apud Bollandum VI Aprilis pag. 544.

d. Iterum dicit. *leg.* Iterum iterum dicit. *e.* Deo Salvatore. *leg.* Deo & Salvatore.

f. Presbyteri. *leg.* Presbyterii. *g. A quo*, apud Menardum, *ad quod*.

h. Deſcendunt. Stant in ordines ſuos, apud Menardum, *& deſcendentes ſtant in ordine ſuo*. *i. Per Dominum.* Hæc verba, & ſequens rubrica male eſt hic tranſpoſita. reponi enim debet poſt orat. in XII. Lectionibus:

k Per.* & ſic finit. Iſta & ſequentes variæ lectiones in orat. Ordinationis Presbyterorum & Diaconorum excerptæ ſunt ex volumine membranaceo complicabili Landolphi Epiſcopi, quod extat apud Card. Caſanatem. *l* Domine Deus noſter*.

(1) Menſis primi, *hoc eſt Martii*, quarti, *Junii ſcilicet*, Septimi, *Septembris*, & Decimi, *Decembris nimirum*, Sabbatorum diebus in duodecim Lectiones &c. *Ita locus ille interpretetur ex vetuſtiſſimis Ritualibus de Sacris Ordinibus. quorum plures occurrunt apud Martenium de antiquis Eccleſiæ Ritibus lib.* I, *cap.* VIII. *art.* XI, *quos inter vide illum ſub numero* XI *deſcriptum ex vetuſtiſſimo Cod.* ᴐᴐᴄᴄᴄᴄ *annorum pag.* 344, *edit. Rotomag. an.* ᴄIᴐIᴐᴄᴄ: *alterum tibi occurret pag.* 362; *alterum pag.* 371, *e tribus vetuſtis Codicibus* ᴐᴐᴄᴄᴄᴄ *itidem annorum: alterum ex Codice Eccleſiæ Sueſſionenſis* ᴐᴐᴄ *annis antiquo, pag.* 393: *alterum pag.* 398 *ex Pontificale Salisburgenſi* ᴐᴐᴄ *ſimiliter annorum: alterum pag.* 433, *alterum pag.* 452, *alterum inſuper pag.* 463 *&c. Conſuli poterit e multis, qui de hoc argumento ſcripſerunt, & Morinus de Sacris Ordinationibus Parte* II. *Menardus etiam atque Mabillonius.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

& ſuper hos famulos tuos benedictionem Sancti Spiritus, & gratiæ ſacerdotalis effunde virtutem: Vt quos tuæ pietatis [a*] aſpectibus offerimus conſecrandos, perpetua muneris tui largitate [b*] conſequantur. Per. [c*]

CONSECRATIO.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus [d] honorum [e*] omnium dignitatum, quæ tibi militant, diſtributor. Per quem proficiunt univerſa, per quem cuncta firmantur, [1] amplificatis ſemper in melius naturæ [f*] rationalis incrementis per ordinem congrua ratione diſpoſitum. Vnde [g*] Sacerdotalis gradus, [h*] & officia Levitarum Sacramentis myſticis inſtituta creverunt: ut, cum Pontifices Summos regendis populis præfeciſſes, ad eorum [2] ſocietatis & operis adjumentum, Sequentis Ordinis viros & Secundæ Dignitatis [i] eligeres. Sic in eremo per LXX. virorum prudentium mentes [k*] Moyſe ſpiritum propagaſti: quibus ille adjutoribus uſus in populo, innumeras multitudines facile gubernavit. Sic [l*] & Heleazaro, & Ithamar filiis Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudiſti: [m*] & [n] ad Hoſtias [o*] ſalutaris officia Sacramenta ſufficeret meritum Sacerdotum. Hac providentia, Domine, [p*] Apoſtolis Filii tui Doctores fidei comites addidiſti: quibus illi orbem totum Secundis Prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ, Domine quæſumus, hæc adjumenta largire: [q*] qui quanto magis fragiliores ſumus, tanto his [r*] plurius indigemus. Da quæſumus omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem. Innova in viſceribus eorum Spiritum ſanctitatis: [ſ*] acceptum a te Deus [t*] Secundum meriti Munus obtineant: cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuent. Sint providi cooperatores [u*] noſtri Ordinis: luceat in eis totius forma juſtitiæ; ut bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia conſequantur. [x] Per.

[3] CONSVMMATIO PRESBYTERI.

Sit nobis, fratres, communis oratio: [y] ut his, qui in adjutorium & utilitatem

*a**. *Affectibus*. *b**. *Proſequaris*. *c**. ℟. *Amen*.

d. *Honorum omnium dignitatum*, apud Menardum, *honorum auctor*, *& diſtributor omnium dignitatum*. *Per quem* &c.

*e**. *Auctor & diſtributor omnium dignitatum*. *Per quem proficiunt &c.*

*f**. *Rationabilis*. *g**. *Sacerdotales*. *h**. *Atque*.

i. *Eligeres*. ita correximus, cum mendoſe legatur in exemplari, *elegeris*.

*k**. *Moyſi*. *l**. *In*. *m**. *Ut ad*.

n. *Et ad hoſtias* &c. apud Menardum legitur. *Vt ad hoſtias ſalutares & frequentioris officii Sacramenta miniſterium ſufficeret Sacerdotum* &c.

*o**. *Salutares & frequentioris officii*. *p**. *Apoſtolos*. *q**. *Quia quanto*.

*r**. *Amplius*. *ſ**. *Ut*. *t**. *Secundi*. *u**. *Ordinis noſtri & luceat*.

x. Per. *dele*. *y*. Ut his, *leg.* ut ii.

(1) *Mſ.* amplificantes.

(2) *Mſ.* Societates.

(3) *In duobus Pontificalibus Mſs. Beccenſis Monaſterii apud Martene loc. cit. pag. 437 heic legitur.* Ad conſummandum Presbyteratus officium. *Quod idem alibi invenies & præcipue apud eumdem Martene pag. 467. Vide ad vocem* conſummatio *Ducangium*.

litatem veſtræ ſalutis eliguntur, Preſbyteratus benedictionem divini indulgentia muneris conſequantur: ut Sancti Spiritus ſacerdotalia dona privilegio virtutum, ne imparis loco deprehendantur, obtineant. [a] Per ſuum.

ITEM BENEDICTIO.

Sanctificationum omnium Auctor, cujus vera conſecratio, cujus plena benedictio eſt: Tu Domine ſuper hos famulos tuos, quos Preſbyterii honore dedicamus, manum tuæ benedictionis his infunde: ut gravitate actuum, & cenſura [1] vivendi probent ſe eſſe Seniores, his inſtituti diſciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit: ut in lege tua die ac nocte, Omnipotens, meditantes, quod elegerint, [b] & credant: quod crediderint, doceant: quod docuerint, imitentur: juſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem in ſe oſtendant, & exemplo probent, [2] admonitione confirment: ut purum atque immaculatum Miniſterii tui Donum cuſtodiant; & per obſequium plebis tuæ Corpus & Sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment: & inviolabili charitate in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in die juſtitiæ [c] æternæ judicii, conſtantia pura, fide plena, Spiritu Sancto pleni perſolvant. Per.

XXI. CAPITVLVM
Sancti Gregorii Papæ.

Sicut qui invitatus renuit, quæſitus refugit ſacris eſt Altaribus removendus: ſic qui ultro ambit, vel importunus ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi ut creſcendo [d] decreſcat? cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledicto convertitur, qualiter ad hoc ut fiat hæreticus promovetur. Per.

XXII. AD ORDINANDOS Diaconos.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos, quos [e*] ad officium Diaconatus vocare dignatur, benedictionem gratiæ ſuæ clementer effundat, & conſecrationis adultæ propitius dona conſervet.

Oremus

Sequitur Oratio.

Domine Deus preces noſtras clementer exaudi: ut [f] quæ noſtro ſunt gerenda ſervitio, tuo benignus proſequaris auxilio: & quos ſacris miniſteriis exequendis, pro noſtra intelligentia credimus offerendos, tua potius electione juſtifices.

CON-

a. Per ſuum. *leg.* Per ſuum Per.
b. *& credant*, lege *credant*, ex aliis ordinibus apud Morinum.
c. *æternæ judicii*, leg. ex iiſdem, *æterni judicii*.
d decreſcat. *leg.* diſcreſcat.
e* *In ſacro Ordine dignatur aſſumere, benedictionis ſuæ gratiam effundat: eiſque donum conſecrationis indulgeat, per quod eos ad præmia æterna perducat.*
f. Quæ, *leg* qs.

(1) *Mſ.* videndi. (2) *Mſ.* admonitionem.

CONSECRATIO.

Adeſto, quæſumus omnipotens Deus, honorum dator, ordinum [1] diſtributor, officiorumque diſpoſitor. Qui in te manens innovas omnia, & cuncta [a*] diſponis per Verbum, Virtutem, Sapientiamque tuam, Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum,[2] ſempiterna providentia præparas, & ſingulis quibuſque [b*] temporalium [c] aptanda diſpenſas. Cujus corpus Eccleſiam tuam, cæleſtium gratiarum varietate [d*] diſtincta [e], ſuorumque [f*] connexa [g] diſcretione membrorum, per legem totius [h*] mirabilem compagis unitam, in augmentum templi tui creſcere, [i*] dilatarique largiris: ſacri [k*] muneris [l] ſervitutem trinis gradibus Miniſtrorum nomini tuo [m*] militare conſtituens: electis ab initio Levi filiis, qui myſticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, [n*] hæreditatem benedictionis æternæ ſorte [o*] perpetua poſſiderent. Super hos quoque famulos tuos, quæſumus [p*] Domine, placatus intende: quos tuis ſacris [q*] ſervituros, in officium [r*] Diaconii ſuppliciter dedicamus. Et nos quidem tamquam homines divini ſenſus & [s] ſummæ rationis ignari, horum vitam, quantum poſſumus, æſtimamus. Te autem, Domine, [t*] quæ a nobis [u] ſunt ignota non tranſeunt: Te [x*] nota non fallunt. Tu cognitor [y*] pectorum: Tu ſcrutator es [z*] animarum; [aa*] Tu veraciter in eis cæleſte potes adhibere judicium: & velut indignis donare quæ poſcimus. Emitte in eos, quæſumus Domine, Spiritum Sanctum: quo in opus miniſterii fideliter exequendi munere ſeptiformis tuæ gratiæ roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modeſta, pudor conſtans, [bb] innocentiæ [cc*], & ſpiritalis obſervantia diſciplinæ. [dd] In moribus [ee*] præcepta tua fulgeant: ut ſuæ caſtitatis exemplo, [ff*] imitatione, [gg] ſanctæ plebis adquirant: & bonum conſcientiæ teſtimonium [hh*] præferentes, in Chriſto firmi & ſtabiles perſeverent:

a*. *Diſponens.* b*. *Temporibus.* c. *temporalium*, apud Menardum, *temporibus.* d*. *Diſtinctam.* e. *diſtincta*, apud Menard, *diſtinctam.* f*. *Connexam diſtinctionem.* g. *connexa*. apud Menardum, *connexam.* h*. *leg. mirabilem totius compagis.* i*. *Dilatareque.* k*. *Maneris ſervientem.* l. Servitutem. *leg.* ſervientem. * *ſervitutem*. ita correximus ex Menardo, quia mendoſe legitur in exemplari *ſervientem.* m*. *Miniſtrare.* n*. *Hereditate.* o*. *Perpetuam.* p*. omittit, *Domine.* q*. *Altaribus.* r*. *Diaconatus.* s. *Summæ rationis ignari*. Emendatum ex Menardo, perperam enim habetur in exemplari, *ſummæ rationis ignorare.* t*. *Ea.* u. Sunt. *leg.* ſint. x*. *Occulta.* y*. *Secretorum.* z*. *Cordium.* aa*. *Tu eorum vitam cæleſti poteris examinare judicio: quo ſemper prævales & amiſſa purgare, & ea quæ ſunt agenda concedere. Emitte in eos &c.* bb. *Innocentiæ, & ſpiritalis.* apud Menardum. *innocentiæ puritas, & ſpiritalis.* cc*. *Puritas.* dd. *In moribus præcepta.* apud Menardum. *In moribus ejus præcepta.* ee*. *Eorum.* ff*. *Imitationem ſanctæ plebs adquirat.* gg. *Imitatione ſanctæ plebis adquirant*. apud Menard. *imitationem ſancta plebs adquirat.* hh*. *Proferentes.*

(1) *Mſ.* diſtributorum. (2) *Mſ.* ſempiternam providentiam.

verent: digniſque ſucceſſibus de [a] inferiore gradu per gratiam tuam potiora capere mereantur. Per [b*]

Ad conſumand. Diacon. officia.

Commune votum communis oratio proſequatur: ut hi totius Eccleſiæ prece, qui in Diaconatus miniſterio præparantur, Leviticæ [c] benedictionis, & ſpiritali converſatione præfulgentes, gratia ſanctificationis eluceant. Per.

SEQVITVR BENEDICTIO.

Domine ſanctæ ſpei, fidei, gratiæ, profectuum munerator, qui in cæleſtibus & terrenis Angelorum miniſtris ubique diſpoſitis, per omnia elementa voluntatis tuæ defundis affectum: hos quoque famulos tuos [d] noſtri ſpeciali dignare aſpectu; ut tuis obſequiis expediti, ſacris Altaribus Miniſtri puri adcreſcant: & indulgentia puriores, eorum gradu, quos Apoſtoli tui in ſeptenarium numerum, Beato Stephano duce atque prævio, Sancto Spiritu auctore, elegerunt, digni exiſtant: & virtutibus univerſis, quibus tibi ſervire oportet, inſtructi complaceant. Per.

XXIIII. ITEM ORAT. & Preces [1] ad Miſſa.

Exaudi, Domine, ſupplicum preces: & devoto tibi pectore famulantes perpetua defenſione cuſtodi: ut nullis perturbationibus impediti, liberam ſervitutem tuis ſemper exhibeamus officiis. Per.

SECRETA.

Tuis [2] Domine quæſumus, operare myſteriis, ut hæc tibi munera dignis mentibus offeramus. Per.

VD Qui rationabilem creaturam ne temporibus dedita bonis, ad præmia ſempiterna [e] contendat, ea diſpenſatione dignaris erudi: & nec caſtigatione deficiant, nec proſperitatibus inſoleſcant: ſed hoc potius [3] fiat ejus glorioſa devotio, quo nullis adverſitatibus obruta, ſuperetur. [f] Per quem Majeſtatem tuam.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro famulis tuis, quos ad Presbyterii, vel Diaconatus gradus promovere dignatus es: quæſumus Domine; placatus ſuſcipias; & quod eis divino munere contuliſti, in eis propitius tua dona cuſtodi. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Quam.

a. Inferiore. *leg.* infere. *b**. Amen.

c. *Benedictionis*. Adde ex aliis Ord. apud Morinum, *ordine clareſcant*.

d. *Noſtri*. legendum *nomina*, ut ſententia conſtet.

e. *Contendat &c.* Locus ſic emendandus ex Sacram. S. Gregorii edition. Rom. in præfat. Domin. Sexageſimæ, *Ne temporalibus dedita bonis ad præmia ſempiterna non tendat, ea diſpenſatione dignaris erudire; ut nec caſtigatione deficiat, nec proſperitatibus inſoleſcat &c.* *f*. *Per quem*. In eodem Sacram. *Per Chriſtum Dominum*.

(1) Ad Miſſam, *qua ſcilicet in ipſa Ordinatione celebratur*.

(2) *Ex antiquo Mſ. 900 annorum apud Marten. loco cit. pag.* 154. Tuis ſemper Domine &c.

(3) *Idem Mſ. pag.* 355. faciat. *Utraque legendi ratio ſuo ſenſu non caret*.

Digitized by Google

POST COMMVN.

a* Hos, quos reficis, Domine, ſacramentis, adtolle benignus auxiliis: ut tuæ redemptionis effectum & myſteriis capiamus & moribus. Per.

AD PLEBEM.

Da, quæſumus Domine, populis Chriſtianis, & quod profitentur agnoſcere: b* & c ad cæleſte munus diligere quod frequentant. d Per.

XXV. SECVNDA
Dominica in Quadrage.

Præſta nobis omnipotens Deus, ut quia vitiis ſubjacet noſtra mortalitas; tua nos & medicina purificet, & potentia tueatur. Per Dominum.

Præſta nobis miſericors e Des, ut placationem tuam promptis mentibus exoremus: & peccatorum veniam conſequentes, a noxiis liberemur incurſibus. Per.

SECRETA.

Eccleſiæ tuæ, Domine, munera placatus adſume, quæ & miſericors offerenda tribuiſti, & in noſtræ ſalutis potenter efficis tranſire myſterium. Per.

POST COMMVN.

Refecti, Domine, pane cæleſti, ad vitam, quæſumus, nutriamur æternam. Per.

AD POPVLVM.

Familiam tuam, quæſumus Domine, propitiatus inluſtra; ut beneplacitis inhærendo, cuncta quæ bona ſunt, mereatur accipere. Per.

FERIA SECVNDA
Hebdom. II.

Tuis, quæſumus Domine, adeſto ſupplicibus: & inter mundanæ pravitatis inſidias, fragilitatem noſtram ſempiterna pietate proſequere. Per Dominum.

Eccleſiam tuam, Domine, perpetua miſeratione proſequere; ut inter ſæculi turbines conſtituta, & præſenti jocunditate reſpiret, f & æternæ beatitudinis percipiat. Per.

SECRETA.

Concede nobis hæc, quæſumus Domine, frequentare myſteria: quia g quoties hujus Hoſtiæ celebratio commemoratur, opus noſtræ Redemptionis exercetur. Per.

POST COMMVN.

Percepta, Domine, Sancta nos adjuvent, & ſuis repleant inſtitutis. Per.

AD POPVLVM.

Populum tuum, Domine quæſumus, ad te toto corde converte; quia quos defendis etiam delinquentes, majore

a*. *Ord. Rom. Mſ. Oratorii Vallicellani*. Quos tuis Domine reficis Sacramentis, continuis adtolle benignus &c. b*. *Ord. Rom. Mſ.* & cæleſte munus.

c. *Ad cæleſte*. Apud Pamelium feria quinta poſt Dominicam primam Quadrag. *& cæleſte*. d. Per. *leg.* Per Dominum. e. Des. *leg.* Deus.

f. *Et æternæ beatitudinis percipiat*. Apud Pamelium feria quinta poſt Dominicam ſecundam Quadrag. legitur, *& æternam beatitudinem percipiat*.

g. Quoties. *leg.* quotiens.

jore pietate tueris ſincera mente devotos. Per.

FERIA TERTIA
Hebdom. Secunda.

Deus, qui ob animarum medelam jejunii devotione [a] caſtigare corpora præcipiſti, concede, ut corda noſtra ita pietatis tuæ valeant exercere mandata; quatenus ab omnibus poſſimus ſemper abſtinere peccatis. Per.

Imploramus, Domine, clementiam tuam, ut hæc divina jejuniorum ſubſidia a vitiis expiatos ad feſta ventura nos præparent. Per.

SECRETA.

Præſentibus ſacrificiis, Domine, jejunia noſtra ſanctifica; ut quod obſervantia noſtra profitetur extrinſecus, interius operetur. Per.

POST COMMVN.

Delitias Domine mirabiles menſæ cæleſtis ambimus; quibus jejunando copioſius ſaginamur. Per.

AD POPVLVM.

Da, quæſumus Domine, fidelibus tuis & ſine ceſſatione capere paſchalia Sacramenta, & deſideranter expectare ventura: ut myſteriis, quibus renati ſunt, permanentes, ad novam vitam his operibus perducantur. Per.

FERIA QVARTA
Hebdom. II.

Deus, qui per Verbum tuum humani generis reconciliationem mirabiliter operaris, præſta, quæſumus; ut ſancto jejunio [1] & tibi toto ſimus corde ſubjecti; & in tua nobis efficiamur prece [2] concordes. Per Dominum.

Præſta nobis, Domine quæſumus, auxilium gratiæ tuæ; ut jejuniis & orationibus convenienter intenti, liberemur ab hoſtibus mentis & corporis. Per.

SECRETA.

Præſenti Sacrificio nomini tuo nos, Domine, jejunia dicata ſanctificent, & quod obſervantia noſtra profitetur extrinſecus, interius operetur effectus. Per.

POST COMMVN.

Gratia tua nos, quæſumus Domine, non relinquat: quæ & ſacræ nos deditos faciat ſervituti, & tuam nobis opem ſemper adquirat. Per.

AD POPVLVM.

Adeſto, Domine, famulis tuis, [3] & opem tuam largire poſcentibus; ut his, qui te auctore & gubernatore gloriantur, [b] & [4] grata reſtaures, & reſtaurata conſerves. Per.

FERIA VI.
Hebdom. II.

Ad hoſtes noſtros, Domine, ſuperandos,

a. *Caſtigare corpora præcepiſti*. apud Menardum in præfatione ejuſdem feriæ, *caſtigari corpora præcepiſti*.

b. *& grata*, apud Pamelium habetur feria v. *& congregata*.

(1) *P.* ut ſancto jejunio purificati, & tibi &c.

(2) *Idem P.* conformes.

(3) O, M, P, R, & perpetuam benignitatem largire.

(4) *Eadem monumenta mox allegata*, & congregata reſtaures. *Quemadmodum eſt Thomaſio de Pameliano notatum*.

randos, præſta quæſumus; ut auxilium tuum jejuniis tibi placitis, & bonis operibus impetremus. Per Dominum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per continentiam ſalutarem, corporibus mederis & mentibus; majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut pia jejunantium precatione placatus, & temporalia nobis ſubſidia præbeas [a] & æterna. Per.

SECRETA.

Efficiatur hæc Hoſtia, Domine quæſumus, ſolemnibus grata jejuniis: ut & tibi fiat acceptior, purificatis mentibus [b] immolemur. Per.

POST COMMVN.

[c] Præveniant nobis, Domine quæſumus, divina tua ſancta fervorem; quo eorum pariter & actu delectemur, & fructu. Per.

AD POPVLVM.

Adeſto Domine propitius plebi tuæ: & temporali conſolatione non deſeras, quam vis ad æterna contendere. Per.

FERIA VII.
Hebdom. II.

Subveni, Domine, ſervis tuis pro ſua jugiter iniquitate gementibus: menteſque noſtras terrenis affectibus prægravatas, medicinalibus tribue [d] exonerare jejuniis: & corporis affectionem corrobora. Per Dominum.

Deus, qui profundo conſilio, proſpiciendo mortalibus, ſancta inſtituiſti jejunia, quibus corda languentium ſalubriter curarentur: Tu animam noſtram, corpuſque caſtifica, corporis animæque Salvator, æternæ felicitatis benigne largitor. Per Dominum.

SECRETA.

Domine, Deus noſter, in cujus ſpiritalibus caſtris militat laudanda ſobrietas, abſtinentia fructuoſa, & caſti pectoris opulenta frugalitas; jejunantium vota clementer adſume, & fidelibus poſtulatis conſueta pietate ſuccurre. Per.

POST COMMVN.

Sacræ nobis, quæſumus Domine, menſæ libatio, & piæ converſationis augmentum, & tuæ propitiationis continuum præſtet auxilium. Per Dominum noſtrum.

AD POPVLVM.

Implorantes, Domine, miſericordiam fideles populos propitius intuere: [e] qui præter te alium non noverunt, tuis ſemper beneficiis glorientur. Per.

XXVI.

a. Et æterna. *leg.* æterna.
b. *Immolemur*. apud Menardum feria v. hebd. IV. *immoletur*.
c. *Præveniant*. apud Menardum fer. II. poſt Palm. *Præbeant*.
d. *Exonerare*. apud Menardum in Sabbati præfatione, *exonerari*.
e. *Qui præter te*. apud Pamelium die ſequenti, *& qui præter te*.

Digitized by Google

XXVI. TERTIA DOMIN.
quæ pro [1] Scrutiniis Electorum celebratur.

DA, quæſumus Domine, Electis noſtris [a] digne atque ſapienter ad confeſſionem tuæ laudis accedere; ut dignitati priſtinæ, quam originali tranſgreſſione perdiderant, per tuam gloriam reformentur. Per.

SECRETA.

Miſeratio tua, Deus, ad hæc percipienda myſteria famulos tuos, quæſumus, & præveniat competenter, & devota converſatione perducat. Per.

INFRA CANONEM.
ubi dicit.

Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, qui Electos tuos ſuſcepturi ſunt ad ſanctam gratiam Baptiſmi tui: Et omnium circumadſtantium. *Et tacis. Et recitantur nomina virorum, & mulierum, qui ipſos infantes ſuſcepturi ſunt. Et intras.* Quorum tibi fides cogn.

ITEM INTRA ACTION.

Hanc igitur oblationem, Domine, ut propitius ſuſcipias deprecamur; quam tibi offerimus pro famulis & famulabus tuis, quos ad æternam vitam, & beatum [a] gratiæ tuæ dinumerare, eligere, atque vocare dignatus es. Per Chriſtum.

Et recitantur nomina Electorum. Poſtquam recenſita fuerint, dicis.

Hos, Domine, fonte Baptiſmatis innovandos, Spiritus tui munere ad Sacramentorum tuorum plenitudinem poſcimus præparari. Per.

POST COMMUN.

Adeſto, Domine quæſumus, redemptionis effectibus; ut quos Sacramentis æternitatis inſtitutis, [b] eoſdem protegas dignanter aptandos. Per.

AD POPULUM.

Suppliciter, Domine, ſacra familia munus

a. *Gratiæ tuæ dinumerare*. ex Ord. Rom. corrige. *gratiæ tuæ donum*.
b. *Eoſdem*. lege ex Ordine Rom *eiſdem*,

(1) Scrutinia Electorum, *quæ hic occurrunt quid nam fuerint, accipe a Theodulpho Epiſcopo Aurelianenſi, qui in Libello ſuo de ordine Baptiſmi apud Menardum vulgato in notis ad Greg. Sacram. cap. VIII. ait*: Qui vero illius ſunt jam ætatis, ut rationem credulitatis ſuæ jam reddere poſſint, diligenti examine SCRUTANDI ſunt, utrum veraciter credant &c. *Fuit igitur* Scrutinium *examen eorum qui baptizandi erant. Subbato Sancto ante Paſcha Baptiſmi Sacramentum conferebatur, ideo ſatis idoneo ante eam diem tempore* Scrutinia *inchoabantur: quæ, ut ait Martenius De antiquis Eccleſiæ ritibus de Baptiſmo agens art. xi, num. iii,* in Eccleſia Romana ſeptem in quadrageſima celebrata fuiſſe conſentiunt quoſquot de ritibus eccleſiaſticis ſcripſerunt auctores. *Quod hic Martenius ait, pro certo habet & Menardus in ſuis animadverſionibus ad laudatum nuper Theodulphi Libellum, hujuſque cap. ix. qua de re conſulendus Ordo Romanus VII apud Mabill. Muſ. Ital. tom. II. num. 8. cujus infra recurret nobis mentio facienda. Hoc tamen in Sacramentario obſervabis rem notatione dignam: hac enim & quinta Dominica Quadrageſimæ Miſſæ ſollemnia pro Scrutiniis celebrari. Deinde Dominica Palmarum præmittitur integer Ordo Scrutinii. Demum Sabbato Sancto ritus hujuſmodi principio occurrit. Ad hæc communis opinio eſt* Scrutinia *teneri olim cœpiſſe Feria II poſt tertiam hanc Quadrageſimæ Dominicam. Et ſane ipſo hoc in noſtro Sacramentario infra ante Dominicam Palmarum legitur:* Denuntiatio pro Scrutinio, quod tertia hebdomada in Quadrageſima ſecunda feria initiatur. *Iiſdem omnino verbis inſcriptio hæc legitur & Tom. II. Muſei Italici pag. 77. in vetuſtiſſimo Scrutinii Ordine, quem a Ven. noſtro Thomaſio ſibi ſuppeditatum vulgavit vir clariſſimus Jo. Mabillonius. Idem prorſus invenies inter ejuſdem generis Ordines apud Martenium loco cit. & præcipue ad pag. 102.*

(2) *Mſ.* dignis.

munus tuæ miſerationis expectat: concede quæſumus, ut quod, te jubente, deſiderat, te largiente, percipiat. Per.

FERIA SECVNDA
Hebdomada III.

Conſerva, Domine, familiam tuam bonis ſemper operibus eruditam: & ſic præſentibus conſolare ſubſidiis, ut ad ſuperna perducas dona propitius. Per.

Da, quæſumus, omnipotens Deus, ut [1] abſtinentiæ noſtræ reſtaurationis exordiis competentem, dignis præcurramus officiis. Per.

SECRETA.

Hæc nos beata myſteria, Deus, principia ſua aptos efficiant recenſere.

Infra Actionem, ut ſupra.
Sequitur.

POST COMMVN.

Quos jejunia votiva caſtigant, tua, Domine, Sacramenta purificent; ut terrenis affectibus mitigatis, facilius cæleſtia capiamus. Per.

AD POPVLVM.

Gratias tibi referat, Domine, corde ſubjecto, tua ſemper Eccleſia: [2] conſequenter obtineat: & obſervationes antiquas jugiter recenſendo, proficiat in futurum. Per.

FERIA III.
Hebdomada Ter.

Proſequere nos, omnipotens Deus, & quos ab eſcis carnalibus præcipis abſtinere, a noxiis quoque vitiis ceſſare concede. Per Dñm.

Da, quæſumus Domine, Rex æterne cunctorum, ut ſacro nos purificatos jejunio, ſinceris quoque mentibus ad tua ſancta ventura facias pervenire. Per.

SECRETA.

Vt accepta ſint, Domine, noſtra jejunia; præſta nos, quæſumus, hujus munere Sacramenti purificatum tibi pectus offerre. Per.

POST COMMVN.

Sacramenti tui Domine, veneranda perceptio, & myſtico nos mundet effectu, & perpetua virtute defendat. Per.

AD POPVLVM.

Concede, miſericors Deus, ut devotus tibi Populus ſemper exiſtat: & de tua clementia, quod ei proſit, indeſinenter obtineat. Per.

FERIA IIII.
Hebdom. III.

Deus, qui nos formam humilitatis jejunando & orando, Vnigeniti tui Domini noſtri imitatione, docuiſti, concede quæſumus, ut quod ille jugi jejuniorum continuatione complevit; nos quoque per partes dierum facias adimplere. Per.

Da nobis, Domine quæſumus, obſervantiam legitima devotione perfectam: ut refrænatione carnalis alimoniæ ſancta tibi converſatione placeamus. Per.

SECRETA.

Deus, de cujus gratiæ rore deſcendit,

(1) *Thomaſ. in Orat. ad hunc diem, mendoſum eum locum ita corrigit, ſcribens*: ut abſtinentiam noſtræ reſtaurationis &c.

(2) *Thomaſ. idem loc. cit* & conſequenter.

dit, ut ad myſteria tua purgatis ſenſibus accedamus, præſta quæſumus, ut in eorum Traditione ſolemniter honoranda, competens deferamus obſequium. Per.

POST COMMVN.

Percipientes, Domine, glorioſa myſteria referimus gratias: quod in terris poſitos, jam cæleſtium præſtas eſſe participes. Per.

AD POPVLVM.

Defende, Domine, familiam tuam: [a] ut toto tibi corde proſtrata & ab hoſtium tuere formidine: nec bona tua difficulter inveniant, pro quibus & Sancti tui & Angelicæ tibi ſupplicant Poteſtates. Per.

FERIA SEXTA
Hebdom. III.

Præſta, quæſumus Domine, ut obſervationes ſacras annua devotione recolentes, & corpore tibi placeamus & mente. Per.

Concede, quæſumus Domine, fragilitati noſtræ ſufficientiam competentem; ut ſuæ Reparationis effectum & pia converſatione recenſeat, & cum exultatione ſuſcipiat. Per.

SECRETA.

Accepta tibi ſint, Domine, quæſumus, noſtri dona jejunii; quæ expiando nos [1] tua gratia dignos efficiant, & ad ſempiterna promiſſa perducant. Per.

POST COMMVN.

Hos, Domine; quos reficis Sacramentis, adtolle benignus auxiliis: ut tuæ redemptionis effectum & myſteriis capiamus & moribus. Per.

AD POPVLVM.

Super populum tuum, Domine quæſumus, benedictio copioſa deſcendat, indulgentia veniat, conſolatio tribuatur, fides ſancta ſuccreſcat, redemptio ſempiterna firmetur. Per.

FERIA SEPTIMA.
Hebdom. III.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam ſauciata, medicinalis parſimoniæ ſtudio reformetur. Per Dominum.

Auge fidem tuam, Domine quæſumus, [b] miſeratus in nobis: qualiter pietatis tuæ ſubſidia non negabis, quibus integre contuleris firmitatem. Per.

SECRETA.

Domine Deus noſter, qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis noſtræ ſubſidium condidiſti, tuoque nomini munera juſſiſti dicanda conſtitui; Tribue quæſumus: ut & vitæ nobis præſentis auxilium, & æternitatis efficiant Sacramentum. Per.

POST COMMVN.

Quod ore ſumpſimus, Domine, mente

a. *Ut toto tibi &c.* apud Pamelium feria v. poſt Domin. III. Quadrag. legitur, *& toto tibi corde proſtratam ab hoſtium tuere formidine: nec bona tua difficulter inveniat &c.*

b. *Miſeratus in nobis: qualiter.* apud Pamelium in Sabbato Dom. III. Quad. habetur. *operatus in nobis, quia.*

(1) *Mſ.* tuæ gratiæ &c.

mente capiamus, & de munere temporali, fiat nobis remedium ſempiternum. Per.

AD POPVLVM.

Eſto, quæſumus Domine, propitius plebi tuæ; ut quæ tibi non placent reſpuentes, tuorum potius repleantur delectationibus mandatorum. Per Dominum.

XXVII. QVARTA DOMĪ.

[1] pro Scrutinio II.

OMnipotens ſempiterne Deus Eccleſiam tuam ſpiritali jocunditate multiplica: ut qui ſunt generatione terreni, fiant regeneratione cæleſtes. Per.

*

Remedii ſempiterni munera, Domine, lætantes offerimus, ſuppliciter exorantes; ut eadem nos & [a] digni venerari, & pro ſalvandis congruenter exhibere perficias. Per.

Infra Canonem, ut ſupra. Sequitur.

POST COMMVN.

Tu ſemper, quæſumus Domine, tuam adtolle benignus familiam: tu diſpone correctam: tu propitius tuere ſubjectam: tu guberna [2] perpetua bonitate ſalvandam. Per.

AD POPVLVM.

Tu famulos tuos, quæſumus Domine, bonis moribus placatus inſtitue: tu in eis quod tibi placitum ſit dignanter infunde: ut & digni ſint, & tua valeant beneficia promereri. Per.

FERIA II.

Hebdomada IIII.

Sacræ nobis, quæſumus Domine, obſervationis jejunia, & piæ converſationis augmentum, & tuæ propitiationis continuum præſtent auxilium. Per.

Proficiat, quæſumus Domine, plebi tibi dicatæ piæ devotionis affectus; ut ſacris actionibus erudita, quanto majeſtati tuæ ſit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per.

SECRETA.

Cunctis nos, quæſumus Domine, reatibus & periculis propitiatus abſolve; quos [3] tanti myſterii tribues eſſe conſortes. Per Dominum.

POST COMMVN.

Divini ſatiati muneris largitate, quæſumus Domine Deus noſter, ut in hujus ſemper participatione vivamus. Per.

AD POPVLVM.

Tueatur, quæſumus Domine, dextera tua [4] populum deprecantem; & purificatum dignanter erudiat, ut conſolatione præſenti ad futura bona proficiat. Per.

FERIA III.

Hebdom. IIII.

Da noſtræ ſumme [5] conditionis Repara-

* *SECRETA.* a. *Digni*, ex Ord. Romano emenda *digne*.

(1) *Vide ſuperiorem notam* (1) *pag.* 29.
(2) P. perpetua benignitate.
(3) *Mſ.* tantis myſteriis.
(4) *P. Eo in loco, & M. ſequenti in Feria* III. populum tuum.
(5) P. conditionis reparator omnipotens Deus, ut & ſemper &c.

parator, ut ſemper declinemus a malis, & omne quod bonum eſt, prompta voluntate ſectemur. Per Dominum.

Exercitatio veneranda, Domine, jejunii ſalutaris populi tui corda diſponat: ut & dignis mentibus ſuſcipiat paſchale myſterium, & continuatæ devotionis ſumat augmentum. Per.

SECRETA

Purifica nos, miſericors Deus, ut Eccleſiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ ſunt, pia munera deferentis, fiant, expiatis mentibus, gratiores. Per.

POST COMMUN.

Cæleſtia dona capientibus, quæſumus Domine, non ad judicium pervenire patiaris, quod fidelibus tuis ad remedium providiſti. Per.

AD POPULUM.

Populi tui Deus inſtitutor & rector, peccata quibus [a] impugnantur expelle, ut ſemper tibi placitus, & tuo munimine ſit ſecurus. Per.

FERIA IIII.
Hebdom. IIII.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui & juſtis præmia meritorum, & peccatoribus per jejunium [1] erroris ſui veniam præbes, miſerere ſupplicibus, parce peccantibus: ut reatus noſtri confeſſio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per Dominum noſtrum.

Concede miſericors Deus, ut ſicut nos tribuis ſolemne tibi deferre jejunium; ſic nobis indulgentiæ tuæ præbe benignus auxilium. Per.

SECRETA.

Accepta tibi ſit Domine noſtræ devotionis oblatio, quæ & jejunium noſtrum, te operante, ſanctificet, & indulgentiam tuæ conſolationis obtineat. Per.

POST COMMUN.

Sacramentorum benedictione ſatiati, quæſumus Domine, ut per hæc ſemper mundemur a vitiis. Per.

AD POPULUM.

Da plebi tuæ Domine piæ ſemper devotionis affectum: ut quæ prava ſunt, reſpuens, ſancta converſatione firmetur; & a peccatis libera, nullis adverſitatibus adteratur. Per.

FERIA VI.
Hebdom. IIII.

Præſta, quæſumus Domine, ut ſalutaribus jejuniis eruditi, a noxiis etiam vitiis abſtinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per.

Proſequere, quæſumus omnipotens Deus, jejuniorum ſacra myſteria: & quos ab eſcis carnalibus præcipis temperare, a noxiis quoque vitiis ceſſare concede. Per.

a. *Impugnantur*. apud Pamel. feria V. hebd. IV. Quadr. *impugnatur*.

(1) *Mrn. Sacram. dum hoc loco eam deprecandi Deum formulam retinet, omittit voces* erroris ſui. *Ceterum eadem formula ita mutatur in* Codd. O. P. R. Deus qui & juſtis præmia meritorum, & peccatoribus per jejunium veniam præbes, miſerere ſupplicibus tuis, ut reatus noſtri confeſſio, indulgentiam valeat percipere delictorum. Per.

SECRETA.

Hæc ſacrificia nos, omnipotens Deus, potenti virtute mundatos, ad ſuum faciant puriores venire principium. Per.

POST COMMVN.

[a] Sacra tua nos, Domine quæſumus, & vivificando renovent, & renovando vivificent. Per.

AD POPVLVM.

Adeſto, Domine, populis, qui ſacra myſteria [b] contigerunt, ut nullis periculis affligantur, qui te protectore confidunt. Per Dominum.

FERIA VII.
Hebdomada IIII.

Deus, omnium miſericordiarum ac totius bonitatis auctor, qui peccatorum remedia jejuniis, orationibus, & eleemoſynis demonſtraſti: Reſpice propitius in hanc humilitatis noſtræ confeſſionem; ut qui inclinamur conſcientia noſtra, tua ſemper miſericordia erigamur. Per.

Tua nos, Domine quæſumus, gratia & ſanctis exerceat veneranda jejuniis; cæleſtibus myſteriis efficiat aptiores. Per.

SECRETA.

Offerimus tibi, Domine, munera, quæ dediſti, ut & creationis tuæ circa mortalitatem noſtram teſtificentur auxilium, & remedium immortalitatis operentur. Per.

POST COMMVN.

Percepta nobis Domine, præbeant tua Sacramenta ſubſidium; ut & tibi grata ſint noſtra jejunia, & nobis proficiant ad medelam. Per Dominum.

AD POPVLVM.

Plebem tuam, Domine quæſumus, interius exteriuſque reſtaura, ut quam corporeis non vis delectationibus impediri, ſpiritali facias vigere propoſito; & ſic rebus foveas [c] tranſituris, ut tribuas potius inhærere perpetuis. Per.

XXVIII. QVINTA DOMIN.
quæ [1] pro Scrut. celebratur.

Concede, Domine, Electis noſtris, ut [d] ſacris edocti myſteriis, & renoventur fonte Baptiſmatis, & inter Eccleſiæ tuæ membra numerentur. Per.

SECRETA.

Exaudi nos, omnipotens Deus; & famulos tuos, quos fidei chriſtianæ primitiis imbuiſti, hujus Sacrificii tribuas operatione mundari. Per.

Infra Canonem, ubi ſupra.
Sequitur.

POST COMMVN.

Concurrat, Domine quæſumus, populus tuus, & toto tibi corde ſubjectus, obtineat, ut ab omni perturbatione ſecurus, & ſalvationis ſuæ gaudia promptus exerceat, & pro regenerandis benignus exoret. Per.

AD

a. Sacra. *leg.* ſancta: *b.* Contigerunt. *leg.* contingerunt.
c. Tranſituris. *leg.* tranſituriis. *d.* Sacris. *leg.* ſanctis.

(1) Pro Scrutinio. *Vide quæ diximus ſupra ad pag. 29. not.* (1).

AD POPVLVM.

Deus, qui cum ſalutem hominum ſemper operaris, nunc tamen populum tuum gratia abundantiore multiplicas, reſpice propitius ad Electionem tuam; ut paternæ protectionis auxilio & regenerandos munias & renatos. Per.

FERIA II.
Hebdomada V.

Deus,[1] qui ad imaginem tuam conditis, ideo das temporalia, ut largiaris æterna, Eccleſiam tuam ſpiritali fœcunditate multiplica; ut qui ſunt generatione terreni, fiant regeneratione cæleſtes. Per Dominum.

Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter, & in ſacrificio jejuniorum noſtras mentes purifica; ut ad beneficia recolenda, quibus nos inſtaurare dignatus es, tribuas venire gaudenter. Per.

SECRETA.

Exaudi nos omnipotens Deus, & famulos tuos, quos fidei Chriſtianæ primitiis imbuiſti, hujus Sacrificii tribuas operatione mundari. Per.

POST COMMVN.

Sanctificent nos, Domine, ſumpta myſteria; & paſchalis obſervantiæ ſufficientem nobis tribuant facultatem. Per.

AD POPVLVM.

Benedictio, Domine quæſumus, in tuos fideles copioſa diſcendat: & quam ſubjectis cordibus expetunt, largiter conſequantur. Per.

FERIA III.
Hebdom. V.

Præſta, quæſumus Domine, ut obſervationes ſacras annua devotione recolentes, & corpore tibi placeamus & mente. Per.

Fiat, quæſumus Domine, per gratiam tuam fructuoſus noſtræ devotionis affectus; quia tunc nobis proderunt ſuſcepta jejunia, ſi tuæ ſint placita pietati. Per.

SECRETA.

Concede nobis Domine, quæſumus, ut celebraturi [a] ſacra myſteria, non ſolum abſtinentiam corporalem; ſed, quod eſt potius, habeamus mentium puritatem. Per.

POST COMMVN.

Vegetet nos, Domine, ſemper & innovet tuæ menſæ libatio, quæ fragilitatem noſtram gubernet, & protegat, & in portum perpetuæ ſalutis inducat. Per.

AD POPVLVM.

Libera Domine, quæſumus, a peccatis & hoſtibus tibi populum ſupplicantem; [b] in ſancta converſatione viventes, nullis [2] afficiantur adverſis. Per Dominum.

FERIA IIII.
Hebdomada V.

Jejunia, quæſumus Domine, quæ ſacris exequimur inſtitutis, & nos a reati-

E 2

a. Sacra. *leg.* ſancta. *b. In ſancta*. apud Menardum legitur, *ut ſancta*.

(1) *P.* Deus, qui homini ad imaginem tuam condito, ideo &c. (2) *Mſ.* Inficiantur.

Digitized by Google

reatibus noſtris ſemper expediant ; & tuam nobis juſtitiam faciant eſſe placatam , Per Dominum .

Præſta , quæſumus , omnipotens Deus, ut quos jejunia votiva caſtigant, ipſa quoque devotio ſancta lætificet : ut terrenis [1] affectibus mitigatis, facilius cæleſtia capiamus. Per.

SECRETA.

Præſta [2] omnipotens Deus , ut jejuniorum placatus ſacrificiis, remiſſionis tuæ nos venia proſequaris. Per.

POST COMMVN.

Adeſto, Domine fidelibus tuis ; & quos cæleſtibus reficis Sacramentis, a terrenis conſerva periculis. Per.

AD POPVLVM.

Gregem tuum Paſtor bone placatus intende ; & oves , quas pretioſo Sanguine Filii tui redemiſti, diabolica non ſinas incurſione lacerari. Per.

FERIA SEXTA.
Hebdom. v.

Tribue nobis, quæſumus Domine, indulgentiam peccatorum ; ut [3] inſtituta paſchalia tibi placitis ſenſibus operemur. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, clementiam tuam ſuppliciter exoramus; ut qui mala noſtra ſemper prævenis miſerando, facias nos tibi placitos, & piis actionibus & jejuniis ſalubribus expiando. Per.

SECRETA.

Sanctifica nos, quæſumus, Domine his muneribus offerendis ; & paſchalis obſervantiæ ſufficientem nobis tribue facultatem. Per.

POST COMMVN.

Da, quæſumus, Domine, ut tanti myſterii munus indultum, non condemnatio, ſed ſit medicina ſumentibus. Per.

AD POPVLVM.

Protege Domine populum tuum, & in Sanctorum tuorum patrocinio [a] confidentem , perpetua defenſione guberna. Per.

FERIA SEPTIMA.
Hebdomada v.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per abſtinentiam ſalutarem & corporibus noſtris mederis & mentibus, majeſtatem tuam ſupplices exoramus, ut pia jejunantium precatione placatus, & præſentia nobis ſubſidia præbeas & futura. Per.

[b] Sanctifica hoc jejunium , tuorum corda fidelium, Deus miſerator inluſtra ; & quibus devotionis præſtas affectum, præbe ſupplicantibus pium benignus auditum. Per.

SECRETA.

Sacrificia, Domine, propenſius iſta reſtaurent, quæ medicinalibus ſunt inſtituta jejuniis. Per.

POST

a. Confidentem . *leg.* confitentem :

b. Sanctifica hoc jejunium tuorum &c. legendum, *& tuorum* : vel ut in editis, *ſanctificato hoc jejunio tuorum corda &c.*

---

(1) *Mſ.* effectibus .

(2) P. Præſta . quæſumus . omnipotens Deus &c.

(3) *M. &* P. ut inſtituta jejunia &c. *Confer. quæ diximus ſuperiori pag.* 17 , *not.* (1)

POST COMMVN.

Supplices te rogamus, Domine Deus noſter; ut ſicut nos Filii tui Corporis & Sanguinis ſacroſancti paſcis alimonio, ita nos & divinæ naturæ ejus facias eſſe conſortes. Per.

AD POPVLVM.

Viſita, quæſumus, Domine plebem tuam; & corda ſacris dicata myſteriis, pietate tuere pervigili; ut remedia ſalutis æternæ, quæ, te miſerante, percipit; te, protegente, cuſtodiat. Per.

XXVIIII. DENVNTIATIO [1] pro Scrutinio, quod tertia hebdomada in Quadrageſima Secunda Feria [a] initiatur. [b*]

Scrutinii diem, dilectiſſimi Fratres, quo Electi noſtri divinitus inſtruantur, imminere cognoſcite. Ideoque ſolicita devotione, ſuccedente ſequente *illa* feria, circa horam diei [2] ſextam convenire dignemini. Vt cæleſte myſterium, quo Diabolus cum ſua pompa [c] deſtruetur, & janua Regni cæleſtis aperitur, inculpabili, Deo juvante, miniſterio peragere valeamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Vt autem venerint ad Eccleſiam, ſcribuntur [3] *nomina infantum ab Acolytho: & vocantur in Eccleſia per nomina, ſicut ſcripti ſunt. Et ſtatuuntur maſculi in dexteram partem, fœminæ in ſiniſtram:* [4] *& dat orationem Presbyter ſuper eos.*

XXX. ORAT. SVPER Electos ad Catechumenum faciendum.

Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hos famulos tuos, quos ad rudimenta fidei vocare dignatus es. Omnem cæcitatem cordis ab eis expelle: diſrumpe omnes laqueos ſatanæ, quibus fuerant colligati: aperi eis Domine januam [5] pietatis tuæ: [d] & ſigno ſapientiæ tuæ imbuti, omnium cupiditatum fœtoribus careant:

a. *Initiatur*. Sic emendavimus ex Miſſali antiquo manuſcripto Cardinalis Sanctorii in Bibliotheca Barberina, in exemplari enim legebatur, *initiarum*.

b* Ordo Baptiſterii Romani Ordinis. *Denunciatio pro Scrutinio quod initiatur* III *hebdom. in Quadrag.* II. *Feria*. Extat in Miſſali membranaceo Oratorii Vallicellani ſign. B. VIII, in Feria IV Dominicæ IV in Quadrageſima.

c. *Deſtruetur*. Miſſale M.S. antiquum Card. Sanctorii, *deſtruitur*.

d. *Et ſigno*. apud Pamelium ponitur, *ut ſigno*.

(1) *Ordo laudatus apud Mabill. Muſ. Ital. tom.* II, *pag.* 77. *ait*: Denuntiatio Scrutinii quod &c.

(2) *Præfatus Ordo illic habet* tertiam, *cui conſentit & apud Martene Ordo alter deſcriptus ex Gellonenſis Monaſterii Miſſali, lib.* 1. *Part.* I. *pag.* 96 De antiquis Eccleſiæ ritibus.

(3) *Notatum ex hoc loco fuit Ordinis clariſ. Mabillonio infantes & Electos nomina habuiſſe ante baptiſmum: qua de re videndus Menardus Not.* 321. *ad Greg. Sacram.*

(4) *Ita vetuſtiſſimus Ordo apud Marten. loco prælaudato pag.* 102. *Ille tamen a Mabillonio vulgatus, ut & ille Miſſalis Gellonenſis, cujus paullo ſuperius mentionem habui, Sacerdoti præcipiunt ut ante Orationem pollice Crucis ſignum faciat in frontibus Electorum ſive Competentium: ita enim vocabantur qui baptizandi erant; qua de appellatione agit Menardus in animadverſionibus ſuis ad Cap.* I. *libelli Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi*.

(5) *Cod. Ottob.* miſericordiæ tuæ.

ant: [1] & ſuavi odore præceptorum tuorum læti tibi in [2] Eccleſia deſerviant: & proficiant de die in diem; [3] ut idonii efficiantur accedere ad gratiam Baptiſmi tui [a] percepta medicina. Per Dominum noſtrum.

Preces noſtras, quæſumus, Domine clementer exaudi; & hos Electos tuos Crucis dominicæ, cujus [b] impreſſione ſignamus, virtute cuſtodi: ut magnitudinis gloriæ rudimenta ſervantes, per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis pervenire gloriam mereantur. Per.

Deus, qui humani generis ita es conditor, ut ſis etiam reformator, propitiare populis adoptivis: & novo teſtamento ſobolem novæ prolis adſcribe; ut filii promiſſionis, quod non [c] potuerunt adſequi per naturam; gaudeant ſe recepiſſe per gratiam. Per Dominum noſtrum.

XXXI. BENEDICTIO Salis dandi Catechumen.

Exorcizo te, creatura Salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in charitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in virtute Spiritus Sancti. Exorcizo te per Deum vivum, & per Deum verum; qui te ad tutelam humani generis procreavit; & populo venienti ad credulitatem, per ſervos ſuos [4] conſecrare præcepit. Proinde rogamus te, Domine Deus noſter; ut hæc creatura Salis in nomine Trinitatis efficiatur ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum: quem [5] tu Domine ſanctificando ſanctifices, benedicendo benedicas: ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in viſceribus eorum, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

* *Et* [6] *poſt hanc orationem pones Sal in ore infantis, & dicis*: Accipe *ill* Sal ſapientiæ propitiatus in vitam æternam. *

XXXII. [7] BENEDICTIO poſt datum Salem.

Deus patrum noſtrorum, Deus univerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus: ut hunc famulum tuum reſpicere digneris propitius; ut hoc primum pabulum Salis guſtantem, non [d] diutius eſurire permittas, quo minus cibo expleatur cæleſti; quatenus ſit ſemper, Domine,

a. Percepta medicina. Sic emendavimus ex Pamelio cum perperam legatur in exemplari, *perceptæ medicinæ*.

b. Impreſſione. apud Pamelium legitur, *impreſſione eum*, quia in oratione ſit ſermo in ſingulari:

c. Potuerunt. ita correctum ex Pamel. exemplar enim mendoſe habet. *potuerint*.

d. Diutius. ita poſuimus ex Pamelio, quia male habetur in exemplari, *deucius*.

(1) *Idem Cod. una cum P.* atque ad ſuavem odorem præceptorum. &c.

(2) *Iidem O. & P.* in Eccleſia tua.

(3) O. ut ſignatus promiſſæ gratiæ tuæ.

(4) *P.* conſecrari, ut in nomine Sanctæ Trinitatis efficiare ſalutare Sacramentum &c.

(5) *Voces* tu Domine *omittit P.*

(6) *Ordo apud Mabill. loc. cit.* Et mittit in ore infantium de ipſo ſale per ſingulos ita dicendo: Accipe &c. *Apud Marten. pag.* 112. Hac oratione expleta, accipiat Sacerdos de eodem ſale, & ponat in ore infantis dicendo illi, Accipe &c.

(7) *Pam. & Ordo apud Marten. loc. cit.* Oratio poſt datum ſalem. *Apud Mabill.* Et dicas poſt datum ſal hanc benedictionem.

ne, ſpiritu ſervens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſerviens: perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum: ut cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Dominum. [1]

XXXIII. ITEM EXORCISMI ſuper Electos, quos Acolythi, impoſita manu ſuper eos, dicere debent.

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus, qui Moyſi famulo tuo in monte Sinai apparuiſti; & filios Iſrael de terra Aegypti eduxiſti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui cuſtodiret eos die ac nocte: Te quæſumus, Domine, ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum: ut ſimiliter cuſtodiat & hos famulos tuos, & perducat eos ad gratiam Baptiſmi tui.

Ergo maledicte Diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo & vero; [2] & da honorem Jeſu Chriſto filio ejus, & Spiritui Sancto; & recede ab his famulis Dei. Quia iſtos ſibi Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, [a] fontemque [3] Baptiſmatis donum vocare dignatus eſt. Per hoc ſignum ſanctæ Crucis, frontibus eorum [b] quod nos damus, tu maledicte Diabole nunquam audeas violare.

Item [c] *fœminas*. [4]

Deus cæli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Martyrum, [5] Deus omnium bene viventium, Deus cui omnis lingua confitetur [6] cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: Te invoco Domine, ut has famulas tuas perducere [7] & cuſtodire digneris ad gratiam Baptiſmi tui. Ergo maledicte *ut ſupra*.

tuas

a. Fontemque Baptiſmatis donum. Ita Miſſale Card. Sanctorii. Apud Pamelium omittitur, *donum*. *b.* Quod. *leg.* Quem. *. *Quod*. emendavimus ex Pamelio, mendoſe enim ponitur in exemplari, *quem*. *c. Super*.

(1) *Ea Oratione expleta Electis exeundum erat ab Eccleſia, expectandumque præ illius foribus donec intus revocarentur. Interea temporis Clerus in Eccleſia cantare incipiebat Miſſam pro Scrutinio ab antiphona ad Introitum* Cum ſanctificatus fuero in vobis &c. *quam Miſſam vide Tom. v noſtræ hujus edit. pag. 55. Ea abſoluta antiphona Sacerdos adſcendebat ad Altare, dicebatque orationem*: Da quæſumus Domine Electis noſtris *ut ſupra ad pag. 29. Deinde ſedente Sacerdote in ſede ſua a Diacono vocabantur Infantes ſive Electi hac formula*, Catechumeni procedant. *Qui Eccleſiam ingredientes nominatim ab Acolytho iterum vocabantur eo ordine, quo juxta ritum ſuperius expoſitum, ſcripta erant illorum nomina: ſtatutis dein maſculis ad dexteram, feminis ad ſiniſtram, (puto Sacerdotis ſedentis) monebantur a Diacono ut orarent his verbis*: Orate Electi, flectite genua. *Et poſtquam oraverint iterum eos monebat Diaconus dicens*: Levate, complete orationem veſtram in unum, & dicite, Amen: *qua audita Diaconi voce omnes reſpondebant*, Amen. *Hanc reſponſionem iterum Diaconi vox excipiebat pronunciantis*: Signate illos, accedite ad benedictionem. *Et heic patrini, vel matrina primum pollice ſignabant Electos in fronte dicendo*. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; *deinde Acolythus iterum Crucis ſignum pollice efformabat Electorum a dextris ſtantium in fronte eadem ſub invocatione*: In nomine Patris *&c. imponebatque manum ſuper eos excelſa voce dicens*: Deus Abraham *&c. ut heic ſequitur. Hæc omnia ita ſervari olim conſueviſſe aperte colliges ex duplici memorato Scrutinii Ordine vetuſtiſſimo apud Marten. & Mabill.*

(2) *Voculam* & *ibi omittit P.*

(3) *Idem P.* fontemque baptiſmatis vocare dignatus eſt, & hoc ſignum ſanctæ Crucis, quod nos fronti ejus damus &c.

(4) *Acolythus abſoluto exorciſmo ſuper Electos a dextris poſitos, ad feminas ſe convertere debebat; eas in fronte ſignare uti cum maſculis fecerat; manum ſuper capita ſingularum imponere; ac dicere*: Deus cæli &c. (5) Deus virginum *illic additur apud Pamel.* (6) & omne genu flectitur, *apud eumdem P.*

(7) *Voces* & cuſtodire *omittit P.*

Item ſuper maſculos. [1]

Audi maledicte Satanas, adjuratus per nomen æterni Dei & Salvatoris noſtri Filii Dei, cum tua victus invidia, tremens, gemenſque diſcede. Nihil tibi ſit commune cum ſervis Dei jam cæleſtia cogitantibus, [a] renuntiaturis tibi [b] ac ſæculo tuo, & beatæ imortalitati [c] victuris. Da igitur honorem advenienti Spiritui Sancto; qui ex ſumma cæli arce deſcendens, perturbatis fraudibus tuis divino fonte purgata pectora, ideſt ſanctificata, Deo templum & [d] habitaculum perficiat: & ab omnibus penitus [e] noxiis præteritorum criminum liberati ſervi Dei, gratias perenni Deo referant ſemper, & benedicant nomen ejus ſanctum in ſæcula ſæculorum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

Item ſuper fœminas.

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus qui Tribus [f] Iſrael monuiſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti: Te ſupplex deprecor, Domine, ut liberes & has famulas tuas, & perducere eas digneris ad gratiam Baptiſmi tui. Ergo maledicte. *Vt ſupra.*

Item ſuper maſculos. [2]

Exorcizo te, immunde Spiritus in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ut exeas & recedas ab his famulis Dei. Ipſe enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit. Ergo maledicte. *Sicut ſupra.*

Item ſuper fœminas.

Exorcizo te immunde ſpiritus per Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, ut exeas & recedas ab his famulabus Dei. Ipſe enim tibi imperat, maledicte damnate: qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitavit. Ergo maledicte. *Vt ſupra.*

Sequitur [3] *Oratio, quam Sacerdos dicere debet.*

Aeternam, ac juſtiſſimam pietatem

a. Renunciaturis. *leg.* renunciatoribus.

*. *Renuntiaturis.* ex Pamel. exemplar *renuntiatoribus*, ſed male.

b. *Ac ſeculo tuo.* ex Pamel. exemplar perperam habet, *a ſæculo tuo*:

c. *Victuris*, in exemplari mendoſe habetur, *victoris*.

d. Habitaculum. *leg.* habitum.

*. *Habitaculum*, exemplar ponit *habitum*, ſed male.

e. *Noxiis*. apud Pamelium legitur *noxis*.

f. *Iſrael monuiſti.* apud Pamel. habetur, *Iſrael de Ægypti ſervitute liberaſti per Moyſen famulum tuum, & de cuſtodia mandatorum tuorum in deſerto monuiſti.*

(1) *Heic iterum monendi erant a Diacono Electi ut orarent: iterum Crucis ſigno muniendi erant in fronte a patrinis vel matrinis, & ab Acolytho, qui manu ſingulis impoſita dicebat*, Audi Maledicte Satanas &c. *ſuper maſculos: &* Deus Abraham *ut infra ſuper feminas. Super maſculos tamen alia eſt juxta veterem Ordinem a Marten. loc. cit. relatum Exorciſmi hujus formula incipiens:* Deus immortale præſidium &c. *quam vide apud Pamel.*

(2) *Tertio hoc loco monebat Diaconus Electos ut orarent quemadmodum ſupra, & Crucis ſignum in fronte illis fiebat a patrinis vel matrinis & ab Acolytho, qui manu illis impoſita aiebat:* Exorcizo te &c.

(3) *In Mſs. Codd. O & R, & uno apud Pam. inſcribitur:* Oratio ſuper Infantes in Quadrageſima ad quatuor Euangelia. *Juxta Ordines ab Hittorpio & Mabill. vulgatos dicebatur a Sacerdote, & quidem juxta Pamel. Sacram. tam ſuper Maſculos quam ſuper feminas, poſt factam ab eodem Sacerdote in ſingulorum fronte Crucem & illorum capitibus manu impoſita.*

tem tuam deprecor, [1] Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus luminis & veritatis, ſuper hos famulos & famulas tuas; ut digneris eos inluminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eos, & ſanctifica. Da eis ſcientiam veram, ut digni efficiantur accedere ad gratiam Baptiſmi tui: teneant firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam; ut apti ſint ad percipiendam [2] gratiam tuam. Per. [3]

XXXIIII. INCIPIT EXPOSITIO Euangeliorum in [4] aurium [a] apertionem ad Electos.[b*]

P*Rimitus enim procedunt de Sacrario IIII. Diaconi cum quatuor Euangeliis, præcedentibus duobus candelabris [5] cum [c] thuribulis, & ponuntur ſuper IIII. angulos Altaris. Et [6] tractat Presbyter, antequam aliquis eorum legat, his verbis.*

Aperturi vobis, Filii chariſſimi, Euangelia, ideſt geſta divina, prius ordinem inſinuare debemus; quid eſt Euangelium, & unde deſcendat, & cujus in eo verba ponantur; & quare quatuor ſint, qui hæc geſta ſcripſerunt; vel qui ſunt ipſi quatuor, qui, divino Spiritu [7] adnuntiante Propheta ſignati ſunt. Ne forte ſine hac ordinis ratione vel cauſa, ſtuporem vobis in mentibus relinquamus. Et quia ad hoc veniſtis, ut aures vobis aperiantur; nec incipiat ſenſus veſter obtundi: Euangelium dicitur proprie Bona Adnuntiatio, quæ utique Adnuntiatio eſt Jeſu Chriſti Domini noſtri. Deſcendit autem Euangelium ab eo, quod

Cod. Sacram. F

a. *Apertionem*. exemplar perperam habet *apertionum*.

*b** Vide Bedam in cap. IX lib. I Eſdræ.

c. *Thuribulis*. Ita correctum ex Miſſali Cardin. Sanctorii: in exemplari habetur *thurabulis*.

(1) *Vocem* Domine *ejus loci omittit P.*

(2) O, P, R. gratiam baptiſmi tui.

(3) *Hac Oratione abſoluta, Miſſa proſequebatur, cui poſt Lectionem, quæ erat de Ezechiele Propheta*: Hæc dicit Dominus: effundam ſuper vos aquam mundam *&c. uſque*; & ſalvabo vos ex univerſis inquinamentis veſtris: *Et poſt Gradale*, Aſpiciam vos *&c. Electis amplius adeſſe non licebat, eos hiſce verbis admonente Diacono*: Catechumeni recedant. Si quis catechumenus eſt, recedat. Omnes catechumeni exeant foras. *Conferantur non ſemel laudati Ordines Romani, & Tom. V. noſtræ Edit. pag. 55.*

(4) Aurium apertionem ad Electos. *Veterum ritus erat quo ad Baptiſmi Sacramentum diſponebantur Catechumeni, & in Miſſa Sacrificio primo admittebantur ad Euangelii lectionem audiendam, atque ad Fidei Symbolum. Illius meminit D. Ambroſius cap. 1. libri de his qui myſteriis initiantur, & cap. 1. lib. 1. de Sacramentis. Beda loco heic a V. cl. Thomaſio laudato. Theodulphus Aurelianenſis de Ordine Baptiſmi cap. 1. Deſcribunt autem illum paſſim Ordines Romani ab Hittorpio, Martene, & Mabillonio vulgati. Celebrabatur in tertio Scrutinio iis completis, quæ hactenus de ipſo Scrutinio enarrata ſunt: & quidem inter Miſſarum ſollemnia, incipiebatque a duplici Miſſæ Lectione, altera ex Iſaia*: Audite audientes me, & comedite bonum, *uſque*, ad Dominum Deum noſtrum quoniam multus eſt ad ignoſcendum: *altera ex Epiſt. B. Pauli ad Coloſſen.* Fratres expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis *&c. uſque*, & quidem in omnem terram exivit ſonus eorum. & in fines orbis terræ verba eorum. *Hiſce lectionibus cum ſuis Reſponſoriis Gradalibus abſolutis fiebant, quæ heic deſcribuntur.*

(5) *Ordo Rom. apud Mabill.* cum thurribulo, & incenſo *&c. Ordo vetuſtiſſimus jam prælaudatus apud Martene loc. cit. ait hoc in loco* cum thuribulis cantantes: ſitientes venite ad aquas.

(6) Tractat, *ita vulgati Ordines, quos ſæpe laudavimus. Vox* tractare *heic uſurpatur pro* alloqui *vel* ſermocinari. *Vide* Du-Cangium *ad voces* Tractare, *&* Tractator.

(7) *Ordo apud Hittorpium heic ait*: qui divino Spiritu annunciante, a Propheta ſignati ſunt *&c. qui loquendi modus locum meditanti fortaſſe melior videri poſſit.*

Digitized by Google

quod adnuntiet & oſtendat: quod is qui [a] per Prophetas loquebatur, venit in carnem, ſicut ſcriptum eſt. Qui loquebar, ecce adſum. Explicantes autem breviter quid ſit Euangelium, vel qui ſint hi quatuor, qui per Prophetam ante monſtrati ſunt: nunc ſua quæque nomina ſingulis adſignemus indiciis. Ait enim Propheta Hezechiel: Et ſimilitudo vultus eorum ut facies Hominis, & facies Leonis a dexteris illius; & facies Vituli, & facies Aquilæ a ſiniſtris illius. [b] Hos quatuor has figuras habentes, Euangeliſtas eſſe non dubium eſt. Sed nomina eorum, qui Euangelia ſcripſerunt, hæc ſunt: Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes.

Et [1] adnuntiat Diaconus, dicens.

State cum ſilentio, audientes intente. *Et [2] incipiens legit*. Initium Euangelii ſecundum Mattheum. *uſque*. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.

Poſtquam legerit [3] tractat Presbyter his verbis.

Filii chariſſimi, ne diutius ergo vos teneamus, exponamus vobis, quam rationem, & quam figuram unuſquiſque in ſe contineat; & quare Matthæus in ſe figuram hominis habeat: quia in initio ſuo nihil aliud agit, niſi nativitatem Salvatoris pleno ordine generationis enarrat. Sic enim cœpit: Liber generationis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham. Videtis, quia non immerito huic hominis adſignata perſona eſt; quando ab hominis nativitate initium comprehendit: nec immerito, ut diximus, huic myſterio adſignata eſt Matthæi perſona.

Item adnunt. Diacon. ut ſupra.

State cum ſilentio, audientes intente. [4] *Et legit*: Initium Euangelii ſecundum Marcum. *uſque*. Ego baptizo vos aqua; ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.

Et ſequitur Presbyter his verbis.

Marcus Euangeliſta Leonis gerens figuram, a ſolitudine incipit dicens: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini. [c] Sive quia regnat invictus Hujus Leonis [d] multifaria invenimus exem-

a. Per Prophetas. *leg.* Prophetas. * *Per Prophetas*. correctum ex Miſſali Card. Sanctorii. exemplar mendoſe omittit *Per*.

b. *Hos*. in exemplari perperam legitur *hii*.

c. *Sive quia regnat*. Vide infra in Miſſali Gallicano veteri, ubi idem eſt. Miſſale Card. Sanctorii habet, *ſive qui regnat*.

d. Multifaria. *leg.* multifariæ.

* *Multifaria*, exemplar perperam habet *multifariæ*.

(1) *Superiori nimirum ad Electos adlocutione abſoluta.*

(2) *Ex vulgatis Ordinibus a Caſſandro, Hittorp. Mabil. & Martene illic habetur.* Et tunc accipiens unus Diaconus deſuper angulo primo altaris ſiniſtro librum Euangelii, præcedentibus ante eum duobus candelabris cum thuribulo, aſcendit ad legendum, & legit, Initium *&c.*

(3) *Iidem Rom. Ordines*. Et poſtquam legerit, ſuſcipit de eo Subdiaconus ipſum Euangelium ſuper linteum, & portet in Sacrario. & tractet Presbyter his verbis *&c.*

(4) Iterum accipit diaconus deſuper alio ſiniſtro angulo altaris alium librum Euangelii, præcedentibus cereis & thuribulo, ſicut ſuperius. Iterum dicit: Initium *&c. iidem prælaudati Ordines.*

Digitized by Google

exempla, ut non vacet dictum illud: Juda filius meus, catulus Leonis: de germine mihi aſcendiſti: recubans dormivit, ut Leo, & ſicut catulus Leonis; quis [a] excitabit eum?

Item adnuntiat Diacon. ut ſupra. [1]

Et legit: Initium Euangelii ſecundum Lucam. *uſque*. Parare Domino plebem perfectam.

Et proſequitur Presbyter his verbis.

Lucas Euangeliſta Vituli ſpeciem geſtat, ad cujus inſtar Salvator noſter eſt immolatus. Hic enim Chriſti Euangelium loquuturus, ſic cœpit de Zacharia & Eliſabeth, de quibus Joannes Baptiſta ſumma natus eſt ſenectute. Et ideo Lucas Vitulo comparatur; quia duo cornua, duo Teſtamenta; & quatuor pedum ungulas, quatuor Euangelia, quaſi tenera firmitate [b] naſcentia, in ſe pleniſſima continebat.

Item adnuntiatur a Diacono ut ſupra. [2]

Et legit: Initium Euangelii ſecundum Johannem. *uſque*. Plenum gratiæ & veritatis.

Iterum proſequitur Presbyter his verbis.

Johannes habet ſimilitudinem Aquilæ, eo quod nimis alta petierit; ait enim: In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.

Et David dicit de perſona Chriſti: Renovabitur ſicut Aquilæ juventus tua: ideſt Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui reſurgens a mortuis, aſcendit in cælos. Vnde jam vobis conceptis, [c] prægnans gloriatur Eccleſia, omnem feſtivitatem votorum ad nova tendere Chriſtianæ legis exordia: ut adveniente die venerabilis Paſchæ, lavacro Baptiſmatis renaſcentes, ſicut Sancti omnes mereamini fidele munus infantiæ a Chriſto Domino noſtro percipere. Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

a. Excitabit. *leg.* excitavit.

* *Excitabit* in exemplari *excitavit*. ſed male.

b. *Naſcentia in ſe pleniſſima.* In Miſſali Gallicano veteri infra poſito legitur *naſcentia, in ſe pleniſſime*. Miſſale Card. Sanctorii omittit *naſcentia*, & habet *in ſe pleniſſime*.

c. *Prægnans.* Ita correctum ex Miſſali Card. Sactorii: exemplar perperam habet *prignans*.

(1) *Illic præcipiunt Rom. Ordin. ut de tertio angulo dextro altaris Diaconus tertium Euangelii librum accipiat, & eadem ratione, quam ſupra deſcripſimus, ad legendum progrediatur.*

(2) *Et de quarto altaris angulo a dextris poſito juxta ſuperiorem ritum quartum accipiat Diaconus Euangelii librum. Confer memoratos haud ſemel Ordines.*

XXXV. INCIPIT PRAEFATIO Symboli ad Electos, ideſt antequam dicas Symbolum, [1] his verbis proſequeris.

Dilectiſſimi nobis accepturi Sacramenta Baptiſmatis, & in novam creaturam Sancti Spiritus procreandi; fidem, [a] qua credentes juſtificandi eſtis, toto corde concipite: & animis veſtris vera converſatione mutatis, ad Deum, qui mentium noſtrarum eſt inluminator, accedite: ſuſcipientes [b] euangelicæ Symboli ſacramentum a Domino inſpiratum, [c] Apoſtolis inſtitutum; cujus pauca quidem verba ſunt, ſed magna myſteria. Sanctus etenim Spiritus, qui Magiſtris Eccleſiæ iſta dictavit, tali eloquio, talique brevitate ſalutiferam condidit fidem: ut quod credendum vobis eſt, ſemperque providendum, nec intelligentiam poſſit latere, nec memoriam fatigare. Intentis itaque animis Symbolum diſcite: & quod vobis, ſicut [d] accepimus, tradimus: non alicui materiæ, quæ corrumpi poteſt, ſed paginis veſtri cordis aſcribite. Confeſſio itaque fidei, quam ſuſcipiſtis, hoc inchoatur exordio.

Poſt hæc accipiens Acolythus unum ex ipſis infantibus maſculum, tenens eum in ſiniſtro brachio, [2] *ponens manum ſuper caput ejus. Et* [e] *interrogat eum Presbyter:* Qua lingua confitentur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. ℟. Græce. *Iterum dicit Presbyter:* Adnuntia fidem ipſorum qualiter [3] credunt. *Et dicit Acolythus Symbolum græce decantando,* [4] *tenens manum ſuper caput infantis, in his verbis:*

Credo

a. Qua. ita correctum ex Miſſali Card. Sanctorii: in exemplari mendoſe ſcribitur *quam*. *b. Euangelicæ*. Miſſale ms. Card. Sanctorii habet *euangelicis*.

c. Apoſtolis inſtitutum, Miſſale Cardin. Sanctorii habet *ab Apoſtolis inſtitutum*.

d. Accepimus. *leg.* accipimus.

e. Interrogat eum. In exemplari legitur *interrogat ei*.

(1) His verbis proſequeris, *ea nimirum quæ ritum* aperitionis aurium *abſolverant: quod ſatis aperte colligitur ex Ordine* VII. *apud Mabill. in quo finitis iis, quæ* aurium aperitionem *attinent, ſtatim ſubjungitur num. 6.* Deinde dicit præfationem Symboli, Dilectiſſimi nobis &c. *unde intelligere poſſumus morem fuiſſe Romanæ Eccleſiæ, ritum dandi Electis Symbolum, ſive explicandi iiſdem quæ in Symbolo complectuntur, ſimul conjungere cum ritu* aperitionis aurium: *hoc enim abſoluto eadem die ſtatim alterum proſequebatur. De aliis Eccleſiis idem adfirmare nullus debet: extat ſiquidem canon* XIII. *Concilii Agathenſis ajens*. Symbolum etiam placuit omnibus Eccleſiis una die, ideſt ante octo Dies Dominicæ Reſurrectionis publice in Eccleſiis competentibus dari. *In Dominica ergo Palmarum in Galliis Symbolum Catechumenis tradebatur. In Hiſpania idem ſervari conſueviſſe declarat B. Iſidorus, qui in lib.* I, *de divin. Offic. cap.* XXVII, *de ea Dominica loquens, ait:* Hac autem die Symbolum competentibus traditur, propter confinem Dominicæ Paſchæ ſolemnitatem. *Idem obſervare facili negotio poſſumus & in Eccleſia Mediolanenſi, quandoquidem D. Ambroſius in Epiſt. ad Marcellinam Sororem ſuam de ſe ait:* ſequenti die, *hoc eſt Dominica palmarum*, poſt lectiones & tractatum, dimiſſis catechumenis, ſymbolum aliquibus competentibus in baptiſteriis tradebatur Baſilicæ. *Videri hac de re poſſunt & vulgatus Albinus de die Domin. Palmarum poſt Iſidorum ſcribens*: hodie Symbolum competentibus tradebatur, propter confinem Dominicæ Paſchæ Solemnitatem. *Eadem ferme verba ex Iſidoro exſcripſit in ſuo de* Inſtit. Cler. *opere lib.* I. *cap.* 35, *& Rabanus Maurus. Ex hiſce conſtat pleraſque Eccleſias idem tempus explicandi competentibus Symbolum cum Romana non ſervaſſe: aut aliquid in Romana obſtitiſſe quo minus in Dominica Palmarum ille ritus non celebraretur.*

(2) *Rom. Ordo apud Mabillonium hoc in loco omittit ritum ponendi manum ſuper caput infantis, quem tamen præcipit agens de infantibus latinis.*

(3) *Apud Mabil.* credant.

(4) *Et hic nil de manus impoſitione apud Mabill. nec quidem cum Ordo ille agit de latinis infantibus.*

Credo in unum Deum Patrem
Piſteuo . hiſena . theon . pathera .

omnipotentem factorem cæli & ter-
panhocratoran . pyetin . vranu . Kae-

ræ viſibilium omnium & inviſibi-
gis . oraton . Kaepanton . Kaeaura-

lium & in unum Dominum Jeſum
ton . Kaehiſena . Kyrion . Ihm .

Chriſtum filium Dei unigenitum
Kpm . tonion. tutheu . tonmonogenin.

de patre natum ante omnia
tonectupatros . genitenta. propanton .

ſæcula lumen de lumine Deum ve-
toneonon . ſoſecſotos . theon . alit-

rum de Deo vero natum non
hin. ectheu. alithinu. genithenta. vpyi-

factum conſubſtantialem patris per quem
thenta . omoyſion . tupatri . diuta-

omnia facta ſunt qui propter nos ho-
panta . egenon . ton . tondihimas . tu-

mines & propter noſtram
ſantrophus . Kaediatin . himeteran.

ſalutem deſcendentem de cælis
ſoterian . Kateltonta . ecton . vranon .

& incarnatum de Spiritu Sancto & Ma-
Kæſarcotenta. ecpneuma. toſagiu. Kae-

ria Vir gine & humanatum
marias. tiſpar. tenu. Kaeinantropiſanta.

crucifixum etiam pro nobis ſub Pontio
ſtaurotentha. deyper. imon. epipontio.

Pilato & paſſum & ſepultum
pilatu . Kaepathonta . Kaetapenta .

& reſurgentem tertia die ſecundum
Kaeanaſtenta . titriti . himera . Kata.

ſcripturas & aſcendentem in
taſgraphas . Kaeanelthonta . hiſtus .

cælis & ſedentem ad dexteram
vranus . Kae. Katezomeno . endexia .

patris & iterum venturum cum
tupatros. Kaepalin . ercomenon . me-

gloria judicare vivos & mortuos
tadoxis . crine . zontas . Kaenecrus .

cujus regni non * erit finis & in
vtis . baſilias . vceſtin . thelos . Kaehi-

Spiritum Sanctum dominum
ſto . pneuma . toagion . tonkyrion .

& vivificatorem ¹ & Patre proce-
Kaezoopyon . tonectupatros . empo-

dentem qui cum Patre & Filio
regomenon . tonſynpatri . Kaeyion .

ſimul adoratum & con glo-
ſynpros . Kynumenon . Kaeſyn . do-

rificatum qui locutus eſt per Prophe-
xazomen . tolaleſas . diaton . prophi-

tas in unam Sanctam catholicam
ton . hiſmian . agian . catholicin .

& apoſtolicam eccleſiam confiteor
Kaeapoſtolicin . ecleſian . omologo .

unum baptiſma in remiſſionem peccatorum
en . baptiſma . hiſapes . inamartion.

ſpero reſurrectionem mortuorum &
proſdogo . anaſtas . ſinnecron . Kae-

vitam futuri ſæculi Amen .
zoin . tumellos . toſaeonas . Amin .

* Erit finis . *leg.* erunt fines .

Filii chariſſimi audiſtis Symbolum Græce , [a] audite & Latine . *Et dicis* : Qua lingua confitentur Dominum noſtrum

(1) *Vide de hoc loco Ven. Thomaſium in ſua ad præſentem librum Præfatione .*

(a) Audite & Latine . *Hæc verba innuere videntur Symbolum latine iiſdem proferri conſueviſſe , quibus jam & græce prolatum erat . At vulgati Ordines Romani, ille præſertim apud Mabill. & alter Eccleſiæ Viennenſis apud Martenium , ſuſpicionem injiciunt græce & latine uſurpatum fuiſſe hoc in ritu Symbolum ob græcos infantes una cum Latinis in Electorum ſive Competentium numero permixtos . Quam ad rem facit & illa Sacerdotis interrogatio Acolytho facta* : qua lingua confitentur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ? *Porro in Ordine a Mabillonio vulgato præcipitur ut primum ſuper maſculos Symbolum græce decantetur ; deinde græce itidem ſuper feminas . Poſtea ſubjungitur* : Iterum acolythus alter accipiens ex LATINIS INFANTIBUS unum in ſiniſtro brachio , ponens manum dexteram ſuper caput ipſius , & interroget ei presbyter : Qua lingua confitentur ? Sicut prius : & reſpondet , latine . Dicit ei presbyter . Credo in unum Deum , Patrem omnipotentem , Viſibilium . Hoc expletum , vertit ſe ad feminas , & facit ſimiliter . *Ad hæc Ordinis locus mox deſcriptus demonſtrat græce atque latine Symbolum hoc in ritu uſurpare non conſueviſſe Romanam Eccleſiam , quod græce illud ſuper maſculos recitaſſet , latine vero ſuper feminas , quod non ſatis bene Codicibus ſuis Remenſi , Piſtavienſi ac Gellonenſi fultus concludit Martenius , quem vide de antiquis Eccleſiæ Ritibus Lib. I. Part. I , cap. I , art.* XI, *num.* XVI.

Digitized by Google

ſtrum Jeſum Chriſtum. ℟. Latine. Adnuntia fidem ipſorum qualiter credunt. *Ponens manum Acolythus ſuper caput infantis, & dicit Symbolum decantando, his verbis.*

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum: de Patre natum ante omnia ſæcula: lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: natum, non factum, conſubſtantialem [a] Patri, per quem omnia facta ſunt: [b] qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendentem de cælis: & incarnatum de Spiritu Sancto, & Maria Virgine, & humanatum: crucifixum etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, & paſſum, & ſepultum, & reſurgentem tertia die ſecundum ſcripturas; & aſcendentem in [1] cælos, & ſedentem ad dexteram Patris: & iterum venturum cum gloria judicare vivos & mortuos: cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & Vivificatorem: [2] ex Patre procedentem: [c] qui cum Patre & Filio ſimul adoratum, & conglorificatum, qui locutus eſt per Prophetas. In Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Spero reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Hoc expleto, ſequitur Presbyter his verbis.

Hæc ſumma eſt fidei noſtræ, dilectiſſimi nobis, hæc vera ſunt Symboli, non ſapientiæ humano ſermone facta, ſed vera divinitus ratione diſpoſita. Quibus comprehendendis atque ſervandis nemo non idoneus, nemo non aptus. Hic Dei Patris & Filii una æqualis pronuntiatur poteſtas. Hic Vnigenitus Dei de Maria Virgine, & Spiritu Sancto ſecundum carnem natus oſtenditur. Hic ejuſdem crucifixio & & ſepultura, ac die tertia reſurrectio prædicatur. Hic aſcenſio ipſius ſuper cælos & [3] confeſſio in dextera paternæ majeſtatis agnoſcitur: venturuſque ad judicandos vivos & mortuos declaratur. Hic Spiritus Sanctus in eadem, qua Pater & Filius, Deitate indiſcretus accipitur. Hic poſtremo Eccleſiæ vocatio, peccatorum remiſſio, & carnis reſurrectio [d] perdocetur. Vos itaque dilectiſſimi, ex vetere homine in novum reformamini; & de carnalibus ſpiritales, de terrenis incipitis eſſe cæleſtes: ſecura & conſtanti fide credite reſurrectionem, quæ facta eſt in Chriſto,

a. Patri. *leg.* Patris.

b. *Qui*, ita Miſſale Card. Sanctorii, ſed verba quæ ſequuntur ponit. *deſcendit, incarnatus eſt, & homo factus eſt, crucifixus paſſus, & ſepultus eſt.* &c.

c. Qui, Ita Miſſale Card. Sanctorii, ſed verba ponuntur ſic, *adoratur, & conglorificatur.* *d.* Perdocetur. *leg.* perducitur.

* *Perdocetur*. ita correximus ex Miſſali Cardin. Sanctorii, cum in exemplari legatur *perducitur*.

(1) *Mſ.* in cælis.

(2) *Confer de hoc loco Thomaſium ipſum in ſua ad opus præſens Præfat.*

(3) *Mſ.* & confeſſio, *uti etiam legitur apud Hittorpium.*

ſto, etiam in nobis omnibus [a] eſſe complendam: & hoc ſecuturum in toto corpore, quod præceſſit in capite. Quoniam & ipſum, quod percepturi eſtis Baptiſmi Sacramentum, [b] hujus ſpei exprimit formam ibi. [c] Quædam enim ibi mors, & quædam reſurrectio celebratur. Vetus homo deponitur; & novus ſumitur. Peccator aquas ingreditur, & juſtificatus egreditur. Ille abjicitur, qui traxit ad mortem; & ſuſcipitur ille, qui reduxit ad vitam: per cujus gratiam vobis confertur; ut filii Dei ſitis, non carnis voluntate editi; ſed Sancti Spiritus virtute generati. Et ideo hanc breviſſimam plenitudinem ita debetis veſtris cordibus inhærere: ut omni tempore præſidio hujus confeſſionis utamini. [1] Invicta eſt enim ſemper talium armorum poteſtas contra omnes inſidias inimici ad bonam Chriſti militiam profuturis. Diabolus, qui hominem tentare non deſinit, munitos vos hoc Symbolo ſemper inveniat. Vt devicto adverſario, cui renunciatis, gratiam Domini incorruptam & [d] immaculatum uſque in finem, ipſo, [e] confitemini, protegente, ſervetis: ut in quo peccatorum remiſſionem accipitis; in eo gloriam reſurrectionis habeatis. Ergo dilectiſſimi, præfatum Symbolum fidei Catholicæ in præſenti cognoviſtis: nunc euntes edocimini nullo mutato ſermone. Potens eſt enim Dei miſericordia: quæ & vos ad Baptiſmi fidem currentes perducat: & nos, qui vobis myſteria tradimus, una vobiſcum ad Regna cæleſtia faciat pervenire. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

XXXVI. ITEM PRAEFATIO Orationis Dominicæ. [2]

Et admonentur a Diacono, [3] *ut ſupra*.

DOminus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus, inter cætera ſalutaria præcepta, diſcipulis ſuis petentibus quemadmodum orare deberent; eam formam eis Orationis conceſſit; quam etiam [4] lectione præſenti & vos plenius co-

a. Eſſe complendam. ita corr. ex Miſſ. Card. Sanctorii, nam in exemplari mendoſe ponitur *eſt complenda*. *b.* Hujus. *leg.* huc.

* *Hujus*. exemplar perperam habet *huc*.

c. Ibi. Quædam. redundat *ibi.* & omittitur in Miſſali Card. Sanctorii.

d. Immaculatum. Miſſale Card. Sanctorii habet *immaculatam*.

e. Confitemini. In Miſſali Cardin. Sanctorii legitur, *quem confitemini*.

(1) *Apud Hittorp. heic legitur*: Invicta eſt enim talium armorum poteſtas, & contra omnes vobis inſidias diaboli tamquam bonis Chriſti militibus profutura: *quæ planiorem, melioremque præ ſe ferunt ſignificatum*.

(2) *Conſtat ex Rom. Ordinibus & ritum dandi, ſive explicandi Electis Orationem Dominicam celebratum fuiſſe ſtatim abſoluto illo, quo iiſdem Symbolum tradebatur. Conſule memorata non ſemel illorum loca; & clariſſ. Card. Bona Rerum Liturg. lib.* II, *cap.* XV.

(3) *dicente*, State cum ſilentio, audientes intente.

(4) *Apud Hittorp. legitur*, ut in præſenti ſacra hæc lectio demonſtrabit. *Et quidem melius & adpoſite magis ad vetuſtiores Eccleſiæ mores; Auguſtinus enim ſerm.* LIX *de re præſenti ad Catechumenos ait*: Oratio autem, quam accepiſtis tenendam, & ad octo dies reddendam, ſicut audiſtis cum Evangelium legeretur, ab ipſo Domino dicta eſt diſcipulis ſuis. *Unde liquet ritum hunc tradendi Orationem Dominicam incipi conſuevisse cantando ſive legendo eam Evangelii partem, in qua Oratio ipſa Dominica continetur. Verum hac de re altum invenio in Rom. Ordinibus ſilentium*.

cognoviſtis. Audiat nunc dilectio veſtra, quemadmodum doceat diſcipulos ſuos orare Deum Patrem omnipotentem: Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum: &, clauſo oſtio, ora Patrem tuum. Cubiculum quod nominat, non occultam domum oſtendit; ſed cordis noſtri ſecreta illi ſoli patere commemorat. Et clauſo oſtio, Deum adorare debere: ideſt, ut a mala cogitatione pectus noſtrum myſtica clave claudamus: ac labiis clauſis, incorrupta mente Deo loquamur. Deus autem noſter, fidei & non vocis auditor eſt. Claudatur ergo clave fidei pectus noſtrum contra inſidias Adverſarii: & ſoli Deo pateat, cujus templum eſſe cognoſcitur: ut cum habitat in corbibus noſtris; ipſe ſit Advocatus in precibus noſtris. Ergo Dei Sermo & Dei Sapientia Chriſtus Dominus noſter hanc Orationem nos docuit, ut ita oremus.

Poſt hoc intras, & dicis.

Pater noſter, qui es in cælis.

Hæc libertatis vox eſt, & plena fiducia. Ergo his vobis moribus eſt vivendum, ut & Filii Dei, & Fratres Chriſti eſſe poſſitis. Nam Patrem ſuum Deum, qua temeritate dicere præſumit, qui ab ejus voluntate degenerat? Vnde vos, dilectiſſimi, dignos exhibete aboptione divina, quoniam ſcriptum eſt: Quotquot crediderunt in eum, dedit eis poteſtatem, Filios Dei fieri.

Sanctificetur Nomen tuum.

Ideſt, non quod Deus noſtris [a] ſanctificationibus, qui ſemper eſt Sanctus; ſed petimus, ut Nomen ejus ſanctificetur in nobis: ut qui in Baptiſmate ejus ſanctificamur; in eo quod eſſe [b] incœpimus, perſeveremus.

Adveniat Regnum tuum.

Deus namque noſter quando non regnat maxime, cujus regnum eſt immortale? Sed cum dicimus: Veniat regnum tuum: noſtrum regnum petimus advenire a Deo nobis promiſſum, Chriſti ſanguine & paſſione quæſitum.

Fiat Voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.

Ideſt, in eo fiat Voluntas tua: ut quod tu vis in cælo, hoc nos in terra poſiti inreprehenſibiliter faciamus.

Panem noſtrum cotidianum da nobis hodie.

Hic ſpiritalem cibum intelligere debemus. Chriſtus enim panis eſt noſter. qui dixit: Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi. Quem cotidianum dicimus: quod ita nos ſemper immunitatem petere debemus peccati, ut digni ſimus cæleſtibus alimentis.

Et

a. *Sanctificationibus, qui:* Miſſale Gallicanum vetus infra poſitum habet: *Sanctificetur orationibus, qui.* b. Incœpimus. *leg.* incipimus.

Et dimitte nobis debita noſtra : ſicut & nos demittimus debitoribus noſtris.

Hoc præcepto ſignificans, non nos aliter peccatorum poſſe veniam promereri; niſi prius nos [a] in nos delinquentibus aliis relaxemus : ſicut in Euangelio Dominus dicit : Niſi demiſeritis peccata hominibus, nec vobis Pater veſter dimittet peccata veſtra.

Et ne nos inducas in tentationem.

Ideſt, ne nos patiaris induci ab eo qui tentat, pravitatis auctore. Nam dicit Scriptura : Deus enim intentator malorum eſt. Diabolus vero eſt tentator : ad quem evincendum Dominus dicit : Vigilate & orate ne intretis in tentationem.

Sed libera nos a Malo.

Hoc ideo ait, quia dixit Apoſtolus: Neſcitis quid vos oporteat orare. Vnus Deus omnipotens ita a nobis orandus : ut quicquid humana fragilitas cavere & vitare non prævalet : hoc ille ut poſſimus, propitius nobis conferre dignetur Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Qui vivit & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti, per omnia ſæcula ſæculorum.

Item adnuntiat Diaconus, ut ſupra.

State cum diſciplina & cum ſilentio, audientes intente.

Audiſtis dilectiſſimi Dominicæ Orationis ſancta myſteria : nunc euntes ea veſtris cordibus innovate : ut ad exorandam ac percipiendam Dei miſericordiam, perfecti in Chriſto eſſe poſſitis. Potens eſt Dominus Deus noſter : [b] & vos, qui ad fidem curretis, ad lavacrum aquæ regenerationis perducat : & nos, qui vobis myſterium fidei Catholicæ una tradidimus, vobiſcum ad cæleſtia regna faciat pervenire. Qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, per omnia ſæcula ſæculorum. [1]

XXXVII. DOMINICA IN [c*] Palmas. De Paſſione Domini.

Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem noſtrum & carnem ſumere, & Crucem ſubire feciſti : concede propitius; ut & patientiæ ejus habere documentum, & reſurrectionis ejus conſortia mereamur Chriſti Domini noſtri. Qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti per.

a. Nos, *leg.* nobis. * *In nos*, exemplar mendoſe ponit *in nobis*.
b. *Et vos qui ad fidem curretis.* Miſſale Gallicanum habet, *& vos qui ad fidem curritis.*
c*. Dies Palmarum apud Bedam Hiſtor. Gentis Anglorum lib. III, cap. 25.

(1) *Eo in loco monebantur Catechumeni a Diacono ut extra Eccleſiam exirent : Itaque a parentibus & aliis, a quibus ducebantur, extra Eccleſiam deferri eos oportebat : in Eccleſia enim Miſſarum ſolemnia, quibus ne Catechumeni intereſſent, cautum erat, celebrabantur.*

Deus, quem diligere & amare, juſtitia eſt: ineffabilis gratiæ tuæ in nobis dona multiplica, ut qui feciſti nos morte Filii tui ſperare, quod credimus; fac nos, eodem reſurgente, pervenire quo tendimus. Per.

SECRETA.

Ipſa majeſtati tuæ, Domine, fideles populos commendet oblatio: quæ per Filium tuum [1] reconciliavit [a] amicos [b*], Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti, per omnia ſæcula ſæculorum.

POST COMMUNIONEM.

Sacro munere ſatiati, ſupplices te, Domine, deprecamur: ut [c] quod debitæ ſervitutis celebramus officio; ſalvationis tuæ ſuſcipiamus augmentum. Per.

AD POPULUM.

Purifica, quæſumus, Domine familiam tuam; & ab omnibus contagiis pravitatis emunda: ut redempta vaſa ſui Domini paſſione, non ſpiritus immundus rurſus inficiat; ſed ſalvatio ſempiterna poſſideat. Per.

FERIA II.
Hebdom. VI.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & famulos tuos æterna protectione ſanctifica, pro quibus Chriſtus Filius tuus per ſuum cruorem nobis inſtituit paſchale myſterium. Per Dominum noſtrum.

Excita, Domine, tuorum corda fidelium, ut ſacris intenta doctrinis & intelligant, quod ſequantur; & ſequendo, fideliter adprehendant. Per.

SECRETA.

Reſpice, Domine, propitius ſacra myſteria, quæ gerimus: & quod ad noſtra evacuanda [d] præjudicia miſericors providiſti, vitam nobis tribue fructificare perpetuam. Per.

POST COMMUN.

Sancta tua nos Domine, quæſumus, & vivificando ſemper renovent, & renovando vivificent. Per.

AD POPULUM.

Populum tuum Domine, quæſumus, [2] toto corde converte; quia quos defendis etiam delinquentes, majore pietate tueris [3] & ſincera mente devotos. Per.

FERIA III.
Hebdomada VI.

Da miſericors Deus, ut quod in tui Filii paſſione mundus exercuit, ſalutare nobis fideliter ſentiamus. Per.

Fac omnipotens Deus, ut quæ veraciter facta reccurrimus, in noſtrum tranſire remedium gratulemur. Per.

SE-

a. *Amicos*. exemplar *amicus*, ſed mendoſe; ſæpe enim u, pro o, abutitur.

b*. *Inimicos*. Ita Trejectenſes apud Schultingium Biblioth. Eccl. tom. III, Part. I, pag. 42.

c. Quod debitæ. *leg.* qui debite.

*. *Ut quod debitæ*, ita correximus, ſiquidem in exemplari perperam ſcribitur, *ut qui debite*.

d. *præjudicia*, exemplar habet *perjudicia*.

(1) *P.* conciliavit inimicos. Per Dominum &c. (2) *P.* ad ſe toto corde &c. (3) *Voculam & ibi omittit P.*

SECRETA.

Intende, quæſumus, Domine hoſtias familiæ tuæ; & quam ſacris muneribus facis eſſe participem; tribuas ad ejus plenitudinem pervenire. Per.

POST COMMVN.

Repleti, Domine, ſacri muneris gratia, ſupplices exoramus; ut quæ guſtu corporeo [1] dulci veneratione [a] contigimus, dulciora mentibus ſentiamus. Per.

AD POPVLVM.

Da, quæſumus, Domine, fidelibus tuis, & ſine ceſſatione capere paſchalia Sacramenta; & deſideranter expectare ventura: ut myſteriis, quibus renati ſunt, permanentes; ad novam vitam his operibus [2] perducantur. Per.

FERIA IIII.
Hebdomada VI.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Chriſti tui beata paſſione nos reparas: conſerva in nobis opera miſericordiæ tuæ; ut in hujus celebritate myſterii, perpetua devotione vivamus. Per.

Præſta, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus, ut ſicut in condemnatione Filii tui, ſalus omnium fuit piaculum perfidorum; ita & per miſericordiam tuam communis ſit cultus iſte credentium. Per.

SECRETA.

Suſcipe, quæſumus, Domine munus oblatum, & dignanter operare; ut quod paſſionis myſterio gerimus, piis [3] affectibus conſequamur. Per.

POST COMMVN.

Cæleſtis doni benedictione præcepta, ſupplices te Domine deprecamur; ut hoc idem nobis ſemper & Sacramenti cauſa ſit & ſalutis. Per.

AD POPVLVM.

Auxiliare Domine populo tuo, ut ſacris & devotionem proficiens incrementis, & tuo ſemper munere gubernetur; & ad redemptionis æternæ pertingat, te [b] ducente, conſortium. Per.

XXXVIII. ORAT. IN Quinta Feria.

Eodem die non pſallitur: nec ſalutat, ideſt non dicit: Dominus vobiſcum: *&* [4] *Reconciliatio Pœnitentis.*

Omnipotens ſempiterne Deus da, quæſumus, univerſis famulis tuis plenius, atque perfectius omnia feſti paſchalis introire myſteria: ut in-

a. Contigimus. *leg.* contegimus.

b. Ducente. *leg.* docere.

* *Te ducente*. ita correximus: in exemplari, *te docere*.

(1) *P. M.* dulci veneratione contingimus &c.

(2) *Mſ.* perducamur.

(3) *M.* eff. Ctibus.

(4) Et reconciliatio Pœnitentis. *Feria V. in Cœna Domini mos fuit veteris Eccleſiæ ſolemni ritu a peccatis abſolvere, & ad ſacram Corporis & Sanguinis Chriſti Domini Communionem eos admittere, qui ſibi injunctam publicam pœnitentiam perſolviſſent. Celebre habemus rei teſtimonium ſub initium ſeculi Eccleſiæ V. in epiſtola Innocentii primi ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, in qua ad pag. 862. editionis Petri Couſtant legitur:* De pœnitentibus autem, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægri-

incunctanter pia corda cognoſcant, quantum debeant de confirmata in Chriſto renaſcentium glorificatione gaudere. Per.

Concede credentibus, miſericors Deus, ſalvum nobis de Chriſti paſſione remedium; & humanæ fragilitatis præteritæ culpæ laqueos [a] æternæ ſuffragio plebs abſolvat. Per Dominum noſtrum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui vitam humani generis, pro nobis Filio tuo moriente, ſalvaſti: præſta, quæſumus; ut in hac populi tui devotione fructus [b] præveniat gaudiorum. Per Dominum.

ORDO AGENTIBUS publicam Pœnitentiam. [1]

Egre-

a. *Æternæ ſuffragio plebs abſolvat*. emenda ex Breviario Ambroſiamo *æternæ ſuffragio pietatis abſolvas*. b. *Præveniat*. in Miſſali Ambroſiano, *proveniat*.

ægritudo, QUINTA FERIA ANTE PASCHA eis remittendum Romana Eccleſia conſuetudo demonſtrat. *Seculo etiam Eccleſiæ* VII, *Elegius Noviomenſis Epiſcopus Homilia inter eas, quas ipſi adſcribunt aliqui, numero* IV, *de Cæna Domini agens, ait, Biblioth. Patrum edit. Lugd. tom.* XII, *pag.* 305: Ut igitur audivit veſtra dilectio, hæc omnis pedum lotio, noſtrorum peccatorum eſt purgatio. Unde non incongrue hac ipſa die, ſicut Eccleſiæ tenet conſuetudo, pœnitentium fit reconciliatio. *Nono ſeculo idem adfirmat in ſua* Canonum Collectione *Iſaac Lingonenſis Epiſcopus can.* XXIV. *Alia, in re nota nimis ut noſtra explanatione indigeat, praeterea ſcriptorum teſtimonia ut vulgati Alcuini, Abbonis Monachi Floriacenſis, Haittingarii Epiſcopi Cameracenſis, Gilleberti Lunicenſis Epiſcopi, aliorumque, quibus potiſſimum uti conſtat Morinum, Menardum, atque Martenium, ut ſtatuant Feria* V. *majoris hebdomadæ Pœnitentes reconciliari olim conſueviſſe. Id tamen commune non fuit omnibus omnino Occidentis Eccleſiis. De Eccleſia Mediolanenſi aliquo modo, ſed non ſatis manifeſto, colligitur ex Ambroſii epiſtola ad Marcellinam ſororem, quæ* XX *eſt in novæ edit. moris in ea fuiſſe ut Feria* VI *majoris hebdomadæ pœnitentia relaxaretur, ait enim*: Erat autem dies quo ſeſe Dominus pro nobis tradidit, quo in Eccleſia pœnitentia relaxatur. *Idem, ſubodorantur tamen, ſuſpicantur de Hiſpaniarum Eccleſiis: nam in* Conc. *Toletano* IV, *can.* VII *decernitur*, *Feria* VI *ante Paſcha* indulgentiam criminum clara voce omnem populum *poſtulare debere*: *& can.* VIII *cavetur ne aliquis ejuſdem Feriæ jejunium ſolvat* ante peractas Indulgentiæ preces. *An vero hiſce canonibus indicetur pœnitentium reconciliatio: & criminum indulgentiam petere, ac indulgentiæ preces fundere, idem denotet ac pœnitentes reconciliare, viderint alii. In quibuſdam inſuper Galliarum Eccleſiis idem ſervatum fuiſſe conſicit Martenius de antiquis Eccleſiæ Ritibus lib* I, *Part.* II, *cap.* VI, *art.* V, *num.* X *quod in aliquibus earum vetuſtis Miſſalibus preces reconciliationis pœnitentis repererit inter Officia Feriæ* VI *Paraſceve. Quæ omnia licet probari debeant, demonſtrant ſane diſciplinæ in hoc ritu aliquam varietatem, nulla tamen infirmant quæ de Eccleſia Romana & communiore in Occidente uſu ſatis plana protulimus teſtimonia. Conſule veteres Ordines ad reconciliandos pœnitentes Feria* V *in Cæna Domini, vulgatos a Morino in Appendice ad libros de Pœnitentia, & a Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus &c. & De antiqua Eccleſiæ Diſciplina &c.*

(1) *Patet ex noſtro hoc loco reconciliatos fuiſſe publice pœnitentes inter Miſſarum ſollemnia, & quidem in ea parte, quæ inter Collectas poſt cantum Introitus, & Offertorium interjacet. An vero ante Epiſtolam & Evangelii Lectionem, vel alterutrius, vel poſt deinde, ex noſtro Sacramentorum libro non adparet. In libro Sacramentorum Corbejenſis Eccleſiæ juſſu Ratoldi Abbatis decimo Chriſti ſeculo exarato e re noſtra legitur, apud Menardum in Gregor. Sacram. not.* 677: Lecto Evangelio, ante diem feſtum Paſchæ &c. Poſtea ſedeat Epiſcopus in ſede juxta altare, & non dicat: Dominus vobiſcum. Sed Archidiaconus legat coram eo & populo ſchedulam, in qua continentur quædam indicia de pœnitentium reconciliatione. Poſt hoc oret Epiſcopus ante ſanctum Altare. Hoc expleto pergat ad ambonem, & aſcendat ad eum, faciatque ſermonem tam populis, quam pœnitentibus, ſicut Ordo præcipit Romanus. Tunc ſedeat ante altare, & proſternens ſe tam ille quam omnis populus, etiam pœnitentes tam illi qui intus ſunt, quam extra; & canent ſeptem Pſalmos. Finitis his Pſalmis ſurgat ſolus, & dicat has orationes tam pro ſe quam pro populo: Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris. *Hæc porro e Menardi adnotationibus exſcripſimus, quod noſtris in præſentia lucem aliquam adfundere videantur. & illud principio demonſtrant ritum reconciliandi pœnitentes peragi debuiſſe poſtquam Diaconus Evangelium legerat. Vide hac de re fuſe agentem Morinum lib.* VIII *de Pœnit. cap.* XIV.

Digitized by Google

Egreditur pœnitens [1] *de loco, ubi pœnitentiam geſſit: & in gremio præſentatur Eccleſiæ, proſtrato omni corpore in terra: & poſtulat in* [2] *bis verbis Diaconus.*

Adeſt, o venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, & ſalutis humanæ: qua mors interitum, & vita accepit æterna principium; quando in vinea Domini Sabaoth, ſic novorum plantatio facienda eſt, ut purgetur [a] & curatio vetuſtatis. Quamvis enim a divitiis bonitatis & pietatis Dei, nihil temporis vacet; nunc tamen [b] & largior eſt per indulgentiam remiſſio peccatorum; & copioſior per gratiam adſumptio [c] renaſcentium. Augemur regenerandis: creſcimus reverſis. Lavant aquæ, lavant lacrymæ. Inde gaudium de adſumptione vocatorum, hinc [d] lætitiæ de abſolutione pœnitentium. Inde eſt, quod ſupplex tuus, poſteaquam in varias formas criminum, neglectu mandatorum cæleſtium, & morum [e] * probabilium tranſgreſſione cecidit; humiliatus atque proſtratus, prophetica ad Deum voce clamat dicens: Peccavi, impie egi, iniquitatem feci: miſerere mei Domine. Euangelicam vocem non fruſtratoria aure capiens: Beati qui lugent; quoniam ipſi conſolabuntur. Manducavit, ſicut ſcriptum eſt, panem doloris: lacrymis ſtratum rigavit: cor ſuum luctu, corpus adflixit jejuniis; ut animæ ſuæ reciperet, quam perdiderat, ſanitatem. Unicum itaque eſt pœnitentiæ ſuffragium: quod & ſingulis prodeſt, & omnibus in commune ſuccurrit. Hic ergo dum ad pœnitudinis actionem tantis [f] * excitatur exemplis; ſub conſpectu ingemiſcentis Eccleſiæ venerabilis Pontifex, proteſtatur & dicit: Iniquitates meas ego agnoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper. Averte faciem tuam a peccatis meis Domine, & omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. [3] Quo ita ſupplicante, & miſericordiam Dei adflicto corde poſcente; Redintegra in eo, Apoſtolice Pontifex, quicquid, Diabolo [4] ſcindente, corruptum eſt; & orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo: ut qui antea

a. *Et curatio.* in Ordine Romano, *execratio*.

b. *Et largior*. emendavimus ex Ordine Romano; nam exemplar habet, *& largitor*.

c. Renaſcentium. *leg.* renaſcentum. d. *Lætitiæ*. Ord. Rom. *lætitia*.

e. Probabilium. *leg.* improbabilium.

* *Morum probabilium*, ità Ord. Rom. alias *probatorum*.

f. Excitatur. *leg.* excitatus.

* *Excitatur*. In exemplari mendoſe ſcribitur *excitatus*, ſed emendavimus ex Ord. Rom.

(1) *Confer quæ diximus not.* (3) *ad pag.* 24.

(2) Ilis verbis, *ſcilicet*, Adeſt, o venerabilis Pontifex &c. *quibus Diaconus pro pænitentibus Epiſcopum deprecatur. Illa deprecatio in Codice Ratoldi juxta ea, quæ ſuperiori in nota retulimus, vocatur* rotula. *Conſule ad hanc vocem Du-Cangium.*

(3) *In Ord. Rom. Hittorpii voces*: Quo ita ſupplicante, & miſericordiam Dei adflicto corde poſcente, *non ſpectant ad Diacon. adlocutionem, ſed rubricæ locum tenent; illis enim ſubjungitur*: Iterum Archidiaconus ſubjungat, ſic dicens: Redintegra in eo &c.

(4) *Apud Hittorp.* ſuadente.

tea in ſuis [1] perverſitatibus diſplicebat, nunc jam placere ſe Domino in regione vivorum [2] cum devicto mortis ſuæ auctore gratuletur. Per Dominum.

Poſt hoc admonetur ab Epiſcopo, ſive alio Sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet.

Inde vero has dicit Orationes Sacerdos ſuper eum.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris: & me, qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: [3] ut quem non [a] electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti operis hujus miniſtrum; da fiduciam tui muneris exequendi: & Ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt, operare. Per.

Præſta quæſumus, Domine huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum: ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, a cujus integritate deviarat peccando; admiſſorum veniam conſequendo, reddatur innoxius. Per Dominum.

Deus, humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime [4] formator, qui hominem invidia Diaboli ab æternitate dejectum, Unici tui ſanguine redemiſti: [5] vivifica itaque, quem tibi nullatenus mori deſideras: & qui non derelinquis devium, adſume [b] correptum. Moveant pietatem tuam, quæſumus, Domine hujus famuli tui lacrymoſa ſuſpiria. Tu ejus medere vulneribus. Tu jacenti manum porrige ſalutarem: ne Eccleſia tua aliqua ſui corporis portione vaſtetur: nec grex tuus detrimentum ſuſtineat: ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet: ne renatum lavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat. Tibi ergo Domine ſupplices preces, tibi fletum cordis effundimus. [6] Tu parce confitenti: ut [c] in imminentes pœnas ſententiamque futuri judicii, te miſerante, non incidat. Neſciat quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis: atque ab erroris via ad iter reverſus juſtitiæ, nequaquam ultra novis vulneribus ſaucietur: ſed integrum ſit ei atque perpetuum & quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit. Per.

Item ad reconciliandum Pœnitentem.

Omnipotens ſempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa: ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Dominum.

Omni-

a. Electione. *leg.* electio.

* *Electione*. Ita Ord. Rom. exemplar perperam habet *electio*.

b. *Correptum*, exemplar perperam *corruptum*, habet.

c. In imminentes pœnas ſententiamque. *leg.* imminentibus pœnæ ſententiæque.

* *Imminentes pœnas ſententiamque.* Sic emendavimus ex Ordin. Rom. cum in exemplari legatur. *imminentibus pœnæ ſententiæque.*

(1) *Idem Ordo.* In ſuis ſibi perverſitatibus diſplicebat &c.

(2) *In eodem Ord. emittitur ibi vocula*, cum.

(3) ut quem, *ita Codd. O, R, & S. At in aliis apud Menard. & Marten. legitur* & quem.

(4) *O, R, P, & M. ut & apud Marten. melius legitur* reformator.

(5) *O, R, & P.* vivifica hunc famulum tuum, quem &c. *Apud Men. atque Marten.* vivifica hunc famulum, quem &c.

(6) *O, R, P, M, & apud Mart.* tu parce confitenti: ut ſic in hac mortalitate peccata ſua, te adjuvante, defleat, qualiter (*P.* quatenus) in tremendi Judicii die ſententiam damnationis æternæ evadat, & neſciat quod terret in tenebris &c.

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam [a] in confeſſione celeri pœſuiſti : Succurre lapſis : Miſerere confeſſis : ut quos delictorum catena conſtringit, magnitudo tuæ pietatis abſolvat. Per.

Deus, qui confitentium tibi corda purificas ; & accuſantes ſuas conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſolvis ; Da indulgentiam reis, & medicinam tribue vulneratis : ut [b] percepta remiſſione omnium peccatorum, ſincera deinceps devotione permaneant : & nullum redemptionis æternæ ſuſtineant detrimentum. Per.

Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, reſpice ſuper hunc famulum tuum, qui ab infeſta ſæculi tempeſtate demerſus, flebili lamentatione ſuos accuſat exceſſus : ut fletus ac gemitus ejus pie ſuſcipias, eumque de tenebris ad lumen revoces ; & medelam confitenti, ſalutem pœnitenti, & vulnerato auxilium ſanitatis indulgeas. Nec ultra inimicus in ejus habeat anima poteſtatem ; [c] eiuſque confeſſionem libenter admittens, Eccleſiæ tuæ purificatum reſtitue, ac tuo altario repræſenta : ut ad Sacramentum reconciliationis admiſſus, una nobiſcum ſancto nomini tuo gratias agere mereatur. Per.

RECONCILIATIO
Pœnitentis ad mortem. [1]

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas : Reſpice ſuper hunc famulum tuum ; & remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem, deprecatus exaudi. Renova in eo piiſſime Pater quicquid terrena fragilitate corruptum eſt, vel quicquid diabolica fraude violatum eſt : [2] in unitatem corporis Eccleſiæ tuæ membrum perfecta remiſſione reſtitue : Miſerere Domine gemituum : Miſerere lacrymarum : & non habentem fiduciam, niſi in tua miſericordia, ad Sacramentum reconciliationis admitte. Per.

Ma-

a. In confeſſione. in exemplari *ad confeſſione* : correximus ex Ordine Romano.
b. Percepta. *leg.* Perascepta.
*. *Percepta*. Ita Ordin. Rom. in exemplari *peraccepta*, ſed perperam.
c. Ejuſque. *leg.* cujuſque. *. *Ejuſque* in exemplari mendoſe ſcribitur *cujuſque*.

(1) Reconciliatio pœnitentis ad mortem, *Ita Codd. O, & R, atque P. quid illa ſibi velit inſcriptio, accipe ex vetuſtiſſimo Pœnitentiali Romano, quem de Scrinio Romanæ Eccleſiæ acceptum lib. VI ſuorum Operum ſub initium ſeculi a Chriſto IX repoſuit Halithgarius Epiſcopus Cameracenſis. In eo ſiquidem legitur* : Si quis autem ad pœnitentiam venit, & ægritudo evenerit, & non potuerit adimplere, quod illi mandatum eſt a Sacerdote, ſuſcipiatur ad ſanctam communionem : & ſi voluerit eum Deus ſalvare, jejunet poſtea. Si quis non pœnitet, & forſitan ceciderit in ægritudinem, & quæſierit communicare, non prohibeatur, ſed date ei ſanctam communionem, & mandate ei, ut ſi placuerit Dei miſericordiæ, & evaſerit de ipſa ægritudine, poſtea omnia ſit confeſſus, & ſic pœniteat. *Idem præceperat & S. Leo primus, cujus magni Pontificis videatur epiſtola XCI. Idem & ſtatutum invenies in Synodo Toletana XI, an. Chriſti DCLXXV, cujus canon XII ait* : Qui pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutine a reconciliationis gratia differendus eſt : Sed ſi pro certo mortis urget periculum, pœnitentia per manus impoſitionem accepta, ſtatim ei reconciliatio adhibenda eſt : ne prius ab humanis rebus æger abſcedat, quam donum reconciliationis percipiat. *Hæc ſane veteris Eccleſiæ teſtimonia occurrentem hoc in loco ritum inluſtrant, de quo adi-ſis & Morinum, præcipue in Appendice ad ſuos de Pœnitentia libros p. 29. & 30.* (2) *O, & R.* & in unitate corporis Eccleſiæ tuæ membrorum perfecta remiſſione reſtitue &c.

Digitized by Google

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur; ut huic famulo tuo, longo ſqualore pœnitentiæ macerato, miſerationis tuæ veniam largiri digneris: ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, unde ejectus fuerat, mereatur intrare. Per.

Majeſtatem tuam quæſumus, Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui non mortem, ſed peccatorum vitam ſemper inquiris. Reſpice flentem famulum tuum: adtende proſtratum: ejuſque planctum in gaudium tua miſeratione concede. Scinde delictorum ſaccum, & indue eum lætitiam ſalutarem; ut poſt longam peregrinationis famem de ſanctis Altaribus tuis ſatietur: ingreſſus cubiculum Regis, in ipſius aula benedicat nomen gloriæ tuæ ſemper. Per Dominum.

Deus miſericors, Deus clemens, qui indulgentiam tuam [a] nulla temporum lege concludis; ſed pulſanti miſericordiæ tuæ januam aperis; pœnitentes etiam ſub ipſo vitæ hujus [b] termino non relinquis. Reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum, remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem. Renova in eo piiſſime Pater, quod actione, quod verbo, quod ipſa denique cogitatione, diabolica fraude vitiatum eſt; & unitati corporis Eccleſiæ membrum tuæ redemptionis adnecte. Miſerere gemituum, Miſerere lacrymarum: & non habentem fiduciam, niſi in miſericordia tua, ad Sacramentum reconciliationis admitte: quia nullius animæ in hoc corpore conſtitutæ difficilis apud te, aut tarda curatio eſt. Fidelis enim es in verbis tuis: qui converſum peccatorem non longa temporum ſpatia differendum, ſed mox ut in te gemuiſſet, dixiſti eſſe. Per.

[c] *ORATIO*
Poſt Reconciliationem, [1] *vel poſteaquam communicaverit.*

Deus, qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſe conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſolvis: Da indulgentiam [d] eis: & medicinam tribue vulneratis: ut percepta remiſſio-

a. Nulla. *leg*. nullum. *b*. Termino. *leg* Terminum.
* *Termino*. ita correctum, mendoſe enim legitur in exemplari *terminum*.
c. Oratio. *leg*. Oration. *d*. *Eis*. in Codice Toloſano apud Morinum in Appendice ad Comment. de Pœnitentia pag. 68. legitur *reis*.

(1) *Pœnitentes igitur ad ſacram Euchariſtiæ Communionem admittebantur in ea Miſſa, in qua reconciliationis ipſe ritus peragebatur. Id autem adeo certum eſt, ut in monumentis veterum quibuſdam vox* reconciliatio *hric uſurpetur pro ipſa ſancta communione: qua de re videri poterit Du-Cangius in Gloſſ. ad vocem* reconciliari. *Hinc merito concluditur ritum reconciliandi pœnitentes celebratum fuiſſe ante Miſſæ Offertorium, nam, quemadmodum Martenio recte notatum eſt cap. prelaudati num.* xi. quibus offerendi jus denegatum erat, iis communicare haudquaquam licitum erat. *Firmiſſimam hanc rationem confirmat locus, quo noſtro in præſenti Sacramentorum libro Ordo reconciliandi ponitur, ſcilicet Introitus Miſſæ Orationes inter & Offertorium, quod & clariſſ. Morinus obſervare non prætermiſſo de Pœnit. lib.* viii, *cap.* xiv, *num.* vi, *pag.* 554. *Quare eidem Morino, uti nec Menardo nullis adſentimur, quum illi opinantur pœnitentium reconciliationem aliquando, vel quibuſdam in Eccleſiis peractam fuiſſe in ſollemni Miſſa quidem, ſed poſt conſecrationem: neque illud evincunt noſtra ſententia aut teſtimonium Optati Milevitani lib.* II *adverſus Parmenianum, quo illorum uterque utitur, & Menardus quidem adnotatione* 677 *ad Greg. Sacram. Morinus vero num.* III *capitis prælaudati: aut teſtimonia Cypriani & Ambroſii quæ a Morino referuntur ejuſdem capitis num.* II, & III. *Ea enim, ſi recte expendas, demonſtrant ſolum pœnitentes in Miſſa pro ipſorum reconciliatione ſacra communione donatos fuiſſe. Vide memoratos præclariſſimos Scriptores.*

Digitized by Google

miſſione omnium peccatorum, in Sacrament is tuis ſincera deinceps devotione permaneant; & nullum redemptionis æternæ ſuſtineant detrimentum. Per.

Poſt hæc offert plebs, & conficiuntur Sacramenta.

SECRETA.

Virtutum cæleſtium Deus, de cujus gratiæ rore deſcendit, ut ad myſteria tua purgatis ſenſibus accedamus; præſta quæſumus, ut in eorum traditione ſolemniter [a] honorum, tibi placitum deferimus obſequium. Per.

INFRA ACTIONEM.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes: quo [1] traditus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Sed & memoriam.

ITEM INFRA.

Hanc igitur oblationem, Domine, cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerunt ob diem jejunii Cœnæ Dominicæ; in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus tradidit diſcipulis ſuis Corporis & Sanguinis ſui Myſteria celebranda: quæſumus Domine, placatus intende; ut per multa curricula annorum, ſalva & incolumis munera ſua tibi, Domine, mereatur offerre; dieſque noſtros in tua pace d.

Item infra Canonem, ubi dicimus, Qui Pridie quam pateretur. *In hujus diei* [2] *proceſſione dicimus*, Qui hac die antequam traderetur, accepit panem in ſuis ſanctis manibus; elevatis.

POST COMMVN.

Concede quæſumus Domine, ut percepti novi Sacramenti myſterium & corpore ſentiamus & mente. Per.

AD POPVLVM.

Gregem tuum Paſtor bone placatus intende, & oves, quas pretioſo ſanguine Filii tui redemiſti, diabolica non ſinas incurſione [3] lacerari. Per Dominum.

XL. ITEM IN QVINTA Feria [4] Miſſa Chriſmalis.

Domine Deus, qui in regenerandis plebibus tuis miniſterio uteris Sacerdotum, tribue nobis perſeverantem in tua voluntate famulatum; ut

a. Honorum, bonoranda. ſic ſupra pag. 31.

(1) *Feria v in Cœna Domini heic dicitur dies, quo* TRADITUS *eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Hinc agnoſces quam infirmum ſit argumentum, quo adſtruunt aliqui D. Ambroſii tempore in Eccleſia Mediolanenſi pœnitentes reconciliari conſueviſſe hujuſce hebdomadæ Feria* VI, *quod ad Marcellinam ſororem ſuam ſcripſerit pœnitentiam relaxari eo die, quo ſeſe Dominus pro nobis tradidit. Vide ſuperiorem adnotationem noſtram pag.* 51, & 52.

(2) *Apertiſſime illinc apparet* proceſſionis *vocem uſurpari ad denotandum σύναξιν, conventum, collectam, ipſum Miſſæ Sacrum. Vide de hac uſurpatione tractantes Menardum not.* 471 *ad Greg. Sacram. & Du-Freſne ad eamdem vocem.*

(3) *Mſ.* lacerare.

(4) Miſſa Chriſmalis, *quæ ſcilicet dicitur quum ſacrum Chriſma conficitur. Vetuſtiſſimum eſſe ritum hunc ſacri Chriſmatis conficiendi ſatis evincunt teſtimonia ſancti Cypriani in epiſt.* LXX, *Optati Milevitani lib.* VII *adverſus Parmenianum, & Baſilii cap.* XXVII *lib. de Spiritu Sancto: Unde apparet Petrum Fullonem, qui longe poſt illos Patres vixit, ejus ritus inſtitutorem non fuiſſe, & Theodorum Lectorem Hiſt. Eccl. lib.* II *de eo ajentem:* Πέτρον τὸν κναφέα ἐπινοῆσαι τὸ μύρον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐπὶ παντὸς τοῦ λαοῦ ἁγιάζεσθαι. Petrum Fullonem inſtituiſſe ut ſacrum Chriſma in Eccleſia coram omni populo conſecraretur, *ex edit. Valeſii Cantabr.* Theo-

ut dono gratiæ tuæ, in diebus noſtris & [a] merito & numero ſacratus tibi populus augeatur. Per Dominum.

Da nobis omnipotens Deus remedia conditionis humanæ & ſincero tractare ſervitio, & cum [b] profectu ſalutis implere. Per.

SECRETA.

Hujus Sacrificii potentia, Domine quæſumus, & vetuſtatem noſtram clementer abſtergat; & novitatem nobis augeat ſalutem. Per.

VD Clementiam tuam ſuppliciter obſecrare, ut ſpiritalis lavacri Baptiſmo renovandis, creaturam Chriſmatis in Sacramentum perfectæ ſalutis vitæque confirmes. Ut ſanctificatione Unctionis infuſa, corruptione primæ nativitatis abſorpta, ſanctum uniuſcujuſque templum acceptabilis vitæ innocens [c] odore redoleſcat. Ut ſecundum conſtitutionis tuæ Sacramentum, Regio & Sacerdotali Propheticoque honore perfuſi; veſtimento incorrupti muneris induantur. Per quem majeſtatem tuam.

Infra actionem, Communicantes, *ut ſupra*.

Hanc igitur oblationem famulorum, famularumque tuarum, quam tibi offerunt ob diem, [1] in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus tradidit diſcipulis ſuis Corporis & Sanguinis ſui Myſteria celebranda; quæſumus, Domine placatus accipias, & tua pietate concedas, ut per multa curricula annorum ſalvi & incolumes munera ſua tibi Domino mereantur offerre: dieſque noſtros.

BENEDICTIO OLEI [2] *ad populum in his verbis*.

Iſtud Oleum ad ungendos infirmos. *Vt autem veneris*, Nobis quoque peccatoribus famulis tuis; *& reliqua uſque ad*, Per Chriſtum Dominum noſtrum. [3] *Et intras*.

Emitte, [4] quæſumus, Domine Spiritum Sanctum [5] Paraclitum, de cælis [6] in hanc pinguedinem olei, quam de viridi ligno producere dignatus es [7] ad refectionem mentis & corporis. Et tua

a. Et merito. *leg*. ut merito. * *Et*. exemplar perperam habet *ut*.

b *Profectu*. in exemplari mendoſe *perfecto*. *c*. Odore. *leg*. odor.

* *Odore*. In exemplari mendoſe habetur *odor*.

Theodorum inquam non eſſe eo in loco accipiendum de prima & univerſali ſacri Chriſmatis inſtitutione, ſed vel de ſollemniori, vel de aliqua peculiari Eccleſia, in qua ſanctum ritum invexerit. Pauris hiſce de ritus illius antiquitate prælibatis, illud ut animadvertamus noſter hicce locus monet, nimirum Feriam V *magnæ hebdomadæ fuiſſe diem benedicendo Chriſmati deputatam, antequam nono Chriſti ſeculo in Synodo Meldenſi canone* XLVI *ſtatueretur nemini licere, niſi eo die, illud ſacro ritu conſecrare: en verba memorati canonis juxta Harduini collectionem*: Nemo ſacrum Chriſma niſi in quinta feria majoris ſeptimanæ, in cœna quæ ſpecialiter appellatur Dominica, conficere præſumat. *Vide & Iſidorum lib.* I *de Officiis cap.* XXVIII.

(1) in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus tradidit diſcipulis ſuis Corporis & Sanguinis ſui Myſteria celebranda &c. *Ita & in Gregorianis* O, P, R, *&* M.

(2) *Cod.* O. *eo in loco ait*: Benedictio Olei ad infirmum. *Vide Amalar. lib.* I, *cap.* XII.

(3) Et intras, *hoc eſt & incipis Olei benedictionem, quæ fiebat, ut non ſolum ex Pamelii Sacram. liquet, aut ex Cod. S. Eligii apud Menard. ſed & apertiſſime ex præſenti noſtri Sacramentarii loco, proxime ante illa Canonis verba*: per quem hæc omnia Domine, ſemper bona creas.

(4) *Vocem* quæſumus *omittunt* O, R, P, *& Menard.*

(5) tuum *ibi addunt* M, O, R.

(6) *Mſ.* in hac pinguedine olivæ &c.

(7) M, O, P, R. ad refectionem corporis &c. *omiſſis vocibus* mentis &.

tua ſancta benedictio [1] ſit omni ungenti, guſtanti, tangenti tutamentum corporis, animæ, & ſpiritus, ad evacuandos omnes dolores, [2] omnem infirmitatem, omnem ægritudinem [3] mentis & corporis. [a] Vnde unxiſti Sacerdotes, Reges, & Prophetas, & Martyres: [b] Chriſma [4] tuum [5] perfectum a te, Domine, benedictum, permanens in viſceribus noſtris, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas. *Et cætera*.

Expleto enim Canone dicit.

Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti. *Sequitur Oratio Dominica. Et iterum ſubſequitur alia Oratio*: Libera nos, quæſumus, Domine. *Ipſa expleta, confrangis, & tegis de ſindone altaris Munera, & aſcendis ad ſedem. Ibique oblato a Diacono* [6] *alio Oleo ad benedicendum, & dicis*.

Dominus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo.

[c] *Dicis*, Oremus. *Et intras*.

Deus incrementorum & profectuum ſpiritalium [7] munerator, qui virtute Sancti Spiritus tui imbecillarum mentium rudimenta confirmas: Te oramus, Domine, ut venturis ad beatæ Regenerationis lavacrum tribuas per unctionem iſtius creaturæ, purgationem mentis & corporis. Vt ſi quæ illis adverſantium ſpirituum [8] inhærere reliquiæ, ad tactum ſanctificati olei hujus abſcedant. Nullus ſpiritalibus Nequitiis locus, nulla [9] refugis virtutibus ſit facultas: nulla inſidiantibus malis latendi licentia relinquatur: ſed venientibus ad fidem ſervis tuis, & Sancti Spiritus operatione mundandis, ſit unctionis hujus præparatio [10] utilis ad ſalutem: quam etiam per cæleſtis Regenerationis nativitatem in Sacramento ſunt Baptiſmatis adepturi. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare ſæculum per ignem.

Iterum dicis, [11] Dominus vobiſcum. ℞. Et cum Spiritu tuo.

Surſum corda. ℞. Habemus [d] ad Dominum.

a. *Vnde*. ita legitur apud Pamelium. *b*. *Chriſma*. ita habetur apud Pamelium.
c. Dicis. *leg*. Dicit. * *Dicis*. Sic emendavimus, habetur in exemplari *dicit*.
d. *Ad dominum*. exmplar perperam habet *a Domino*.

(1) *Iidem mox laudati Codices*: Sit omni (hoc *M.*) ungueotum (*O.* unguenti) tangenti tutamentum mentis & corporis, ad evacuandor &c.

(2) *Iidem Codices plurium numero*: omneſque infirmitates.

(3) *Prælaudati Codices voces* mentis &, *omittunt*.

(4) *Notatum* Menardo, *& quidem recte, vocabulum* Chriſma *eo loci minus proprie uſurpatum fuiſſe*.

(5) *Iidem Codices*, Chriſma tuum perfectum, Domine, a te benedictum in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

(6) *Oleo nimirum ad ungendos infirmos ſuperiori benedictione jam ſanctificato, aliud heic Epiſcopo oleum ad ſacrum Chriſma conficiendum porrigitur. Ritus iſte Gregorianis exemplis ſæpe vocatur* Benedictio Chriſmatis principalis, *quemadmodum obſervare poteſt apud Pamelium, in vulgato Hittorpii Ordine, & in Mſſ. noſtris Codicibus O, & R. de qua appellatione videndus Amal. lib. 1. de Eccleſ. Off. cap.* XII.

(7) *Vocem* munerator *illic omittit exemplum Menardi. Illa P, O, & R. prætermiſſis vocibus* incrementorum & profectuum ſpiritalium munerator, ajunt: Deus, qui virtute Sancti Spiritus &c.

(8) *Rectius apud Pamel. & in Codd. O, & R.* Inhærere Reliquiæ. *Apud* Menard. adverſantium Spirituum maculæ inhæſerunt. *Apud Hittorp.* inhærere maculæ &c.

(9) refugis virtutibus, *ideſt* apoſtatis Angelis, *ſeu* Dæmonibus. *Vide Menardum ad hunc locum not.* 280.

(10) *Cod. O.* vitalis ad ſalutem.

(11) *Præfatio iſta in Gregorianis Codicibus* M, P, O, R. *præcedit ſuperiorem orationem*, Deus incrementorum &c. *quæ oratio in iiſdem exceptis Menardianis inſcribitur* Exorciſmus Olei: *rei cauſſam paullo inferius daturi ſumus*.

Digitized by Google

Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt.

VD Et juſtum eſt, æquum, & ſalutare, nos tibi ſemper hic, & ubique gratias agere, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus. Qui in principio inter cætera bonitatis & pietatis tuæ munera terram producere fructifera ligna juſſiſti. Inter quæ huius pinguiſſimi liquoris miniſtræ oleæ naſcerentur, quarum fructus ſacro Chriſmati deſerviret. Nam David prophetico ſpiritu gratiæ tuæ Sacramenta prænoſcens, vultos noſtros in oleo exhilarandos eſſe cantavit. Et cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuſo, in ſimilitudinem futuri muneris columba demonſtrans, [1] per olivæ ramum pacem terris redditam nuntiavit. Quod in noviſſimis temporibus manifeſtis eſt effectibus declaratum, cum Baptiſmatis aquis omnium criminum commiſſa delentibus, hæc olei unctio vultos noſtros jocundos efficiat ac ſerenos. Inde etiam Moyſi famulo tuo mandata dediſti, ut Aaron fratrem ſuum, prius aqua lotum, per infuſionem hujus Unguenti conſtituerit Sacerdotem. Acceſſit ad hoc amplior honor, cum Filius tuus Dominus noſter Jeſus Chriſtus lavari a Johanne undis Jordanicis exegiſſet: & Spiritu Sancto in columbæ ſimilitudine deſuper miſſo, Unigenitum tuum, in quo tibi optime complacuiſſe, teſtimonio ſubſequentis vocis oſtenderes: hoc illud eſſe manifeſtiſſime comprobares, quod eum oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis ungendum David Propheta ceciniſſet. Te igitur deprecamur, Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum: ut hujus creaturæ pinguedinem ſanctificare tua benedictione digneris, [a] & in Sancti [2] Spiritus immiſcere virtutem per potentiam Chriſti tui; a cujus ſancto nomine Chriſma nomen accepit: unde unxiſti Sacerdotes, Reges, Prophetas, & [3] Martyres tuos: ut ſit his, qui renati fuerint ex aqua & Spiritu Sancto, Chriſma ſalutis, eoſque æternæ vitæ participes, & cæleſtis gloriæ facias eſſe conſortes. Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

ITEM

a. *Et in ſancti Spiritus immiſcere.* apud Pamelium legitur, *& Spiritus ſancti ei admiſcere.*

(1) *Vide* Menardum *eum locum doctis animadverſionibus inluſtrantem ex Tertulliano, Caſſiodoro, Joanne Damaſceno, & Græcorum Euchologio.*

(2) *Hittorp.* M, O, *&* R. & Sancti Spiritus ei admiſcere virtutem, cooperante potentia Chriſti tui.

(3) *Prophetas in Vetere Lege ſacro oleo unctos fuiſſe patet ex lib. Regum* III, *cap.* XIX. ℣. 17, *in quo legitur.* Eliſeum autem filium Saphat., qui eſt de Abelmeula, unges Prophetam pro te. *Sacerdotes & Reges ſacra unctione inſtitui tam in veteri quam in nova lege compertum eſt omnibus. Qua autem ratione &* Martyres *Chriſmate liniri hoc loco dicantur aperit* Menardus *dum animadvertit* Martyres *ſacram unctionem recipere in* Confirmationis *Sacramento, cujus beneficio tantum roboris atque virtutis iiſdem largitur, ut de perſecutoribus ſuis fortiter pro Chriſto moriendo victoriam obtineant. Vide ſuperius* Orationem, Emitte quæſumus &c. *ad benedictionem* Olei *infirmorum, & ex dictis hic a* Menardo *interpretare, quo ſenſu in ea dicatur oleo ungi* Sacerdotes, Reges, Prophetas, *&* Martyres, *ad ſanandum nimirum mentis ægritudinem.*

ITEM OLEI exorcizati Confectio.[1]

Hoc loco miſcis balſamum cum oleo, & ſequitur hic Exorciſmus.

Exorcizo te, creatura Olei in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jeſu Chriſti Filii ejus, & Spiritus Sancti; ut in hanc invocationem trinæ poteſtatis,[2] atque virtutem Deitatis, omnis nequiſſima virtus Adverſarii, omnis inveterata malitia Diaboli, omnis violentiæ occurſio, omne confuſum, & cæcum phantaſma[3] eradicare, & effugare, & diſcede a creatura hujus Olei, ad utilitatem hominum conſtituta. Vt fiat hæc unctio divinis Sacramentis purificata in [a] adoptionem carnis & ſpiritus. [b] eiſque ex eo ungere habent in remiſſionem omnium peccatorum; [4] ut efficiatur in eis corporum ad omnem gratiam [c] ſpiritualem ſanctificatum. Per eumdem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; qui venturus eſt in Spiritu Sancto judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem. Per Dominum.

D Omnipotens æterne Deus, qui Myſteriorum tuorum ſecreta revelans, nemus ore columbæ teſtatum Noe oculis oſtendiſti; ut diſcerent habitatores arcæ per Spiritum Sanctum, & Olivæ Chriſma, mundo liberationis gloriam reverſuram. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

Hoc autem expleto, venies ante Altare, ponis in ore Calicis de ipſa Hoſtia: non dicis, Pax Domini; *nec faciunt pacem,* [5] *ſed communicant, & reſervant de ipſo Sacrificio in craſtinum, unde communicent.*

SE-

a. *Adoptionem*. exemplar mendoſe habet *adoptione*.
b. *Eiſque ex eo ungere babent*. in Ordin. Rom. *eis*, *qui ex eo ungi debent*.
c Spiritualem. *leg.* ſpiritalem.

(1) *Oleum tertio benedicitur ad ungendos Catechumenos. Unde in veterum monumentis paſſim benedictio hæc vocatur:* Exorciſmus Olei Catechumenorum. *Ad iſtum Exorciſmum juxta Gregoriana ſpectat prælaudata Oratio* Deus incrementorum &c. *quam ſuperiori not.* (11) *pag.* 59. *diximus in illis ſubſequi Præfationem benedictionis Chriſmatis principalis. Quod apertiſſime declarat non ſolum rerum ordo in illis obſervatus, & inſcriptio qua ea Oratio dicitur* Exorciſmus Olei, *ſed & ea quæ occurrunt in Menardi Sacram. & in Hittorpii Ordine. In illo ſiquidem benedictionem Chriſmatis principalis excipiunt hæc verba*: Qua expleta, benedicit ampullam ordine quo ſupra declaratum eſt: & ſimiliter halat in ipſam, ſed tacite ipſam benedicit. Dominus vobiſcum: Et cum Spiritu tuo. Oremus Deus incrementorum &c. *quæ ſane alterum a ſuperiori benedictionis ritum innuunt. Illud idem apertius adparet ex Ordine Hittorpii, in quo poſt abſolutum ritum Chriſmatis principalis præcipitur, ut Epiſcopo altera olei ampulla deferatur benedicenda: ut Epiſcopus ter in eam halat, proferat exorciſmum, qui heic ſequitur* Exorcizo te, creatura Olei &c. *& demum Orationem* Deus incrementorum &c. *Ad hæc eadem Oratione abſoluta tam in Menardi Sacram. quam in Hittorpii Ordine, Epiſcopo præcipitur ut vadat ad Altare & communicet ipſe, & omnis populus: quod & in præſenti noſtro Sacrament. paullo inferius abſoluta Olei Catechumenorum benedictione præſtatur. Quæ igitur uno in ritu uſurpabatur vetuſtiſſimis Gelaſii temporibus Oratio, ad alterum deinde pertranſiit. Ejuſmodi exempla ſæpe occurrent noſtros hoſce Sacramentorum libros cum illo Gregoriano conferentibus.*

(2) *Apud Hittorp.* atque unius virtutem Deitatis.

(3) *Rectius apud Hittorp.* eradicetur, & effugetur, & diſcedat.

(4) *Apud eundem*: ut efficiantur eorum corpora ad omnem gratiam ſpiritalem accipiendam ſanctificata.

(5) *Vide, quæ ad hunc locum adnotavimus tom.* v, *pag.* 80, *not.* (1)

Digitized by Google

ITEM IN FERIA V.
[1] Miſſa ad Veſperum.

SECRETA.

Suſcipe, quæſumus, Domine munus oblatum, & dignanter operare; ut quod Paſſionis myſterio gerimus, piis [a] effectibus conſequamur. Per Dominum.

VD Et juſtum eſt, per Chriſtum Dominum noſtrum. Quem in hac nocte inter ſacras epulas increpantem mens ſibi conſcia Traditoris ferre non potuit; ſed, Apoſtolorum derelicto conſortio, ſanguinis pretium a Judæis accepit; ut vitam perderet, quam diſtraxit. Cœnavit igitur hodie proditor mortem ſuam; & cruentis manibus Panem de manu Salvatoris exiturus accepit: ut ſaginatum cibo major pœna conſtringeret; [2] quem nec ſub præmio pietas ab ſcelere revocaret. Patitur itaque Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus cum hoſte noviſſimum participare convivium, a quo ſe noverat continuo traditurum; ut exemplum innocentiæ mundo relinqueret, & paſſionem ſuam pro ſæculi redemptione ſuppleret. [b] Paſcit igitur mitis Deus barbarum Judam; & [c] ſuſtinet in menſa [d] crudele convivam: donec ſe ſuo laqueo perderet, qui de Magiſtri ſanguine [e] cogitarat, O Dominum per omnia patientem! O Agnum inter ſuas epulas mitem! adhuc cibum ejus Judas in ore ferebat, & ad lanianda membra ejus, Judæos carnifices advocabat. Sed Filius tuus Dominus noſter, tanquam pia Hoſtia & immolari ſe tibi pro nobis patienter permiſit; & peccatum, quod mundus commiſerat, relaxavit. Per ipſum te Domine ſupplices deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes.

Infra Canonem, ut ſupra.

POST COMMUN.

Concede, quæſumus Domine, ut perceptum novi Sacramenti myſterium & corpore ſentiamus & mente. Per.

AD

a. *Effectibus*. apud Pamelium IV. feria *affectibus*.

b. *Paſcit igitur mitis*. apud Menardum *Patitur mitis*.

c. *Suſtinet in menſa crudele convivam*. apud Menardum *ſuſtinet pius crudelem convivam*. d. Crudele. *leg.* crudelem.

e. *Cogitarat*. Sic emendavimus ex Menardo, cum in exemplari perperam legatur, *cogitaret*.

(1) Miſſa ad Veſperum. *Tres, & etiam quatuor Miſſas celebratas fuiſſe in Cœna Domini teſtantur MSſ. Codices apud Menardum not. 263 ad Greg. Sacram. Morinum de Pœnitentia, & Martene de antiqua Eccl. diſcipl. De Miſſa ad Veſperas hujus diei celebrata in uno apud Menardum Codice, loco mox prælaudato, habetur Miſſa cum inſcriptione:* Ad Miſſam ſero. *Auguſtinus ad Januarium ſcribens de hac ſolemnitate epiſt. quæ in nova edition. eſt 54, ait:* & quia nonnulli etiam jejunium cuſtodiunt, mane offertur propter prandentes; quia jejunia ſimul & lavacra tolerare non poſſunt: ad veſperam vero propter jejunantes. *Vide & doctiſſimum Cardinalem Jo. Bona lib. 2 Rerum Liturgic. cap. XVIII, num. VI, ubi de triplici hac die Miſſa olim celebrata, deque noſtro hoc Sacram. loco agit.*

(2) *Apud Menardum*, quem nec ſacrari cibi collatio ab ſcelere revocaret. *Quæ porro innuunt, quemadmodum & integra hæc præſens Præfatio, Chriſtum Dominum in ultima Cœna & Judæ Traditori una cum ceteris Apoſtolis Corpus & Sanguinem ſuum porrexiſſe: quod & plures e Patribus adfirmant, ut ſancti Auguſtinus, Leo magnus, Eligius, Joannes Chryſoſtomus, Anaſtaſius Sinaita, & Hincmarus Remenſis: quorum teſtimonia videntur apud eumdem Menardum not. 266.*

AD POPVLVM.

Præſta, quæſumus, Domine, ut ſicut de præteritis ad nova tranſimus; ita, vetuſtate depoſita, ſanctificatis mentibus innovemur. Per.

XLI. INCIPIT ORDO de Feria VI. Paſſione a* Domini.

b* *Hora nona* [1] *procedunt omnes ad Eccleſiam: & ponitur ſancta Crux ſuper Altare. Et egreditur Sacerdos de Sacrario cum ſacris Ordinibus cum ſilentio, nihil canentes, & veniunt ante Altare: poſtulans Sacerdos pro ſe orare, & dicit*, Oremus. *Et adnuntiat Diaconus*: Flectamus genua. *Et poſt paululum, dicit*, Levate. *Et dat orationem*.

Deus, a quo & Judas reatus ſui pœnam, & confeſſionis ſuæ latro præmium ſumpſit; concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut c ſicut paſſione ſua Chriſtus Dominus noſter diverſa utriſque intulit ſtipendia meritorum; ita nobis, ablato vetuſtatis errore, reſurrectionis ſuæ gratiam largiatur. Qui tecum vivit.

Iſta Oratione expleta, d *vadit retro Altare, & legitur* [2] *lectio. Deinde ſequitur Reſponſorium*.

Iterum dicit Sacerdos, Oremus. *Et adnuntiat Diaconus ut ſupra, & ſequitur alia Oratio*.

Deus, qui peccati veteris hæreditariam mortem, in qua poſteritatis genus omne ſucceſſerat, Chriſti tui Domini noſtri paſſione ſolviſti; dona ut conformes eidem facti, ſicut imaginem Terreni [3] naturæ neceſſitate portavimus; ita imaginem Cæleſtis, gratiæ ſanctificatione portemus, Chriſti Domini noſtri. Qui tecum vivit.

Item ſequitur [4] *lectio, & Reſponſorium. Inde vero legitur Paſſio Domini*.

Ipſa expleta, incipit Sacerdos Orationes ſolemnes, quæ ſequuntur.

Oremus, dilectiſſimi nobis, in primis pro Eccleſia ſancta Dei; e ut eam Deus & Dominus noſter pacificare, adunare, & cuſtodire dignetur [5] per univerſum orbem terrarum, ſubjiciens ei principatus & poteſtates: detque

a* Hæc dies appellatur, *Dies Paſſionis* a Proſpero in Chronico an. 444.

b* Ex Miſſali membranaceo M. S. *Feria* VI. *in Paraſceve* ...... *& hora nona Miniſtri Eccleſiæ induuns ſe veſtimentis nigris, & abſque ullo cantu procedunt ante alta.e, & ibi proſtrato omni corpore in terra confiteantur omnia peccata ſua cum ſilentio, & corde puro, coram Deo & Angelis ejus: & diutinus pro eis deprecentur Dominum omnipotentem: & cum ſurrexerint ab oratione dicis Sacerdos: Oremus, & Diaconus dicit: Flectamus genua. Deus a quo & Judas*.

c. *Sicut paſſione ſua*. apud Pamelium legitur, *ſicut in paſſione ſua*.

d. Vadis. *leg.* vadit.

e. *Ut eam*, ita correctum ex Pamelio, ſiquidem exemplar habet, *ut etiam*.

(1) Hora nona. *Vide quæ adnotavimus ad hunc locum Antiq. Lib. Miſs. tom* v, *pag.* 82, *&* 83, *not* (4).

(2) *Confer quæ occurrunt in Antiq. Miſs. Lib. tom.* v, *pag.* 83, *&* 338.

(3) Naturæ neceſſitate, *natura nimirum vitiata veteri peccato, & ob hæreditariam in illius vindictam inductam mortem, uti paullo ſuperius legitur*.

(4) *Vide tom.* v, *locis nuper indicatis; & inſuper pag.* 456.

(5) M, O, P, R. toto orbe terrarum.

que nobis tranquillam & [1] quietem vitam degentibus glorificare [2] Deum Patrem omnipotentem.

Oremus. [3] *Adnuntiat Diaconus*, Flectamus genua. *Iterum dicit*, Levate.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui gloriam [a] tuam in omnibus in Chriſto gentibus revelaſti; cuſtodi opera miſericordiæ tuæ; ut Eccleſia tua toto orbe diffuſa, ſtabili fide in confeſſione tui nominis perſeveret. [b] Per.

Oremus & pro famulo Dei Papa noſtro Sedis Apoſtolicæ *ill* & [c] pro Antiſtite noſtro *ill*: [4] ut Deus omnipotens, qui elegit eos in ordine Epiſcopatus, ſalvos & incolumes cuſtodiat Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ad regendum populum ſanctum Dei.

Oremus. *Item adnuntiat Diaconus ut ſupra.*

Omnipotens ſempiterne Deus, cujus [5] æterno judicio univerſa fundantur, reſpice propitius ad preces noſtras; & electos a te nobis Antiſtites tua pietate conſerva; ut Chriſtiana plebs, quæ talibus gubernatur Auctoribus, ſub [d] tantis Pontificibus credulitatis ſuæ meritis augeatur. Per.

Oremus & pro omnibus Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis, [6] Confeſſoribus, Virginibus,

a. Tuam in omnibus. apud Pamelium *tuam omnibus*.

b. Per. *leg.* Per Dominum.

c. Et pro Antiſtite noſtro ill. apud Pamelium, & Menardum verba hæc omittuntur.

d. Tantis Pontificibus. ita correximus cum perperam in exemplari legatur *tantos Pontifices*. apud Pamelium, & Menard. legitur *ſub tanto Pontifice*, quia in oratione de Papa ſolummodo fit ſermo.

(1) *Iidem Codd.* quietam.

(2) P. Dominum Patrem &c.

(3) O. Et dicit Diaconus: Flectamus genua. Poſtquam oraverint, dicit, Levate: poſtea dicit Sacerdos Orationem.

(4) *Codices Gregoriani*, ut Deus & Dominus noſter.

(5) *Vox æterno ejus loci deeſt in iiſdem Codicibus mox laudatis.*

(6) *Confeſſores clariſſimi Menardi judicio not.* 246 *ad Sacram. Greg. illic ſunt Cantores & Pſalmiſta, in inferiori Clericorum gradu conſtituti: quos eo nomine donatos olim fuiſſe colligunt ſacrorum Canonum interpretes ex can.* 11 *Concil.* IV *Carthag. & ex Concil. Toletano* I, *cujus in can.* IX *legitur*: Nulla profeſſa vel vidua, abſente Epiſcopo vel presbytero, in domo ſua Antiphonas cum CONFESSORE, vel ſervo ſuo faciat. *Et can.* VI *ejuſdem Concilii dicitur*: Itemque puella Dei nec familiaritatem habeat cum CONFESSORE. *Denominationis autem hujuſce rationem ſi quæras; facile tibi erit animadvertere in ſacris Scripturis & in Pſalmis præſertim vocem confiteri idem denotare ac Dei laudes dicere vel decantare: unde non ſine cauſſa Cantores divinarum Laudum* Confeſſores *dicebantur. Inficiari tamen non poſſumus eo tempore quo vel compoſiti fuerunt, vel deſcripti noſtri* Sacramentorum *libri vocem* Confeſſor *& diverſa ſignificatione ab ea quam mox expoſuimus, uſurpari conſueviſſe. Neminem latet* Confeſſores *& eos dictos fuiſſe, qui coram iniquo Judice & Fidei catholicæ hoſte, quibuslibet pœnis affecti Chriſtum confeſſi erant, licet tormentorum vi ſuperata tranquillam naturalemque deinde mortem obiiſſent: unde habemus illud a S. Cypriano perbelle dictum lib. de Simplic. Prælat.* Confeſſio exordium gloriæ eſt, non meritum coronæ. Confeſſores *etiam vocabantur quemadmodum & hodie contingit in libris Eccleſiæ liturgicis, quicumque ſanctam ac laudabilem vitam exegiſſent: qua de re apud Egbertum Archiep. Eboracenſ. Excerp. cap.* XXVIII. *habemus*: ſancti Patres, quos Confeſſores nuncupavimus, id eſt Epiſcopi, Presbyteri, qui in caſtitate ſervierunt Deo. *At licet hæc ita ſe habeant, firmiſſima porro eſt ratio, quæ virum doctum permovit, ut in præſenti* Oratione *ſub* Confeſſorum *nomine, potius* Cantores *&* Clericos *inferioris Ordinis acciperet, quam alios quoſcumque, quod in ea ſolum mentio fiat de perſonis divino cultui mancipatis, quas inter locum ſolum habent illi* Con-

ginibus, Viduis, & pro omni populo ſancto Dei.

Oremus. *Item adnuntiat Diaconus ut ſupra*.

Omnipotens ſempiterne Deus, cujus ſpiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur, exaudi nos pro univerſis Ordinibus ſupplicantes; ut gratiæ tuæ munere [a] ab omnibus [1] fideliter ſerviatur. Per.

Oremus & pro chriſtianiſſimo Imperatore, *vel* Rege noſtro *ill*: ut [2] Deus omnipotens ſubditas illis faciat omnes barbaras nationes ad noſtram perpetuam pacem.

Oremus. *Item adnuntiat Diaconus ut ſupra*.

Omnipotens ſempiterne Deus, [3] qui Regnis omnibus æterna poteſtate dominaris; [4] reſpice propitius ad Romanum, *ſive* Francorum benignus Imperium; ut gentes, quæ in ſua feritate confidunt, [b] dexteræ tuæ potentia comprimantur. Per.

Oremus & pro Catechumenis noſtris, ut Deus & Dominus noſter adaperiat aures præcordiorum ipſorum, januamque miſericordiæ; ut per lavacrum regenerationis, accepta remiſſione omnium peccatorum, [5] digni inveniantur in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Oremus. *Adnuntiat Diaconus ut ſupra*.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Eccleſiam tuam nova ſemper prole fœcundas, auge fidem & intellectum Catechumenis noſtris, ut renati fonte Baptiſmatis, adoptionis tuæ filiis adgregentur. Per.

Oremus, dilectiſſimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus; morbos auferat; famem depellat; aperiat carceres; vincula diſſolvat; peregrinantibus reditum, infirmantibus ſanitatem, navigantibus portum ſalutis indulgeat.

Oremus. *Adnuntiat Diaconus ut ſupra*.

Omnipotens ſempiterne Deus, mœſtorum conſolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacunque tribulatione clamantium; ut omnes ſibi in neceſſitatibus ſuis miſericordiam tuam gaudeant adfuiſſe. Per Dominum.

Oremus & pro Hæreticis, & Schiſmaticis, ut Deus & Dominus noſter eruat eos ab erroribus univerſis; & ad ſanctam matrem Eccleſiam Catholicam atque Apoſtolicam revocare dignetur. Per.

a. *Ab omnibus fideliter*. apud Pamelium, *ab omnibus tibi gradibus*.

b. *Dexteræ tuæ potentia comprimantur*. apud Pamel. & Menard. legitur *potentiæ tuæ dextera comprimantur*.

Confeſſores, ita vocati, quod Dei laudes cantarent. Unde intelliges, & nominibus Virginum *atque* Viduarum, *quæ in eadem Oratione occurrunt, accipiendas eſſe eas Virgines eaſque Viduas, quæ virginitatem aut viduitatem ſuam ſollemni ritu Deo devoverant. Conſule Du Cangium ad voces* Confeſſor.

(1) *Non ſolum apud Pamelium, ſed & in Codd.* M, O, *atque* R *legitur*; ab omnibus tibi gradibus &c.

(2) M, O, P, R. ut Deus & Dominus noſter ſubditas &c.

(3) *Iidem mox laudati Codices*: In cujus manu ſunt omnium poteſtates, & omnia jura regnorum, reſpice &c.

(4) *Cod.* O, reſpice ad Chriſtianum benignus Imperium.

(5) *Noſtri Codices illic addunt*: & ipſi.

Oremus. *Adnuntiat Diaconus ut ſupra.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui omnes ſalvas, & neminem vis perire, reſpice ad animas diabolica fraude deceptas; ut omni hæretica [1] perverſitate depulſa, errantium corda reſipiſcant; & ad veritatis tuæ redeant [2] firmitatem. Per Dominum.

Oremus & pro perfidis Judæis, ut Deus & Dominus noſter auferat velamen de cordibus eorum; ut & ipſi cognoſcant Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum.

Oremus. *Adnuntiat Diaconus ut ſupra.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui etiam Judaicam perfidiam a tua miſericordia non repellis, exaudi preces noſtras, quas [3] tibi pro illius populi obcæcatione deferimus; ut agnita veritatis tuæ luce, quæ Chriſtus eſt, a ſuis tenebris eruantur. Per Dominum.

Oremus & pro Paganis, ut Deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum; & relictis idolis ſuis convertantur ad Deum [4] verum, & unicum Filium ejus Jeſum Chriſtum [5] Dominum noſtrum. [6] Cum quo vivit & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti.

Oremus. *Adnuntiat Diaconus ut ſupra.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui non [7] mortem peccatorum, ſed vitam ſemper inquiris, ſuſcipe propitius orationem noſtram; & libera eos ab idolorum cultura, & adgrega Eccleſiæ tuæ ſanctæ ad laudem & gloriam nominis tui. Per.

Iſtis Orationibus ſupraſcriptis expletis, ingrediuntur Diaconi in [8] Sacrarium. Procedunt [9] cum Corpore & Sanguine Domini, quod ante die remanſit, & ponunt ſuper Altare. Et venit Sacerdos ante Altare, adorans Crucem Domini & oſculans. Et dicit: Oremus, *& ſequitur:* Præceptis ſalutari-

(1) *Præaudati Codices*, pravitate depoſita.

(2) *Iidem Codd. non* firmitatem *eo loci habent, ſed* unitatem.

(3) *Vocem* tibi *omittunt ibi Codices citati.*

(4) *Rurſus iidem Codd.* vivum, & verum.

(5) M. P. R. Deum & Dominum noſtrum, cum quo vivit & regnat cum Spiritu Sancto Deus. Per omnia ſecula. (6) O. qui cum eo vivit &c.

(7) O. qui non vis &c.

(8) *Mſ.* in Sacrario.

(9) Cum Corpore & Sanguine Domini. *Similia prorſus hoc in loco occurrunt & in aliis veterum monumentis, quæ laudavimus animadverſione noſtra (4) ad antiquos Mſſ. Lib. tom. v, pag. 84, ubi docuimus illum loquendi modum non denotare ſacram Euchariſtiam ſub utraque panis & vini ſpecie, ſed ſub unica panis. Videantur quæ ibi ſcripſimus: eaque confirmentur obſervando cum doctiſſimo viro Jo. Mabillonio num. XI Comment. in Ordinem Romanum hoc in loco vocari* Corpus & Sanguinem Domini, *illud idem de quo ſupra ad pag. 61 dictum fuit:* Hoc autem expleto, *ſcilicet chriſmatis benedictione*, venies ante altare: ponis in ore calicis de ipſa hoſtia. Non dicis, Pax Domini, nec faciunt pacem. Et reſervant de ipſo Sacrificio in craſtinum, und. communicent: *quibus ſane in verbis nullum occurrit indicium duplicis ſpeciei Euchariſtici Sacramenti reſervatæ in uſum Miſſæ Præſanctificatorum. Ad hæc alii veteres Ordines ſolum* Corpus Domini *vocant, quod in præſentia a noſtro Sacramentario dicitur* Corpus, & Sanguis Domini. *Ille Eccleſiæ Noviomenſis annorum* DCCC *apud Martene de antiq. Eccl. diſcipl. in div. celeb. Offic. cap. XXIII, pag. 369, ait hoc in loco:* Presbyteri vero duo priores, mox ut ſalutaverint, (*ſanctam videlicet Crucem*) intrent in Sacrarium, ubi CORPUS DOMINI fuerit poſitum, quod pridie remanſit, ponentes in patenam. Et Subdiaconus teneat ante ipſos calicem cum vino non conſecrato, & alter Subdiaconus patenam cum CORPORE DOMINI: quibus tenentibus, accipiet unus presbyter patenam, & alter calicem; & deferunt ſuper altare nudatum. *In Mſ. Pontificali Eccleſiæ Pictavienſis annorum ſimiliter* DCCC *apud eumdem Martene pag. 371 legitur hoc itidem in loco:* Tunc deſcendit ab altari cum duobus presbyteris, qui CORPUS DOMINI detulerant, & adorant Crucem. *Pontificale Eccleſiæ Biſuntinæ ab annis circiter* DC *exa-*

taribus moniti. *Et Oratio Dominica*. *Inde*. Libera nos Domine quæſumus. *His omnibus expletis adorant omnes ſanctam Crucem* [1] *& communicant*.

XLII. SABBATORUM die, mane reddunt infantes Symbolum. [2]

Prius catechizas eos, impoſita ſuper capita eorum manu, his verbis.

NEC te latet, Satanas, imminere tibi [a*] pœnas; imminere tibi tormenta; imminere tibi diem Judicii, diem ſupplicii [3], diem qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi atque univerſis Angelis tuis [4] æternus [b] veniet interitus. Proinde damnate da honorem Deo vivo [5] & vero; da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui Sancto: [6] in cujus nomine atque virtute præcipio tibi, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei, quem hodie Dominus Deus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, fontemque Baptiſmatis dono vocare dignatus eſt: ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

Inde [7] *tanges ei nares & aures de ſputo, & dicis ei ad aurem*: Ephpheta, quod eſt: Adaperire in odorem ſuavitatis. Tu autem effugare Diabole, adpropinquavit enim judicium Dei.

Poſtea vero tangis ei pectus & inter ſcapulas [8] *de Oleo exorcizato, & vocato nomine, ſingulis dicis.*

a* De pœna ignis contra dæmones uſque ad diem Judicii Patres apud Petavium Theologia Dogmatica lib. III, cap. IV, & Nat. Alexandrum Diſſert. XXVII. ſec. III.

b. *Veniet*, ita correximus, quia in exemplari mendoſe ponitur *veniat*.

ratum apud prælaudatum Martene pag. 377. Tunc præteriti diei CORPUS DOMINI conſervatum a presbyteris defertur a ſacrario in altare cum vino non conſecrato; & Pontifex inchoat excelſa voce. Oremus, præceptis ſalutaribus moniti &c. *Similia prorſus obſervantur & in Hittorpii Ordine. Amalarius etiam lib.* I *de Offic. cap.* XV, *habet*: duo presbyteri afferant poſt ſalutationem crucis CORPUS DOMINI, quod pridie reſervatum fuit, & calicem cum vino non conſecrato. *Apertiſſimis hiſce monumentis adcedit in vetuſtis Ordinibus, quemadmodum & in antiquis rerum liturgicarum Scriptoribus, adfirmari in Miſſa Præſanctificatorum, quæ Feria* VI *Paraſceves celebratur*, vinum non conſecratum ſanctificari, *vel* conſecrari immixtione panis ſanctificati, *hoc eſt ſacra hoſtia admixtione aliquam percipere benedictionem: de qua videndus eximius Mabillonius fuſe differens in Commentario ad Ordinem Romanum loco paullo ſuperius memorato. Non reſervabatur igitur Feria* VI *Paraſceves una cum pane & vinum conſecratum.*

(1) *Confer quæ diximus tom.* V. *ad p.* 88. *not.* (8).

(2) In *ultimo ſcilicet Scrutinio. Vide quæ diximus ſupra ad pag.* 49. *not.* (1) *Ordo Romanus* VI *apud Mabillonium Muſei Italici tom.* II, *num.* 9, *ait*: Ordo vero qualiter catechizantur, ita eſt. Poſt tertiam horam Sabbati procedant ad Eccleſiam, & ordinentur per ordinem, ſicut ſcripti ſunt, maſculi in dexteram, feminæ in ſiniſtram: & faciens crucem ſacerdos in frontibus ſingulorum, poſtea impoſita manu ſuper capita ſingulorum, dicat: Nec te latet Satanas &c.

(3) Sempiterni *illic addunt Codd. O, & R, & Ordo Hittorpii*.

(4) *O, & R.* præparatus ſempiternus erit interitus. Et ideo pro tua nequitia damnate atque damnande, da honorem &c.

(5) *R. voces* & vero *omittit*.

(6) *O, & R.* & Spiritui Sancto Paraclito. Et recede ab his famulis & famulabus Dei. Quos hodie Deus & Dominus noſter ad ſuam gratiam & benedictionem vocare dignatus eſt, in nomine Domini noſtri &c.

(7) *Ordo* VII *apud Mabill.* tanget presbyter ſingulorum nares & aures de ſputo oris ſui, & dicit uniuſcujuſque ad aurem. Effeta, quod eſt adaperire, in odore ſuavitatis, & reliqua. Hac expleta, ambulat in circuitu impoſita manu ſuper capita eorum, decantando excelſa voce. Credo in unum Deum.

(8) *O, & R.* de oleo ſancto &c.

Abrenuntias Satanæ.

℟. Abrenuntio.

Et omnibus operibus ejus.

℟. Abrenuntio.

Et omnibus pompis ejus.

℟. Abrenuntio.

Inde vero dicis Symbolum, impoſita manu ſuper capita ipſorum.

Poſtea vero dicitur eis ab Archidiacono; Orate Electi, flectite genua. Complete orationem veſtram in unum, & dicite, Amen. *Et reſpondent omnes*, Amen.

Iterum admonentur ab Archidiacono his verbis, Catechumeni recedant. Omnes Catechumeni exeant foris.

Iterum[1] *dicit Diaconus.*

Filii chariſſimi revertimini[a] in locos veſtros[b] & expectantes horam, qua poſſit circa vos Dei gratia Baptiſmum operari.

SEQUITUR ORDO qualiter Sabbato Sancto ad Vigiliam ingrediantur.

Primitus enim[2] VIII. *hora diei mediante, procedunt ad Eccleſiam; & ingrediuntur in Sacrarium, & induunt ſe veſtimentis ſicut mos eſt. Et incipit Clerus Letaniam: & procedit Sacerdos de Sacrario cum Ordinibus ſacris. Veniunt ante Altare, ſtantes inclinato capite uſque dum dicent:* Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſ. *Deinde ſurgens Sacerdos ab oratione, vadit retro Altare, ſedens in ſede ſua.*

Deinde veniens Archidiaconus ante Altare, accipiens de lumine,[3] *quod* VI. *Feria abſconſum fuit, faciens crucem ſuper Cereum, & inluminans eum: & completur ab ipſo benedictio*[c*] *Cerei.*[4]

Deus

a. In locos veſtros. ita correximus ex Ord. Romano, quia perperam in exemplari legitur *in locis veſtris*.

b. Et expectantes. In Ordine Rom. ponitur *expectantes*.

*c** De Cereo Paſchali, Epiſt. ad Præſidium Diaconum inter Opera S. Hieronymi tom. IX. quæ epiſtola ſcripta eſt anno 383 ex Labbe de Scriptoribus Eccleſiaſt. pag. 443, & ſequent.

(1) *Ordo laudatus apud Mabill.* Iterum ammonentur ab Archidiacono.

(2) Primitus enim VIII. hora diei. *Confer quæ occurrunt hoc loco in antiquis Miſſarum libris, quæque ibidem adnotavimus. Tom. V, pag. 89, not.* (2)

(3) Quod VI. Feria abſconſum fuit. *Monui ad præſentem locum in antiq. Miſſ. lib. pag. 90. not.* (1) *pleroſque veteres libros ita ſe habere: innuunt nimirum Feria* VI *majoris hebdomadæ lumen fuiſſe abſconditum in Eccleſiis, ut Sabbati ſancti ritibus inſerviret. In oculis habemus Gelaſianum hunc noſtrum, alios loco mox laudato recenſuimus; alterum memorat Menardus nota 300. ad Greg. Sacram. qui cum Gelaſiano iiſdem omnino verbis conſentit. At alia monumenta præ ſe ferunt lumen abſconditum fuiſſe Feria* V, *non feria* VI. *Unum vulgavit Thomaſius in iiſdem antiq. Miſſ. Lib. eodem jam memorato loco. Alterum habemus ex Mſ. Pontificali Eccleſiæ Pictavienſis annorum circiter* DCCC *apud Martene de antiq. Eccleſ. diſcipl. in divin. celeb. Officiis cap.* XXII, *pag. 284. Inſigne præterea eſt illud Zachariæ Summi Pontificis in Epiſt.* XII *ad S. Bonifacium, ubi hæc ait:* De igne autem Paſchali quod inquiſiſti, a ſanctis priſcis Patribus, ex quo per Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti gratiam, & pretioſo ſanguine ejus Eccleſia dedicata eſt, quinta feria Paſchæ, dum ſacrum chriſma conſecratur, tres lampades magnæ capacitatis, ex diverſis candelis Eccleſiæ oleo collecto, in ſecretiori Eccleſiæ loco, ad figuram interioris tabernaculi inſiſtente, indeſinenter cum multa diligentia ardebunt; ita ut oleum ſufficere poſſit uſque ad tertium diem, de quibus candelis Sabbato ſancto pro ſacri fontis baptiſmate ſumptus ignis per ſacerdotem renovabitur. *Hæc Zacharias. Teſtimonium ſane luculentum. Cur vero in aliquibus veterum membranis legatur Feria* VI, *fateor me ignorare.*

(4) *De vetuſtiſſimo ritu benedicendi hac die Cereum Paſchale dicturi ſumus infra ad hunc locum Miſſalis Gothici. Ceterum inſequentem proxime orationem ad Cereum benedicendum vide & apud Hittorp. & apud Menardum not. 300 ad Greg. Sacrament.*

Deus mundi conditor, auctor luminis, ſiderum fabricator: Deus, qui jacentem mundum in tenebris luce perſpicua retexiſti: Deus, per quem ineffabili potentia omnium claritas ſumpſit exordium; Te in tuis operibus invocantes, in hac ſacratiſſima noctis Vigilia de donis tuis Cereum tuæ ſuppliciter offerimus majeſtati; non adipe carnis pollutum; non profana unctione vitiatum; non ſacrilego igne contactum: ſed [a*] cera, oleo, atque [1] papiro [b] conſtructum; in tui nominis honore ſuccenſum, obſequio religioſæ devotionis offerimus. Magnum igitur Myſterium, & noctis hujus mirabile Sacramentum dignis neceſſe eſt laudibus cumulari. In quo Dominicæ Reſurrectionis miraculo diem ſibi introductum tenebræ inveteratæ ſenſerunt. Et mors, quæ olim fuerat æterna nocte damnata, inſerto veri fulgoris lumine, captivam ſe trahi Dominicis triumphis obſtupuit. Et quod, prævaricante primo [c] Plaſto, tenebroſa præſumptione fuerat in [d] ſervitutem damnatum, hujus noctis miraculo ſplendore [2] liberatis inradiat. Ad hujus ergo Feſtivitatis reverentiam fervore Spiritus deſcendentes, quantum devotio humana exigit, tibi Deo fulgore flammarum placida luminaria exhibemus: ut dum hæc fide integra perſolvuntur, creaturæ tuæ etiam præconia [e] extollantur. Flammæ lux quippe dicenda eſt, per [f] quam poteſtas Deitatis [g] Moyſi apparere dignata eſt: quæ de terra ſervitutis populo exeunti ſalutifero lumine ducatum exhibuit: quæ tribus pueris in camino ſententia tyranni depoſitis, vitam blandimentis mollioribus reſervavit. Nam ut præcedente hujus luminis gratia, tenebrarum horror excluditur; ita, Domine, luceſcente majeſtatis tuæ imperio peccatorum ſarcinæ [h] diluantur. Cum igitur hujus ſubſtantiæ miramur exordium, Apum neceſſe eſt laudemus originem. Apes vero ſunt frugales in ſumptibus, in procreatione caſtiſſimæ: ædificant cellulas ceræ liquore [i] fundatas; [k] quas humanæ peritiæ ars magiſtra non coæquat. Legunt pedibus flores, & nullum

*a** De cera, oleo, papyro. Prudentius in Hymno Paſchali.

b. Conſtructum. *leg.* conſtrictum. * *Conſtructum*. ita correximus ex Ordine Rom. cum in exemplari legatur *conſtrictum*.

c. *Plaſto*. ita emendatum ex Ordine Rom. ſiquidem in exemplari legitur *plauſtro*.

d. *Servitutem*. ſic emendavimus, quia in exemplari ſcribitur *ſervitute*.

e. *Extollantur*. emendatum, exemplar enim habet *extolluntur*.

f. *Quam*. correctum; ſiquidem, exemplar perperam habet *quem*.

g. Moyſi. *leg.* Moyſe.

h. *Diluantur*, ex Ord. Romano ita repoſuimus: Codex *deluantur* habet.

i. *Fundatas; quas*. ita emendatum ex Ordin. Rom. nam in exemplari mendoſe legitur *fundatus, quarum*.

k. Quas. *leg.* quarum.

(1) *Papyrum, hoc eſt juncum ſeu cannam, quæ in ripparum marginibus & præcipue in Ægypti paluſtribus creſcit, adhibitam fuiſſe in cereorum, lucernarum, & lampadum uſum, compertum eſt eruditis. Qua de re vide, qui veterum loca collegerunt, Menardum loco mox citato, Sanmarthanum in notis ad cap. v. lib. primi Dialog. Greg. Magni, Du-Cangium ad hanc vocem, &c.*

(2) Libertatis *ibi legitur apud Hittorp. & Menard.*

lum damnum in floribus invenitur. [a*] Partus non edunt; ſed ore legentes, concepti fœtus reddunt examina; ſicut exemplo mirabili Chriſtus ore paterno proceſſit. Fœcunda eſt in his ſine partu Virginitas: quam [b] utique Dominus ſequi dignatus, carnalem ſe matrem habere Virginitatis amore conſtituit. Talia igitur Domine digne ſacris Altaribus tuis munera offeruntur; quibus te lætari Religio Chriſtiana non ambigit.

Benedictio ſuper Incenſum:

Veniat ergo, omnipotens Deus, ſuper hunc incenſum larga tuæ benedictionis infuſio; & hunc nocturnum ſplendorem inviſibilis [c] regnator intende: ut non ſolum ſacrificium, quod hac nocte litatum eſt, arcana luminis tui admixtione refulgeat; [1] ſed [d] quocumque loco ex hujus aliquid [e] ſanctificationis fuerit myſterio deportatum, expulſa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ majeſtatis adſiſtat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum; qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſt hoc ſurgens Sacerdos a ſede ſua, & dicit Orationes de Vigilia Paſchæ, [2] *ſicut in Sacramentorum continetur.*

XLIII. ORAT. PER SINGULAS Lectiones in Sabbato Sancto.

DEus, qui divitias miſericordiæ tuæ in hac præcipue nocte largiris, propitiare univerſo Ordini Sacerdotalis officii; & omnes Gradus famulatus noſtri perfecta delictorum remiſſione ſanctifica: ut miniſtraturos [f] regeneratrici gratiæ tuæ, nulli eſſe obnoxios patiaris [g] offendi. Per.

Sequi-

a* Vide S. Auguſt. lib. III. de Trinitate cap. VIII.

b. *Utique*. ſic correctum ex Ord. Rom. cum in exemplari *utque* legatur.

c. *Regnator intende*. in Miſſali Rom. *regenerator accende*.

d. *Quocumque loco*. in Miſſali Rom. *in quocunque loco*.

e. *Sanctificationis*. in Miſſali Romano additur *myſterio*.

f. *Regeneratrici*. ita correximus ex Miſſali Card. Sanctorii, cum in exemplari mendoſe ſcribatur *regnerati*.

g. *Offendi*. in Miſſali Card. Sanctorii habetur *offenſioni*.

(1) *Referuntur ea verba ad morem veterum Chriſtianorum, qui decerptas e Cereo Paſchali particulas domi ſecum deferebant, ut earum beneficio munirentur adverſus tempeſtates, & diabolicos incurſus. Vide Ennodium Ticinenſem Epiſcopum in utraque ſua Cerei Paſchalis benedictione. Ex illo more ortam deinde fuiſſe volunt aliqui agnorum cereorum benedictionem.*

(2) Sicut in Sacramentarum continetur. *Citatum hæc vides librum Sacramentorum. Res ſimilis prorſus invenitur in Cod. Biblioth. Regiæ* DCCCC *annorum apud Martene de antiq. Eccleſ. diſcipl. in divin. celeb. Offic. cap.* XXIV: *in Gregorii libro Sacram. Cod. S. Eligii, in Ordine Feriæ* VI *hujus hebdomadæ, unde Menardus not. 285, ſuam firmare contendit opinionem de duplici apud veteres liturgico libro, quorum unus vocetur* Liber Sacramentorum, *alter vero* Sacramentarium. *Quodcumque judicium feras de ea opinatione, cui porro nullus ſubſcriberem, ex noſtro hoc loco firmari illa haudquaquam poſſet: nam illæ* Orationes de Vigilia Paſchæ, *quæ ibi dicuntur contineri* in Sacramentorum *libro, eæ ſunt, quæ in præſenti illico ſequuntur, quarum prima incipit:* Deus qui divitias, *& ſingulis lectionibus ſubnectuntur: Id aperte evincitur ex Cod. A. Biblioth. Angelicæ in antiq. Miſſ. Libris, Tom.* V, *pag.* 90. *in quo legitur:* Et completa ab ipſo (*Archidiacono*) benedictione Cerei, dicit Sacerdos Orationem hanc: Deus qui divitias, qua prædicta incipiant prima Lectio: In principio fecit Deus. *In Mſ. Pontificali Eccleſiæ Trecenſis ante annos* DCCC *exarato, apud Martene loco prælaudato in præſentia invenitur:* Si vero Lectiones ſecundum Gelaſium recitandæ fuerint, poſt benedictionem Cerei, antequam legatur pri-

Sequitur Lect. In principio fecit Deus.

Deus incommutabilis virtus, lumen æternum, reſpice propitius ad totius Eccleſiæ tuæ mirabile Sacramentum; & opus ſalutis humanæ perpetuæ diſpoſitionis effectu tranquillus operare: totuſque mundus experiatur & videat dejecta erigi, inveterata novari, & per ipſum redire omnia in integrum, a quo ſumpſere principium. Per.

Sequitur de Noe.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in omnium operum tuorum diſpenſatione mirabilis es, intelligant redempti tui non fuiſſe excellentius, quod initio factus eſt mundus; quam quod [a] in finem ſæculorum Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Per eundem Dominum.

De Abraham Tertia.

Deus fidelium Pater ſumme, qui in toto orbe terrarum promiſſionis tuæ filios, diffuſa adoptione, multiplicas: & [b] Paſchale Sacramentum Abraham puerum tuum univerſarum, ſicut juraſti, Gentium efficis patrem: da populis tuis digne ad gratiam tuæ vocationis intrare. Per.

In Exodo Quarta cum Cantico. Cantemus Domino.

Deus, cujus antiqua miracula etiam noſtris ſæculis coruſcare ſentimus; dum quod uni populo a perſecutione Aegyptia liberando, dexteræ tuæ potentia contuliſti; id in ſalutem Gentium per aquam regenerationis operaris: præſta, ut & in Abrahæ filios & in Iſraeliticam dignitatem totius mundi tranſeat plenitudo. Per.

In Eſaia V.

Omnipotens ſempiterne Deus, multiplica in honorem nominis tui, quod Patrum fidei ſpopondiſti; & promiſſionis filios ſacra adoptione dilata: ut quod priores ſancti non dubitaverunt

a. *In finem.* in Ambroſiana Miſſa apud Pamelium legitur *in fine*.
b. *Et Paſchale.* in Ambroſiana Miſſa apud Pamelium habetur *& per Paſchale.*

prima lectio, In principio creavit Deus, dicitur a Sacerdote Oratio hæc: Deus qui divitias miſericordiæ tuæ. *Ex hoc teſtimonio mox relato colligimus Lectionibus hujus diei indicatam Orationem præmittere Gelaſii ritum eſſe Et revera in Gregorianis illa non habetur; & in illo S. Eligii diſerte cavetur ne ea dicatur, legitur enim:* Ante In principio, non dicit Orationem. *In aliis vero Ordinibus, & in Sacramentariis Gregorianis abſoluta Cerei benedictione præcipitur, ut ſtatim Lectio* In principio creavit Deus, *inchoetur: Et Ven. noſter Thomaſius in ſuo Orationali Tom. ſI, pag. 463 ait ad hanc diem:* Veſpere Sabbati cum ingrediuntur ad Vigilias .... mox benedicitur Cereus Paſchalis: deinde recitantur duodecim Lectiones, ſingulisque Lectionibus Oratio ſubnectitur. *Dubium igitur ſupereſſe nullum videtur librum* Sacramentorum *heic adlegatum alterum non eſſe a præſenti Codice, in quo ille adlegatur; & adlegationem illam idem omnino denotare, ac ſi legeretur,* ſicut in præſenti Libro continetur. *Cur autem Scriptor veteris membranæ ſcripſerit,* ſicut in Sacramentorum continetur, *& non quod expeditius, & apertius,* ſicut heic, *vel infra,* ſequitur; *ſi conjicere aliquid liceat, dicerem haſce rubricas, quæ ſane nil aliud ſunt, quam fragmenta veteris Ordinis Romani, quum fortaſſe initio non extarent in hujuſmodi libris Sacramentorum, quemadmodum demonſtrare poſſet vetuſtiſſimus ille ex Codice Veronenſi a Joſepho Blanchino editus in Proleg. ad tomum Anaſtaſii IV; paullatim deinde invectas fuiſſe ab exſcriptoribus, ut Cleri utilitati & commodo inſervirent, ex ipſis Ordinum Romanorum libris, in quibus comperto eſt legentes haud raro ad librum Sacramentorum remitti. Quod dum præſtitum fuit, illorum Ordinum verba ſervata ſunt, ut in priori libro legebantur, neque locis, quibus adſuebantur, accommodata. Hæc ſi veriſimilia reputentur, dubium nullum remanebit librum Sacramentorum a Sacramentario non diſtingui.*

runt futurum, Eccleſia tua magna jam parte cognoſcat impletum. Per.

In Ezechiel VI.

Deus, qui nos ad celebrandum Paſchale Sacramentum, [a] utriuſque teſtamentum paginis [1] imbuiſti; da nobis intelligere [2] miſericordias tuas, ut ex perceptione præſentium munerum firma ſit expectatio futurorum. Per.

VII. In Eſaia cum Cantico.
Vinea Domini.

Deus, qui in omnibus Eccleſiæ tuæ filiis ſanctorum Prophetarum voce manifeſtaſti; in omni loco dominationis tuæ ſatorem te bonorum ſeminum & electorum palmitum eſſe cultorem: tribue populis tuis, qui & vinearum apud te nomine cenſentur & ſegetum; ut ſpinarum & tribulorum ſqualore reſecato, digni efficiantur fruge fœcundi. Per.

Item in Exodo VIII.

Deus, qui diverſitatem omnium Gentium in confeſſione tui [b] nominis unum eſſe feciſti, da nobis & velle & poſſe quod præcipis; ut populo ad æternitatem vocato una ſit fides mentium, & pietas actionum. Per.

[c] *VIIII. In Deuteronomio cum Cantico.*

Deus celſitudo humilium, & fortitudo rectorum, qui per ſanctum Moyſen puerum tuum, ita erudire populos tuos ſacri carminis tui decantatione voluiſti; ut illa Legis iteratio fieret etiam noſtra directio: excita in omnem juſtificatarum Gentium plenitudinem potentiam tuam, [d] & lætitiam mitigando terrorem: ut omnium peccatis tua remiſſione deletis, quod denuntiatum eſt in ultionem, tranſeat in ſalutem. Per.

In Daniele X. [3]

Omnipotens ſempiterne Deus, ſpes unica mundi, qui Prophetarum tuorum præconio præſentium temporum declaraſti myſteria; auge populi tui vota placatus; quia in nullo fidelium, niſi ex tua inſpiratione proveniunt quarumlibet incrementa virtutum. Per.

Orat. poſt Pſalm. XLI.

Omnipotens ſempiterne Deus reſpice propitius ad devotionem populi[4] renaſcentis; qui ſicut cervus, aquarum [5] expectat fontem; & concede propitius, ut fidei ipſius ſitis, Baptiſmatis myſterio, animam corpuſque ſanctificet.

Inde

a. Utriuſque. *leg*. utriſque.

* *Utriuſque*. ita emendavimus ex Pamelio, cum in exemplari perperam legatur *utriſque*.

b. *Nominis unum eſſe feciſti*. in Miſſali Card. Sanctorii legitur *nominis adunaſti*.

c. VIIII. *dele*. *d*. *Et lætitiam*. In Miſſali Card. Sanctorii legitur, *& da lætitiam*.

(1) *M, O, P, R*, inſtruis.

(2) *Iidem Codices uno excepto* O, miſericordiam tuam.

(3) *Decem heic numerantur Lectiones: quod nec omnibus temporibus nec omnibus Eccleſiis commune fuit. In Codice S. Eligii octo numerantur: In Pamelianis quatuor, quos imitantur & noſtri O, & R. Vide Ed. Martene de antiq. Eccl. diſcipl. in divin. celeb. Off. cap.* XXIV, *num.* XIII, *& ſequentibus. Vide Ven. Thomaſ. in ſua Præfat.*

(4) *P*. Populi tui.

(5) *M, & P*. aquarum tuarum expetit fontem;

Inde procedunt ad fontes cum Letania ad baptizandum. Baptiſmo expleto[1] *conſignantur ipſi infantes ab Epiſcopo, dum accipiunt ſeptem dona gratiæ Spiritus Sancti, & mittit Chriſma in frontibus eorum.*

Poſtea vero ipſe Sacerdos revertitur cum omnibus Ordinibus in Sacrarium: & poſt paululum incipiunt tertiam Letaniam: & ingrediuntur [a*] *ad Miſſas in Vigilia,*[2] *ut ſtella in cælo apparuerit. Et ſic temperent, ut*[3] *in trinitatis numero ipſæ Letaniæ fiant.*

XLIIII. INDE DESCENDIS cum Letania ad Fontem.

BENEDICTIO FONTIS.[4]

OMnipotens ſempiterne Deus, adeſto magnæ pietatis tuæ myſteriis; adeſto Sacramentis: & ad creandos novos populos, quos tibi fons Baptiſmatis parturit, ſpiritum adoptionis emitte: & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis compleatur effectu. Per.

ITEM CONSECRATIO Fontis.[5]

[b*] Deus, qui inviſibili potentia tua, Sacramentorum tuorum mirabiliter operaris [c] effectum; & licet nos tantis myſteriis exequendis ſimus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non [6] deſeris; etiam ad noſtras preces aures tuæ pietatis inclina. Deus, cujus Spiritus ſuper aquas inter ipſa mundi primordia ferebatur; ut jam tunc virtutem ſanctificationis aquarum natura conciperet. Deus, qui nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis ſpeciem in ipſa diluvii effuſione ſignaſti,

a* De Miſſa Sabbati Sancti ad Veſperam præcedentibus Lectionibus, Orationibus &c. epiſt. Ceolfridi apud Bedam in Hiſt. Anglorum lib. v, cap. 22, & lib. III, cap. 25.

b* *In ſono precis. Præfatio.*

Dominus vobiſcum &c. Surſum corda &c.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare &c. æterne Deus, qui inviſibili potentia &c.
Ex volumine membranaceo Baptiſmi Ritus.

c. *Effectum*. ita correximus ex Pamelio, in exemplari eſt *affectum*.

(1) Conſignantur, *hoc eſt Confirmationis Sacramento donantur: conſignare enim hoc in loco denotat in fronte baptizati, Chriſmate Crucis ſignum efformare. Innocentius I, epiſt. ad Decentium Eugubinum, quæ eſt XXV apud Couſtantium, pag. 858, ait*: De conſignandis vero infantibus manifeſtum eſt, non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere.

(2) Ut ſtella in cælo apparuerit, *hoc eſt*, ut nox advenerit. *Vide quæ diximus tom. v. pag. 94. not* (1)

(3) Ut in trinitatis numerum ipſæ Litaniæ fiant. *Ut ſcilicet Litania ter pronuncietur, terque ab omnibus reſpondeatur. Confer quæ occurrunt in antiq. Miſſ. libris ad hunc locum tom. prælaudato.*

(4) *Cod. O. heic ſubjungit*: Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Omnipotens, *Et Menardi Codex præcipit, ut hæc oratio incipiat a ſalutatione* Dominus vobiſcum. *Vide & Ordinem x apud Mabill. num. 20. Cetera de antiquitate ritus benedicendi aquam, qua Baptiſmi Sacramentum erat deinde miniſtrandum videantur paſſim harum rerum ſcriptores, qui veterum doctrinas collegerunt. & præcipue Menardus atque Martene.*

(5) *Sacram. Menardi illic habet*: Conſecratio Fontis canitur ſicut Præfatio, uſque. Et Spiritus Sancti: & non incipit a Vere dignum. Deinde dicitur decantando. Deus qui inviſibili &c. *Contra Cod. O, P, & Ordo x Mabill. prælaudatus illud fieri jubent: imo P, & Ordo incipiunt a ſalutatione* Dominus vobiſcum. *Cod. O, a vocibus*: Surſum corda. ℟. habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt. Vere dignum & juſtum ...... Deus qui inviſibili. *Vide & antiq. Miſſ. Libros, tom. v, pag. 92.*

(6) M, O, P, R. non deſerens.

ſti ; [a] unius ejuſdemque elementi myſterio & finis eſſet vitiis, & origo [1] virtutum. Reſpice Domine in faciem Eccleſiæ tuæ, & multiplica in ea [2] generationes tuas ; [b] qui gratiæ tuæ [3] effluentis impetu lætificas civitatem tuam ; Fontemque Baptiſmatis aperis toto orbe terrarum gentibus innovandis ; ut tuæ majeſtatis imperio ſumat Vnigeniti tui gratiam de Spiritu Sancto: [4] qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam arcana ſui luminis admixtione fœcundet. Vt ſanctificatione concepta ab immaculato divini Fontis [c*] utero in novam renata creaturam progenies cæleſtis emergat : & quos aut ſexus in corpore, aut ætas diſcernit in tempore, omnes in unam [d] pareat Gratia [5] Mater infantiam. Procul ergo hinc, jubente te, Domine, omnis ſpiritus immundus abſcedat ; procul tota nequitia Diabolicæ fraudis abſiſtat. Nihil hic loci habeat contrariæ virtutis ammixtio ; non inſidiando, circumvolet ; non latendo, ſubripiat ; non inficiendo, corrumpat. Sit hæc ſancta & innocens creatura libera ab omni impugnatoris incurſu, & totius nequitiæ purgata diſceſſu. Sit Fons vivus [6] aquæ regenerans, unda purificans : ut omnes hoc lavacro ſalutifero diluendi, operante in eis Spiritu Sancto, [e] perfecti purgationis indulgentiam conſequantur.

Hic ſignas.

Vnde benedico te creatura Aquæ per Deum vivum, per Deum ſanctum, per Deum, qui te [7] in principio verbo ſeparavit ab arida, [8] & in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit. Qui te in deſerto amaram, ſuavitate indita, fecit eſſe potabilem ; & ſitienti populo de petra produxit. Benedico te & per Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum. Qui te in Chana Galileæ ſigno ammirabili ſua potentia convertit in vinum. Qui pedibus ſuper te ambulavit ; & a Johanne in Jordane in te baptizatus eſt. Qui te una cum ſanguine de latere ſuo produxit ; & diſcipulis ſuis juſſit, ut credentes baptizarentur in te, dicens : Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

[9] *Hic ſenſum mutabis.* [f]

Hæc nobis præcepta ſervantibus tu Deus omnipotens clemens adeſto, tu benignus aſpira. Tu has ſimplices Aquas tuo ore benedicito : ut præter naturalem

a. *Unius*. apud Pamel. habetur, *ut unius*.
b. *Qui*. ita correctum ex Pamelio, in exemplari enim mendoſe ponitur *quæ*.
c* Amalarius citat lib. 1, cap. 22.
d. Pareat, *leg.* pariet.
e. *Perfecti*. apud Pamel. eſt *perfectæ*.
f* ...... *in ſono Lectionum*. In volumine membranaceo Ordinis Baptiſmi.

(1) *Iidem Codices*, virtutibus.
(2) M, & P. regenerationes.
(3) M, O, P. affluentis.
(4) *In Gregorianis* M, O, P, & *in Ord.* x *apud Mabill. heic monetur Sacerdos ut* cum manu ſua dividat aquam in modum Crucis. *Cujus ritus antiquitas comprobatur ex Auguſt. qui ſerm.* CLXXXI. *de tempore ait :* Hoc enim ſigno Crucis conſecratur corpus Dominicum, ſanctificatur fons baptiſmatis. *Vide ejuſdem Patris & tractatum* CXVIII. *in Johan.*
(5) P. gratia tua.
(6) M, O, P, R. aqua regenerans.
(7) M. in mundi creatione, in principio.
(8) M, O, P, R. *illic addunt*, cujus ſpiritus ſuper te ferebatur, qui te de paradiſo manare, & in quatuor &c.
(9) *Laudati ſæpe mſſ. Codices illic aiunt.* Hic muta vocem quaſi Lectionem legens.

turalem emundationem, quam lavandis poſſunt adhibere corporibus, ſint etiam purificandis mentibus efficaces.

[a*] Deſcendat [1] in hanc plenitudinem Fontis virtus Spiritus tui, [2] & totam hujus aquæ ſubſtantiam [b] regenerandi fœcundet effectu. [c*] Hic [3] omnium peccatorum maculæ deleantur; Hic natura ad imaginem tuam condita, & ad honorem ſui reformata principii, cunctis vetuſtatis ſqualoribus emundetur. Vt omnis homo hoc Sacramentum regenerationis ingreſſus, [4] in vera innocentia nova infantia renaſcatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui venturus eſt [5] in Spiritu Sancto judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem. [d*]

Inde [6] benedicto Fonte, baptizas unumquemque in ordine ſuo, ſub [e] his interrogationibus. [f*]

Credis in Deum Patrem omnipotentem. [g*] ℟. Credo.

Credis & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum. ℟. Credo.

Credis & in Spiritum Sanctum; Sanctam Eccleſiam; Remiſſionem peccatorum; Carnis reſurrectionem. ℟. Credo.

Deinde per ſingulas vices mergis eum

K 2 *tertio*

[a*] *Hic mittat cereum in fonte.* In volumine membranaceo Ritus Baptiſmi.

b. *Regenerandi.* Ita correctum ex Pamelio; nam in exemplari legitur *regenerandis*.

[c*] *Hic ſufflas in aquam tribus vicibus.* Item in eodem volumine.

[d*] Item in præfato volumine. *Amen. Hoc expleto mittat chriſma in fontem tribus vicibus, in modum Crucis. Et poſt hæc interrogat nomen infantis, & dicit: Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ? Et pater, qui eum ſuſcepturus eſt: Credo. Et in Jeſum Chriſtum &c. Et in Spiritum Sanctum &c. Vis baptizari?* ℟. *Volo. Et ego te baptizo in nomine Patris, et mergit ſemel; et Filii, et mergit iterum; et Spiritus Sancti, et mergit tertio.*

e. *His interrogationibus.* Sic emendatum, nam in exemplari mendoſe legebatur *has interrogationes*.

[f*] S. Cyprianus epiſt. LXXVI ad Magnum. Acta Martyrum. S. Dionyſius Eccl. Hierarchia cap. XI, par. II. Vide S. Auguſtinum lib. VI contra Donatiſtas cap. 25, & lib. VII, cap. 53. Vide etiam IV. diſt. III. §. 3, & 4. S. Ambroſius de Sacramentis. Gerardi Jo. Voſſii de Baptiſmo Diſput. Auctarium Biblioth. PP. &c.

[g*] Symbolum baptizandi reddebant de loco eminentiore. S. Aug. lib. VIII, Confeſs. cap. 2.

(1) *Heic juxta memoratum Ordinem a Mabill. vulgatum ponendi ſunt cerei in aquam, & proſequendum priſtino vocis tono.*

(2) *Eo loco præcipit prælaudatus mox Ordo Romanus trinam inſufflationem in aquam. Vide memorata ſæpe Sacram: & antiq. Miſſ. Libros, tom. V, pag. 93.*

(3) *Ordo apud Mabill. ait eo loci:* hic tollantur Cerei.

(4) *Alii Codices.* In veræ innocentiæ novam infantiam.

(5) *Voces* in Spiritu Sancto *omittunt M, O, P, R,*

(6) *Modum Fontis benedicendi tradunt paſſim mſſ. exemplaria, quæ tamen produnt unicum omnino neque ſimilem omnibus fuiſſe. Placet heic exſcribere illum Romani Ordinis X apud Mabill. qui hiſce verbis exprimitur poſt abſolutam ſuperiorem Conſecrationem:* Hic tollatur de aqua benedicta ad ſpargendum in omni loco, ubicumque voluerit. Poſtea infundat chriſma in fontem in modum crucis ſuper ipſam aquam dicens: Sancti ✝ ficetur, fecundetur fons iſte in nomine Pa✝tris & Fi✝lii, & Spiritus ✝ Sancti, amen. Tunc miſceat ipſum chriſma cum eadem aqua & ſpargat cum manu per totum fontem.

tertio in aqua. Poſtea cum aſcenderit a [a*] *Fonte infans* [1] *ſignatur a Presbytero in cerebro de Chriſmate, his verbis.*

Deus, omnipotens Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto; quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum; ipſe te linit Chriſma [2] ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro in vitam æternam. ℟. Amen.

Deinde ab Epiſcopo datur eis Spiritus Sеptiformis. [3] *Ad conſignandum imponit eis manum in his verbis.*

Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui regeneraſti famulos tuos ex aqua & Spiritu Sancto; quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum: Tu Domine inmitte in eos Spiritum Sanctum tuum Paraclitum; & da eis Spiritum Sapientiæ, & Intellectus; Spiritum Conſilii, & Fortitudinis, Spiritum Scientiæ, & Pietatis. Adimple eos Spiritu Timoris Dei in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: cum quo vivis & regnas Deus ſemper cum Spiritu Sancto, per omnia ſæcula ſæculorum. [b] ℟. Amen.

Poſtea ſignat eos in fronte de Chriſmate dicens: Signum Chriſti in vitam æternam. ℟. Amen.

Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Inde vero cum Letania [4] *aſcendit ad ſedem ſuam, & dicit:* Gloria in excelſis Deo.

XLV. ORAT. ET PREC. ad Miſ. in nocte.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui hanc ſacratiſſimam [5] noctem per univerſa mundi ſpatia gloria Dominicæ Reſurrectionis inluſtras; conſerva [6] in nova familiæ tuæ progenie ſanctificationis ſpiritum, quem dediſti; ut corpore & mente renovati, puram tibi animam & purum pectus ſemper exhibeant. Per Dominum.

[7] Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem [c] gloria Dominicæ Reſurrectionis inluſtras; conſerva in nova familiæ tuæ progenie adoptionis ſpiritum; quem dediſti; ut corpore & mente renovati, puram tibi exhibeant ſervitutem. Per Dominum.

SE-

a* Ex eodem volumine membranaceo .... *de Fonte faciat ipſe Sacerdos ſignum Crucis de chriſma cum pollice in vertice dicens hanc Orationem: Deus omnipotens Pater Domini noſtri &c.* Super lineam illam .... *de fonte faciat &c.* antiqua manu ſuprascripta erant hæc verba: *Accipientibus in Fonte Patrinis et uſque genua in Fonte ſuſtentationibus faciat Presbyter.*

b. ℟. *dele.*

c. Gloria. *leg.* glorioſæ.

* *Gloria*. Ita correctum ex Pamelio, cum in exemplari perperam habeatur *glorioſæ*.

(1) *Vide eximium Menardum not. 324 ad Greg. Sacram.*

(2) *M, O, P, R.* Chriſmate ſalutis in vitam æternam. ℟. Amen.

(3) *Scilicet ad dandum Confirmationis Sacramentum, de quo ſtatim poſt Baptiſmum conlato fuſe inter ceteros recentiores agunt Menardus atque Martene.*

(4) ternæ *ſcilicet, de qua vide ſuperiorem notam (3) pag. 73. & tom. v, pag. 94, & 95.*

(5) *Noctis illic fit mentio, quod revera hoc Miſſæ Officium nocte præcedente ſanctum Paſchatis diem fiebat, qua de re videndi vulgatus Alcuinus, Amalarius lib. 1, cap. xvi. Rabanus lib. 11 de Inſt. Cler. cap. xxxviii. Alia vide apud Menardum not. 337.*

(6) *Mſ. & Cod. O habent:* in novam familiæ tuæ progeniem.

(7) *Ita ad hanc formam redacta, Oratio hæc legitur in exemplis Gregorianis, e quibus fortaſſe illam exſcripſit noſtri hujus Codicis ſcriptor.*

SECRETA.

Suſcipe, quæſumus, Domine & plebis tuæ & tuorum Hoſtias renatorum; ut & confeſſione tui nominis, & Baptiſmate renovati, ſempiternam beatitudinem conſequantur. Per Dominum.

ITEM ALIA.

Suſcipe, Domine, preces populi tui cum oblationibus Hoſtiarum, ut paſchalibus [1] initiata myſteriis ad æternitatis nobis medelam, te operante, proficiant. Per Dominum.

VD Et juſtum eſt, æquum & ſalutare. Adeſt enim nobis optatiſſimum tempus; & deſideratæ noctis lumen advenit. Quid enim majus vel melius inveniri poterit, quam Domini reſurgentis prædicare virtutem? Hic namque inferorum clauſtra diſrumpens, [a] clariſſima nobis hodie ſuæ Reſurrectionis vexilla ſuſcepit; atque hominem, remeans, invidia inimici dejectum mirantibus intulit aſtris. O noctis iſtius myſtica & veneranda commercia! O ſanctæ matris Eccleſiæ pia ſempiterna beneficia! Non vult habere, quod perimat; ſed cupit invenire, quod redimat. Exultavit Maria in ſacratiſſimo [b] puerperio. Exultat Eccleſia in filiorum ſuorum generationis ſpecie. Sic fons ille beatus, qui Dominico latere [c] circumfulſit, moles excepit vitiorum; ut his ſacris Altaribus vitales eſcas perpetua vita conferat renatorum: Et ideo cum Angelis.

VD Te quidem omni tempore; ſed in hac potentiſſima nocte glorioſius prædicare, cum Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Ipſe enim verus eſt Agnus, qui abſtulit peccata mundi; qui mortem noſtram, moriendo, deſtruxit; & vitam reſurgendo, reparavit. Propterea profuſis paſchalibus gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed & ſupernæ Virtutes atque Angelicæ concinunt Poteſtates hymnum gloriæ tuæ, ſine fine dicentes.

INFRA ACTIONEM.

Communicantes, & noctem ſacratiſſimam celebrantes Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem. Sed & memoriam.

ITEM INFRA [d] ACTION.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remiſſionem omnium peccatorum, ut invenires eos in Chriſto Jeſu Domino noſtro; quæſumus, Domine placatus accipias. Pro quibus majeſtati tuæ ſupplices fundimus preces; ut nomina eorum aſcribi jubeas in libro viventium; dieſque noſtros.

POST

a. Clariſſima. *leg.* cariſſimam.

* *Clariſſima*. Sic emendavimus ex Pamel. apud quem legitur *clara vexilla ſuſcepit*; perperam enim legitur in exemplari, *cariſſimam*.

b. Puerperio. Ita correctum, quia mendoſe ponitur in exemplari *puerperi*.

c. Circumfulſit. *leg.* circumfulxit. *d.* Action. *leg.* actionem.

(1) *P.* initiatæ.

POST COMMVN.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut divino munere ſatiati, & ſacris myſteriis innovemur & moribus.

ITEM ALIA.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut Paſchalis perceptio Sacramenti continuata in noſtris mentibus perſeveret. Per.

XLVI. DOMINICUM Paſchæ.

DEus, qui per Vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte, reſeraſti; da nobis, quæſumus, ut qui Reſurrectionis Dominicæ ſolemnia colimus, per innovationem tui Spiritus a morte animæ reſurgamus. Per Dominum.

Deus, qui nos Reſurrectionis Dominicæ annua ſolemnitate lætificas, concede propitius; ut per temporalia feſta quæ agimus, pervenire ad gaudia æterna mereamur. Per Dominum.

SECRETA.

Suſcipe Domine propitius munera famulorum tuorum; ut confeſſione tui nominis & Baptiſmate renovati, ſempiternam beatitudinem conſequantur. Per Dominum.

VD Te quidem omni tempore, ſed in hoc præcipue die laudare, benedicere, & prædicare, quod Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Per quem in æternam vitam filii lucis oriuntur: fidelibus regni cæleſtis atria reſerantur; & beati lege commercii divinis humana mutantur. Quia noſtrorum omnium mors Cruce Chriſti redempta eſt; & in Reſurrectione ejus omnium vita reſurrexit. Quem in ſuſceptione mortalitatis Deum majeſtatis agnoſcimus; & in divinitatis gloria Deum & Hominem confitemur. Qui mortem noſtram, moriendo, deſtruxit; & vitam, reſurgendo, reſtituit Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Et ideo cum Angelis.

Infra actionem, ut ſupra in nocte ſancta. Sequitur

POST COMMVNIONEM.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ad æternam vitam in Chriſti Reſurrectione nos reparas; cuſtodi opera miſericordiæ tuæ, & ſuavitatem Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti Vnigeniti Filii tui noſtris infunde pectoribus. Per Dominum.

XLVII. INCIPIVNT [1] totius Albæ Orat. & Preces.

FERIA SECVNDA.

PAſchale myſterium recenſentes, Apoſtolorum, Domine, beatorum precibus foveamur, quorum [2] magiſterio cognovimus exequendum. Per.

Deus Eccleſiæ tuæ redemptor atque perfector, fac quæſumus, ut Apoſtolorum precibus Paſchalis Sacramenti dona capiamus; quorum nobis ea tribuiſti magiſterio prædicare. Per.

SE-

(1) Totius Albæ, *hoc eſt, ſeptem dierum occurrentium uſque ad Octavam Paſchæ, de quibus Rabanus Maurus de Inſtit. Cleric. lib.* 11, *cap.* 39. *ait*: quos VII dies Albas vocitamus, propter eos qui in ſancta nocte baptizati albis per totam hebdomadam utuntur veſtibus. (2) *Mſ.* magiſterium.

SECRETA.

Sacrificia, Domine, Paſchalibus gaudiis immolamus, quibus Eccleſia tua mirabiliter renaſcitur & nutritur.

VD Nos precari clementiam tuam, ut ad celebrandum digne Paſchale Myſterium, Beatorum Apoſtolorum precibus adjuvemur: & quorum prædicatione hæc credenda ſuſcepimus, eorum patrociniis fideliter exequamur. Per Chriſtum Dominum.

Infra Actionem, ut ſupra in nocte ſancta. Sequitur

POST COMMUNIONEM

Impleatur in nobis, quæſumus Domine, Sacramenti Paſchalis ſancta libatio; noſque de terrenis affectibus ad cæleſte transferat inſtitutum. Per.

XLVIII. FERIA TERTIA.

DEus, qui Paſchalia nobis remedia contuliſti, populum tuum cæleſti dono proſequere; ut inde poſt in perpetuum gaudeat, unde nunc temporaliter exultat. Per.

Deus, qui ſolemnitate Paſchali cæleſtia mundo remedia benignus operaris; annua feſtivitatis hujus dona proſequere, ut obſervantia temporalis ad vitam proficiat ſempiternam. Per.

SECRETA.

Hoſtias Domine, quæſumus, placatus adſume; quas & pro renatorum expiatione peccati deferimus, & adceleratione cæleſtis auxilii. Per.

VD Per Chiſtum Dominum noſtrum. Qui oblatione ſui, remotis ſacrificiis carnalium victimarum [1] ſeipſum tibi pro ſalute noſtra offerens; idem Sacerdos & ſacer Agnus exibuit. Quem laudant.

Infra Actionem, ut ſupra in nocte ſancta. Sequitur

POST COMMUNIONEM.

Adeſto Domine, quæſumus noſtræ redemptionis [a] affectibus; ut quos Sacramentis æternitatis inſtituis, [b] iiſdem protegas dignanter aptandos.

Digne nos tuo nomini, quæſumus Domine, famulari ſalutaris cibus & ſacer potus inſtituat; ut renovationem conditionis humanæ, [c] quæ myſterio continet, in noſtris jugiter ſenſibus [d] operentur.

XLVIIII.

a. *Affectibus*. lege *effectibus*. b. Iiſdem. *leg.* iſdem.

c. Quæ. *leg.* que.

* *Quæ*. Ambroſiana Miſſa in die ſancto Paſchæ apud Pamelium habet *quam*.

d. *Operentur*. Ambroſiana Miſſa ibidem, *operetur*.

(1) *S. Paulinus Nolanus epiſt. v. ad Severum ait*: Ipſe enim pro nobis & animam & carnem ſuam poſuit & recepit; qui & ſacerdos & hoſtia, & agnus & paſtor eſt: qui pro ovibus ſuis paſtor, & pro paſtoribus ſuis agnus occiſus eſt. Ipſe enim Dominus hoſtia omnium ſacerdotum eſt, qui ſemetipſum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima ſacerdotii ſui, & ſacerdos ſuæ victimæ fuit.

XLVIIII. FERIA QVARTA

DEus, qui pro ſalute mundi ſacrificium Paſchale feciſti; propitiare ſupplicationibus noſtris, ut interpellans pro nobis Pontifex Summus; quos per id quod noſtri eſt ſimilis, reconciliatur; per id quod tibi eſt æqualis, abſolvat, Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Qui tecum vivit & regnat.

Deus, qui [a] omnes in Chriſto renatos genus [b] regium & ſacerdotale feciſti; da nobis & velle & poſſe quod præcipis, ut populo ad æternitatem vocato una ſit fides cordium & pietas actionum. Per.

SECRETA.

Suſcipe, quæſumus, Domine Hoſtias redemptionis humanæ; & ſalutem nobis mentis & corporis operare placatus. Per Dominum noſtrum.

℣D Circumdantes Altaria tua virtutum, & in ipſius Agni immaculati agnitione gloriantes; qui ſeipſum pro nobis obtulit immolandum: ut Corpore ejus [c] in Sanguine, quo a peccatis redempti ſumus, ad æternam vitam ſacrificiis cæleſtibus paſcamur. Per Chriſtum Dominum.

Infra Actionem, ut ſupra in nocte ſancta. Sequitur

POST COMMVN.

Adeſto, Domine, quæſumus noſtræ Redemptionis affectibus; ut quos Sacramentis æternitatis inſtituis, iiſdem protegas dignanter aptandos. Per Dominum noſtrum.

L. FERIA QVINTA.

DEus, qui multiplicas ſobolem [d] renaſcentium, fac eos gaudere propitius de ſuorum venia peccatorum. Per.

Deus, qui humanam naturam ſupra primæ originis [e] præparas dignitatem; reſpice ad pietatis tuæ ineffabile Sacramentum; ut quos regenerationis myſteriis dignatus es innovare, in his dona tuæ perpetuæ gratiæ benedictioniſque conſerva. Per Dominum noſtrum.

SECRETA.

Concede, quæſumus Domine, ſemper nos per hæc myſteria Paſchalia gratulari; ut continua noſtræ reparationis operatio perpetua nobis fiat cauſa lætitiæ. Per Dominum noſtrum.

℣D Quia vetuſtate deſtructa, renovantur univerſa dejecta; & vitæ nobis in Chriſto reparatur integritas. Quem laudant Angeli.

Infra Actionem, ut ſupra in nocte ſancta. Sequitur

POST COMMVNIONEM.

[f] Purificato, Domine quæſumus, mentes noſtras, benignus, & renova cæle-

a. Omnes in. *leg.* omnes qui in.

* *Omnes in*. Sic emendavimus ex Pamelio in orationibus poſt Dominicam in Albis, in exemplari enim perperam legitur *omnes qui in*. *b*. Regium, *leg.* Regnum.

* *Regium*. Ita correctum ex Pamel. ibidem, cum in exemplari mendoſe legatur *regnum*.

c. *In ſanguine*. lege, *et ſanguine*. *d*. Renaſcentium; *leg.* renaſcentum.

e. *Præparas*. In Ambroſiana Miſſa in die Paſchæ habetur *reparas*.

f. Purificato. *leg.* purificatio.

* *Purificato*. ita emendavimus, perperam legitur in exemplari, *Purificatio*.

cæleſtibus Sacramentis; ut conſequenter & corporum præſens pariter & futurum capiamus auxilium. Per.

LI. FERIA SEXTA.

DEus, qui ad cæleſte Regnum non niſi renatis ex aqua & Spiritu Sancto pandis introitum, auge ſemper ſuper famulos tuos gratiæ tuæ dona; ut qui ab omnibus ſunt purgati peccatis, a nullis fraudentur promiſſis. Per Dominum.

Deus, qui credentes in te, fonte Baptiſmatis innovaſti, hanc renatis in Chriſto concede cuſtodiam; ut nullo erroris incurſu gratiam tuæ benedictionis amittant. Per.

SECRETA.

Paſchales Hoſtias recenſentes quæſumus, Domine, ut quod frequentamus actu, comprehendamus effectu. Per.

VD Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui ſecundum promiſſionis ſuæ incommutabilem veritatem cæleſtis Pontifex factus in æternum, ſolus omnium Sacerdotum peccati remiſſione non eguit; ſed potius peccatum mundi idem verus Agnus abſterſit. Et ideo cum Angelis.

Infra Actionem, ut ſupra in nocte ſancta. Sequitur

POST COMMUN.

Immortalitatis alimoniam conſecuti, quæſumus Domine, ut quod ore percipimus, mente ſectemur. Per Dominum.

LII. FERIA SEPTIMA.

DEus, qui nos exultantibus animis Paſcha tuum celebrare tribuiſti, fac quæſumus, nos & temporalibus gaudere ſubſidiis, & æternitatis effectibus gratulari. Per Dominum.

Deus innocentiæ reſtitutor & amator, dirige ad te tuorum corda famulorum; ut quos de infidelitatis tenebris liberaſti, nunquam a tuæ veritatis luce diſcedant. Per.

SECRETA.

Suſcipe munera, quæſumus, Domine exultantis Eccleſiæ; & cui cauſam tanti gaudii præſtitiſti, perpetuum fructum concede lætitiæ.

VD Nos te ſuppliciter obſecrare; ut Jeſu Chriſti Domini noſtri cujus muneris pignus accepimus, manifeſta dona comprehendere valeamus; & quæ nobis [1] feliciter ſperanda Paſchale contulit Sacramentum, adtingere mereamur Reſurrectionis Dominicæ firmitate. Et ideo cum Angelis.

Infra Actionem, ut ſupra in nocte ſancta. Sequitur

POST COMMUNIONEM.

Exuberet, quæſumus Domine, mentibus noſtris Paſchalis gratia Sacramenti; ut [a] donis ſuis ipſi nos efficiat. [b] Per.

Cod. Sacram.	L	LIII.

a. Donis ſuis ipſi nos efficiat. Ambroſiana Miſſa in Dominica in Albis habet, *donis tuis ipſa nos dignos efficiat.* b. Per. *dele.*

(1) *M.* fideliter.

LIII. [a] OCTABAS [1]* PASCHÆ.

Die Dominico.

Deus, qui renatis Baptiſmate mortem adimis, & vitam tribuis ſempiternam, concede quæſumus; ut quorum nunc Regenerationis ſacræ diem celebramus octavum, ita corpora eorum animaſque cuſtodias; ut gratiam ſe Catholicæ fidei percipiſſe, pietatis tuæ defenſione, cognoſcant, Per.

Deus, qui credentes in te populos gratiæ tuæ largitate multiplicas, reſpice propitius ad Electionem tuam; ut qui Sacramento Baptiſmatis ſunt renati, Regni cæleſtis mereantur introitum. Per.

SECRETA

Suſcipe, quæſumus, Domine oblationes familiæ tuæ, ut ſub tuæ protectionis auxilio, & [b] conlata non perdant, & ad æterna dona perveniant. Per.

VD Nos clementiam tuam ſuppliciter exorare; ut Filius tuus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ſe uſque in finem ſæculi ſuis promiſit fidelibus adſuturum, & præſentiæ corporalis myſteriis non deſerat, quos redemit; [c] majeſtatis ſuæ beneficiis non relinquat. Et ideo cum.

Infra Actionem ut ſupra.

Sequitur

[d] POST COMMVN.

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices exoramus; ut quos viam feciſti per-

a* Vetus Inſcriptio ſepulcralis apud Abbatem Raphaelem Fabrettum. Inſcript. antiquarum pag. 577.

NATVSEVERI NOMINE PASCASIVS
DIES PASCALES PRID NOV APRIL N
DIE IOBIS FL. CONSTANTINO
ET RVFO VV CC CONSS. QVI VIXIT
ANNORVM VI. PERCEPIT
XI. KAL MAIAS ET ALBAS SVAS
OCTABAS PASCAE AD SEPVLCRVM
DEPOSVIT D IIII KAL. MAI. FL. RASILIO
VC. CO. . . . .

Littera N in fine ſecundi verſus corrigit errorem NOV pro NON ejuſdem verſus.

b. Conlata. *leg*. conſolata.

* *Et conlata*. Sic emendavimus, quia in exemplari mendoſe ponitur. *conſolata*.

c. *Majeſtatis*. apud Pamelium in Præf. Dom. XXIII. poſt Pentec. *et majeſtatis*.

d. Poſt commun. *leg*. Commun.

(1) Octabas Paſchæ, *ita & in aliis Codicibus legitur*. *Vide antiq. Miſs. Libros*, *tom.v. pag.105*. *In aliis legitur* Dominica poſt Albas, *ut apud Pamel. & in Codicibus O & R. Indicium porro hanc diem ad Albas non ſpectare: unde Auguſt. ſerm.1. in Octav. Paſcha ait*: Paſchalis ſollemnitas hodierna feſtivitate concluditur, & ideo hodie Neophytorum habitus commutatur; ita tamen, ut candor, qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneatur. *Et Alcuinus ad hanc diem ait*: Hodie Albati, qui in Sabbato ſancto baptizati fuerunt, veſtibus albis exuuntur. *Videatur & Mabillonius not. ad. Evangel. hujus diei Sacram. Gallicani*, *Muſei Italici tom.1. p.331*. *Quare quum in Breviario ac Miſsali Romano hæc dies inſcribitur* Dominica in Albis, *vel ſubintellige* depoſitis, *uti vult ad præſentem locum Menardus; vel illud minus proprie eſse dictum agnoſce*.

perpetuæ ſalutis intrare, nullis permittas errorum laqueis implicari. Per.

LIIII. ORAT. ET PREC. de Paſcha Annotina. [1]

DEus, per cujus providentiam nec præteritorum momenta deficiunt, nec ulla ſupereſt expectatio futurorum, tribue permanentem peractæ, quam recolimus, ſolemnitatis effectum; ut quod recordatione percurrimus, ſemper in opere teneamus. Per.

Deus, qui renatis fonte Baptiſmatis delictorum indulgentiam tribuiſti; præſta miſericors, ut recolentibus hujus nativitatis inſignia, plenam adoptionis gratiam largiaris. Per.

SECRETA.

Clementiam tuam, Domine, ſuppliciter exoramus, ut Paſchalis muneris Sacramentum, quod fide recolimus, & ſpe deſideramus [a*] intenti, perpetua dilectione capiamus. Per Dominum.

VD Per Chriſtum Dominum noſtrum [b] Redemptionis noſtræ feſta recolere; quibus humana ſubſtantia vinculis prævaricationis exuta, ſpem reſurrectionis per renovatam originis [c] dignitatem. Per quem majeſtatem.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem famulorum famularumque tuarum, quam tibi offerunt, annua recolentes myſteria; quibus eos tuis adoptaſti regalibus inſtitutis; quæſumus, Domine placatus intende. Pro quibus ſupplicis preces effundimus; ut in eis & conlata cuſtodias; [d] ut promiſſæ beatitudinis præmia largiaris: dieſque noſtros.

POST COMMUNIONEM.

Tua nos, quæſumus Domine, quæ ſumpſimus, ſancta purificent; & operationis ſuæ remedio, nos perficiant eſſe [e] placatus [f*]. Per Dominum.

LV. ORAT. ET PREC. [2] in Parochia.

DEus, qui humani generis es & reparator & rector, da, quæſumus Eccle-

a* Hic ſubdiſtinguitur in M. S. Codice.
b. *Redemptionis*. apud Pamelium habetur, *& Redemptionis*.
c. *Dignitatem. Per*. Apud Pamelium, *Dignitatem aſſumpſit. Per*. d. &;
e. *Eſſe placatus*. Apud Pamelium, *eſſe purgatos*. f* *al.* placatos.

(1) *Vide quæ de* Paſcha Annotina *diximus ad tom.* v, *pag.*106, *not.*(8) *Quod vero heic Miſſa de Paſcha Annotino, ſive de anniverſario anteacti Paſchatis, & diei recepti a Catechumenis Baptiſmatis, ponatur ſtatim poſt Officium Octavæ Paſchatis, confirmatur Menardi ſententia opinantis not.*354. *Paſcha Annotinum celebrari non conſuevisſe in ſabbato recurrentis Anniverſarii, ſed poſt Dominicam Octavæ Paſchæ.*

(2) *Opinor locum hunc inluſtrari poſſe iis, quæ de Miſſa in aliquibus Eccleſiis, quas pro parochialibus accipit Ed. Martene, die ſancto Paſcha celebranda, ut commode omnes utriuſque ſexus fideles ſacram Euchariſtiam recipere poſſent, inſtante potiſſimum Paſchali præcepto. habet pervetuſtus Ritualis Eccleſiæ Remenſis apud prælaudatum Martene de antiq. Eccl. diſcipl. in divin. celeb. Officiis, cap. xxv, num. xxviii, ubi hæc leguntur.* Die Sancto Paſchæ in aliquibus Eccleſiis propter multitudinem communicantium ſolet celebrari una Miſſa de mane poſt matutinas. In qua adminiſtrantur hi qui juſta ratione non poſſunt communicari in majori Miſſa· & presbyter pro libito poteſt facere abſolutionem generalem, & ſimiliter in majori Miſſa. In aliis vero Eccleſiis ſola Miſſa de eodem die celebratur, ad quam accedunt communicaturi ſecundum morem uniuſcujuſque Eccleſiæ. *Conſule & quæ de* Miſſa matutinali *habet idem Martene de antiquis Monachorum Ritibus lib.* III, *cap.* XVI. *num.* 15. *Conſule & Mabill. in Comment. in Ord. Rom. art.* VIII, *ſub finem.*

Eccleſiam tuam & nova prole ſemper augeri, & devotione cunctorum creſcere filiorum. Per.

Renovatum, Domine, fonte ac ſpiritus tui potentia in hæreditarium populum clementer adnumera; ut [1] qui multitudine purgati ſunt criminum, inviſibilium etiam mereantur copia præmiorum. Per.

Offerimus tibi, [a] Domine, laudes & munera; & pro conceſſis beneficiis exhibentes gratias, pro concedendis ſuppliciter deprecamur. Per.

VD Nos te ſuppliciter exorare; ut fidelibus tuis dignanter impenuas, quo & Paſchalia capiant Sacramenta; & deſideranter expectent [b] venturum: ut myſteriis, quibus renati ſunt, permanentes, ad novam vitam his operantibus, perducantur. Et ideo cum Angelis.

POST COMMVN.

Adjuvet nos, quæſumus Domine, ſanctum iſtud Paſchale myſterium; & ut devotis hoc mentibus exequamur, obtineat. Per.

AD POPVLVM.

Populus tuus, quæſumus Domine, renovata ſemper exultet animæ juventute; ut qui ante peccatorum [c] veternoſo in mortis venerat [d] ſenio; nunc lætetur in priſtinam ſe gloriam reſtitutum. Per.

LVI. INCIPIVNT Orat. Paſchales Veſpertinales. [2]

DEus, qui ad æternam vitam in Chriſti Reſurrectione nos reparas, imple pietatis tuæ ineffabile Sacramentum; ut cum in majeſtate ſua Salvator noſter advenerit; quos feciſti Baptiſmo regenerari, facias beata immortalitate veſtiri. Per Dominum.

Paſchalibus nobis, quæſumus, Domine remediis dignanter impende, ut terrena deſideria reſpuentes, diſcamus inhiare cæleſtia. Per.

Quæſumus, omnipotens Deus; jam non teneamur obnoxii ſententiæ damnationis humanæ; cujus nos [3] vinculi hæc Redemptio Paſchalis abſolvit. Per Dominum.

Concede miſericors Deus, ut quod Paſchalibus exequimur inſtitutis, fructiferum nobis omni tempore ſentiamus. Per.

Multiplica fidem, quæſumus, Domine populi tui, ut cujus per te ſumpſit initium, per te conſequatur augmentum. Per.

Præſta, nobis omnipotens Deus; ut percipientes Paſchali munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per Dominum.

Deus, per quem nobis & Redemptio venit, & præſtatur Adoptio, reſpice in opera miſericordiæ tuæ; ut in Chriſto renatis & æterna tribuatur hæreditas & vera libertas. Per.

Deus,

a. SECRETA. *b. al.* ventura.
c. Veternoſo. Apud Pamel. legitur, *veterno*.
d. Senio. Apud Pamelium habetur, *ſenium*.

(1) *Mſ.* ut quia.

(2) *Ven. Thomaſius in ſuo Orationali Tom. II. pag. 470, has Orationes inſcribit*, Veſpertinales, & Matutinales, *docetque inſervire olim conſueviſſe* ad univerſa Officia. *In Gregorianis exemplis vocantur* Orationes Paſchales. *In quibus ſingulis Officiis Miſſa dierum in Albis Orationem* ad Complendum *excipit Oratio* ad Veſperos, *quod noſtro huic Sacramentorum libro commune non eſt*.

(3) *MendoſumCodicem illic corrige, ac lege* vinculis.

Deus, qui per Vnigenitum tuum devicta morte æternitatis nobis aditum reſeraſti, erige ad te tuorum corda credentium; ut omnis generatio adprehendat meritis, quod ſuſcipit myſteriis. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus deduc nos ad ſocietatem cæleſtium gaudiorum, ut Spiritu Sancto renatos regnum tuum tribuas introire;[a] atque in ea perveniat humilitas gregis, quo proceſſit fortitudo Paſtoris. Per.

Deus, qui renatis per aquam & Spiritum Sanctum cæleſtis regni pandis introitum, auge ſuper famulos tuos gratiam, quam dediſti; ut qui ab omnibus ſunt purgati peccatis, a nullis priventur promiſſis. Per.

Dele, quæſumus, Domine conſcriptum peccati lege Chirographum, quod in nobis Paſchali myſterio per Reſurrectionem tui Filii vacuaſti. Per.

Fac omnipotens Deus, ut qui Paſchalibus remediis[b] innovati, ſimilitudinem Terreni Parentis evaſimus; ad formam Cæleſtis[1] transferamur Auctoris. Per.

Da miſericors Deus, ut in Reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti, inveniamus & nos veraciter portionem. Per Dominum.

Adeſto, quæſumus[c] Domine, tuæ adeſto familiæ; & dignanter impende, ut quibus fidei gratiam contuliſti, & coronam largiaris æternam. Per.

Exaudi nos omnipotens Deus; & familiæ tuæ corda, cui perfectam Baptiſmi gratiam contuliſti, ad promerendam Beatitudinem aptes æternam.[d]

Conſerva in nobis, quæſumus, Domine miſericordiam tuam; & quos ab erroris liberaſti caligine, veritatis tuæ firmius inhærere facias[2] documento. Per.

[e] Solicita, quæſumus, Domine, quos lavaſti, pietate cuſtodi; [f] ut qui a tua ſunt Paſſione redempti, tua Reſurrectione lætentur. Per Dominum noſtrum.

Chriſtianam, quæſumus, Domine reſpice plebem; & quam æternis dignatus es renovare myſteriis, a temporalibus culpis dignanter abſolve. Per.

Da, quæſumus, omnipotens Deus, ut quæ divina ſunt jugiter ambientes, donis ſemper mereamur cæleſtibus propinquare. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, propenſius his diebus tuam miſericordiam conſequamur, quibus eam plenius, te largiente, cognovimus. Per Dominum.

Concede miſericors Deus, ut devotus tibi populus tuus exiſtat; & de tua clementia, quod ei proſit indeficienter obtineat. Per.

Deus, qui ſenſus noſtros terrenis actionibus perſpicis retardari, concede

a. *Atque in ea*. Apud Pamelium legitur, *atque eo*.

b. *Innovati*. ita emendavimus ex Pamel. in exemplari enim perperam legitur, *innovaſti*.

c. *Domine, tuæ adeſto familiæ*. Apud Pamel. legitur in feria ſexta poſt Paſcha, *Domine familiæ tuæ*. d. Per.

e. *Solicita*. Apud Pamel. legitur, *ſolita*.

f. *Ut quia*. Apud Pamel. *ut qui*.

(1) *Mſ.* transferamus auctores.

(2) *Idem Mſ.* documentum.

de quæſumus, ut tuo potius munere tuis aptemur remediis. Per.

Tribue, quæſumus Domine, ut illuc ſemper tendat Chriſtianæ devotionis affectus, quo tecum eſt noſtra ſubſtantia. Per.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut Eccleſia tua & in ſuorum [a] firmitate membrorum, & in nova ſemper fœcunditate lætetur. Per.

Largire, quæſumus, Eccleſiæ tuæ Deus, & a ſuis ſemper, & ab alienis abſtinere delictis; ut pura tibi mente deſerviens, pietatis tuæ remedia ſine ceſſatione percipiat. Per Dominum.

LVII. ORAT. ET PREC. Dominicum poſt Octabas Paſchæ. *

DEus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexiſti, lætitiam concede; ut quos [b] perpetuæ eripuiſti caſibus, gaudiis facias ſempiternis perfrui. Per.

Deus, in cujus præcipuis mirabilibus eſt humana reparatio, ſolve opera Diaboli, & mortifera peccati vincula diſrumpe; ut deſtructa malignitate, quæ nocuit; vincat miſericordia, quæ redemit. Per.

SECRETA.

Benedictionem, Domine, nobis conferat ſalutarem ſacra ſemper oblatio; ut quod agit myſterio, virtute perficiat. Per.

VD Nos tibi ſemper & ubique gratias agere, & ſuppliciter exorare; ſic nos bonis tuis inſtrui ſempiternis, ut temporalibus conſoleris; ſic præſentibus refoveri, ut ad gaudia nos manſura perducas. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

POST COMMVNIONEM.

Præſta, nobis omnipotens Deus; ut vivificationis tuæ gratiam conſequentes, in tuo ſemper munere gloriemur. [c] Per Dominum noſtrum.

LVIII. ITEM II. DOMIN. poſt Clauſum Paſchæ.

DEus, qui [d] errantibus, ut in viam poſſint redire, veritatis tuæ lumen oſtendis; da cunctis qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, & illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini, & ea quæ ſunt apta, ſectari. Per Dominum.

Tibi placitam, Deus noſter, populo tuo tribue voluntatem; quia tunc illi proſpera cuncta præſtabis, cum tuis aptum feceris inſtitutis. Per Dominum.

SECRETA.

His nobis, Domine, myſteriis con-

a Firmitate. *leg.* infirmitate.

* *Firmitate*, ita emendavimus ex Pamelio in feria v. in Albis, quia in exemplari perperam legitur, *infirmitate*.

b. *Perpetuæ eripuiſti*. Apud Menardum, *perpetuæ mortis eripuiſti*.

c. Per Dominum noſtrum. *leg.* Per.

d. *Errantibus, ut in viam poſſint*. ita correctum ex Menardo: ſiquidem in exemplari mendoſe ſcribitur, *errantes ut in via poſſent*.

(1) Poſt Octavas Paſchæ, *hoc eſt* poſt clauſum Paſchæ, *uti interpretatur noſter Thomaſius in Orat. ad hunc locum. Tom.* 11, *pag.* 472.

[a] conferat ; quo terrena deſideria mitigantes, diſcamus habere cæleſtia. Per.

VD Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui humanis miſeratus erroribus, per Virginem naſci dignatus eſt ; [1] & per paſſionem mortis a perpetua nos morte liberavit : ac Reſurrectione ſua æternam nobis contulit vitam. Quem laudant Angeli.

POST COMMVNIONEM.

Sacramenta, quæ ſumpſimus, quæſumus Domine, & ſpiritalibus nos expient alimentis ; & corporalibus tueantur auxiliis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

LVIIII. TERT. DOMIN.
poſt Clauſum Paſchæ.

DEus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populis tuis id amare, quod præcipis, id deſiderare, quod promittis ; ut inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia. Per.

Exaudi, Domine, preces noſtras ; ut quod tui Verbi ſanctificatione promiſſum eſt ; Evangelico ubique compleatur effectu ; & plenitudo adoptionis obtineat, quod prædixit teſtificatio veritatis. Per Dominum.

SECRETA.

Deus, qui nos per hujus ſacrificii veneranda commercia unius ſummæ Divinitatis participes efficiſti ; præſta quæſumus, ut ſicut tuam cognovimus veritatem, ſic eam dignis moribus adſequamur. Per.

VD De tuo munere poſtulantes, ut tempora quibus poſt Reſurrectionem Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum Diſcipulis corporaliter [2] habitavit, pia devotione tractemus. Per Dominum.

POST COMMVNIONEM.

Adeſto, Domine Deus noſter, ut per hæc, quæ fideliter ſumpſimus, & purgemur a vitiis, & a periculis omnibus [b] exuamur. Per Dominum noſtrum.

LX. QVAR. DOMIN.
poſt Clauſum Paſchæ.

DEus, a quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus, ut cogitemus, te inſpirante, quæ recta ſunt ; & te gubernante, eadem faciamus. Per.

Deus, qui miſericordiæ januam fidelibus patere voluiſti, reſpice in nos, & miſerere noſtri ; ut qui voluntatis tuæ viam, te donante, ſequimur, a vitæ nunquam ſemitis deviemus. Per.

SECRETA.

Præſta, Domine quæſumus, ut illius ſalutis capiamus effectum, cujus per hæc myſteria pignus accepimus. Per Dominum.

VD Ut quia primum tuæ pietatis indicium eſt, ſi tibi nos facias toto corde ſubjectos : tu ſpiritum nobis tantæ devotionis infundas ; ut propitius largiaris conſequenter auxilium. Per.

POST

a. al. conferatur. b. al. eruamur.

(1) M. per paſſionem & mortem. (2) Idem M. corporaliter apparuit.

Digitized by Google

POST COMMUN.

Tribue nobis Domine, cæleſtis menſæ virtute ſatiatis; & deſiderare quæ recta ſunt; & deſiderata percipere. Per.

LXI. QUINTA DOMINICA poſt Clauſum Paſchæ.

OMnipotens ſempiterne Deus, fac nos tibi ſemper & devotam gerere voluntatem; & majeſtati tuæ ſincero corde ſervire. Per.

Deus vita fidelium, gloria humilium, beatitudo juſtorum, propitius ſuſcipe ſupplicum preces; ut animæ, quæ promiſſiones tuas ſitiunt, de tua ſemper abundantia repleantur. Per Dominum noſtrum.

SECRETA.

Oblatio nos, Domine, tuo nomini dicata purificet; & de die in diem ad cæleſtis vitæ transferat actionem. Per Dominum.

VD. Tu [a] mentes noſtras bonis operibus ſemper informes; quia ſic erimus præclari muneris prompta ſinceritate cultores, ſi ad meliora jugiter tranſeuntes, Paſchale Myſterium ſtudeamus habere perpetuum. Per quem majeſtatem.

POST COMMUNIONEM.

Repleti, Domine, muneribus ſacris, da, quæſumus, ut in gratiarum ſemper actione maneamus. Per.

LXII. [1] SEXTA DOM. poſt Clauſum Paſchæ.

DEus, in te ſperantium fortitudo, adeſto propitius invocationibus noſtris: & quia ſine te nihil poteſt mortalis infirmitas; præſta auxilium gratiæ tuæ, ut in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus. Per Dominum.

Deus ſpei [b] luminis ſincerum mentium luxque perfecta beatorum, qui vere es lumen Eccleſiæ tuæ; da cordibus noſtris, & dignam tibi orationem perſolvere, & te ſemper præconiorum munere conlaudare. Per.

SECRETA.

Hoſtias noſtras, Domine, tibi dicatas placatus aſſume; & ad perpetuum nobis tribue [c] pervenire ſubſidium. Per.

VD. Qui Eccleſiæ tuæ filios ſicut erudire non ceſſas, ita non deſinas adjuvare; ut recte [d] faciendi cognoſcant; & poſſibilitatem capiant exequendi. Per Chriſtum.

POST COMMUNION.

Tantis, Domine, repleti muneribus, præſta, quæſumus; ut ſalutaria dona capiamus, & a tua nunquam laude ceſſemus. Per.

AD POPULUM.

Fideles tuos, Domine, benedictio deſiderata confirmet; quæ eos & a tua voluntate nunquam faciat diſcrepare,

a. *Tu mentes*. Apud Menard. legitur, *ut mentes*.
b. lumen. c. *al.* provenire. d. facienda.

(1) *Sex hic ponuntur poſt Octavas Paſchæ Dominicæ: in Gregorianis quatuor, in quibuſdam etiam quinque.*

pare; & tuis ſemper indulgeat beneficiis gratulari. Per.

LXIII. ORAT. ET PREC.
[1] in Aſcenſa Domini.

DEus, qui ad declaranda tua miracula majeſtatis poſt Reſurrectionem a mortuis hodie in cælos, Apoſtolis adſtantibus, aſcendiſti; concede nobis tuæ pietatis auxilium, ut ſecundum tuam promiſſionem, & tu nobiſcum ſemper in terris, & nos tecum in cælo vivere mereamur. Per.

Præſta, quæſumus, omnipotens Pater, ut noſtræ mentis intentio quo [a] ſolemnitatis hodiernæ glorioſus Auctor ingreſſus eſt, ſemper intendat; & quo fide pergit, converſatione perveniat. Per.

SECRETA.

. Sacrificium, Domine, pro Filii tui, ſupplices, venerabili nunc Aſcenſione deferimus; præſta quæſumus, ut & nos per ipſum his commerciis ſacroſanctis ad cæleſtia conſurgamus. Per.

VD Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui ſaluti humanæ ſubvenire dignatus eſt: naſcendo etenim, nobis donavit gloriam; patiendo, Diabolum vicit; reſurgendo a mortuis, vitæ æternæ aditus præſtitit; aſcendendo ad Patrem, cæleſtes januas [b] reparavit. Quem laudant Angeli.

INFRA ACTIONEM.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Dominus noſter Unigenitus Filius tuus [2] unitum ſibi Hominem noſtræ ſubſtantiæ in gloriæ tuæ dextera conlocavit. Sed & memoria.

Inde vero modicum ante expletum Canonem benedices fruges novas. [3]

SEQUITUR BENEDICTIO.

Benedic Domine & has fruges novas fabæ, quas tu Domine rore cæleſti & inundantia pluviarum ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum actione in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Per quem hæc omnia, Domine, ſemper [c] bonuſque. *Expleto Canonem*.

POST COMMUNION.

Deus, cujus Filius in alta cælorum potenter aſcendens, captivitatem noſtram ſua duxit virtute captivam; tribue quæſumus, ut dona, quæ ſuis partici-

a. Solemnitatis. Sic emendavimus cum perperam in exemplari legatur, *Solemnitas*. *b.* reſeravit.

c. Bonuſque &c. *leg.* bon. *uſq; expleto Canone*.

(1) In Aſcenſa Domini, *Ita mſs Codices & in exemplis Gregorianis, quæ conſule, ſi vis. Vide & Capitulare Evangeliorum Tom. V, pag. 466.*

(2) *Gregoriana exempla*, unitam ſibi fragilitatis noſtræ ſubſtantiam.

(3) *Noſtrum hunc locum e re ſua adlegavit clariſſimus Card. Bona Rerum Liturg. lib. II, c. XIV, num. V, ubi de frugum novarum benedictione a veteribus inter Miſſarum Sollemnia uſurpata pluribus agit. Eadem benedictio reperitur eodem hoc in loco & in Cod. Vatic. 4770, quo ſæpiſſime uſi ſumus in recenſione tom. V. Ritus iſtius origo a tertio uſque Eccleſiæ ſeculo repetitur; legitur enim in libro Pontificali de Eutychiano Romano Pontifice:* Hic conſtituit, ut fruges ſuper altare tantum, fabæ & uvæ benedicerentur. *Anaſt. nov. Edit. Tom 1, pag. 28. Ceterum Conciliorum de eadem benedictione canones videantur apud Menardum not. 440 ad Greg. Sacram. Videatur & Ed. Martene de antiq. Eccl. diſcipl. in divin. celeb. Officiis cap.* XXVIII, *num.* IV.

ticipibus contulit, largiatur & nobis. Per Dominum noſtrum.

AD POPVLVM.

Erectis ſenſibus, & oculis cordis ad ſublimia elevantes, quæſumus, ut quæ in precum vota detulimus, ad impetrandi fiduciam referamus. Per.

LXIIII. ITEM [1] ALIA MISSA.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, ut ſicut humani generis Salvatorem conſedere tecum in tua majeſtate confidimus; ita uſque ad conſummationem ſæculi manere nobiſcum, quemadmodum eſt pollicitus, ſentiamus. Per.

Tribue, quæſumus, omnipotens Deus; ut munere Feſtivitatis hodiernæ illuc filiorum tuorum dirigatur intentio, quo in tuo Vnigenito tecum eſt noſtra ſubſtantia. Per.

SECRETA.

Sacrificia nos, Domine, immaculata purificent; & mentibus noſtris ſupernæ gratiæ dent vigorem. Per Dominum.

VD In hac præcipue die, [a] qua Jeſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter, divino conſummato fine myſterii, diſpoſitionis antiquæ [b] munus [2] explevit: ut ſcilicet & Diabolum cæleſtis operis [c] inimicum per hominem, quem ſubjugarat, elideret; & humanam reduceret ad ſuperna dona ſubſtantiam. Et ideo cum Angelis.

Infra Actionem, ut ſupra.

Sequitur

POST COMMVN.

Tribue, quæſumus, Domine; ut per hæc ſacra, quæ ſumpſimus, illuc tendat noſtræ devotionis affectus, quo tecum eſt noſtra ſubſtantia. Per Dominum.

AD POPVLVM.

Da, quæſumus, omnipotens Deus illuc ſubſequi tuorum membra fidelium, quo Caput noſtrum [d] Principium præceſſit. Per Dominum.

LXV. ORAT. ET PREC. Domic. poſt Aſcenſa Domini.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum; quia nunquam tua gubernatione deſtitues, quos in ſoliditate tuæ dilectionis inſtitues. Per.

Deus, qui te rectis, ac ſinceris manere pectoribus adſeris, da nobis tua gratia tales exiſtere, in quibus habitare digneris. Per Dominum.

SECRETA.

Oblatio, Domine, tuo nomine dicanda purificet; & de die in diem ad cæleſtis vitæ transferat actionem. Per Dominum noſtrum.

Cujus

a. Qua. *leg.* quo. b. *Munus.* Ita correctum ex Pamelio; perperam enim in exemplari legitur, *manus.* c. *Inimicum.* Sic emendavimus ex Pamel. quia mendoſe ponitur in exemplari: *inimicus.*

d. *Principium præceſſit.* Apud Menardum habetur, *Principiumque præceſſit.*

(1) *Duplicem hac die Miſſam celebrari olim conſueviſſe ex hoc noſtri Sacram. loco colligit clariſſ. Card. Bona, quem vide lib.* 1. *Rerum Liturgic. cap.* XVIII. *num.* VI.

(2) *Cod. Veronenſis Tom.* IV. *Anaſtaſ. pag.* XVII. *in Prolegom.* explicuit.

VD Cujus hoc mirificum opus, ac ſalutare myſterium fuit; ut perditi dudum atque proſtrati de Diabolo & mortis aculeo ad hanc gloriam vocaremur; quia nunc genus electum, Sacerdotiumque regale, populus adquiſitionis, & ſancta gens vocaremur. Agentes igitur indefeſſas gratias, ſanctamque munificentiam prædicantes, majeſtati tuæ hæc ſacra deferimus; quæ nobis ipſe ſalutis noſtræ auctor Chriſtus inſtituit. Quem laudant Angeli.

POST COMMUN.

Sumptis muneribus, Domine, quæſumus, tua frequentatione myſterii creſcat noſtræ ſalutis affectus. Per Dominum noſtrum.

AD POPULUM.

Benedic, Domine, familiam tuam in cæleſtibus; & reple eam donis tuis ſpiritalibus: concede eis charitatem, gaudium, pacem, patientiam, bonitatem, manſuetudinem, ſpem, fidem, continentiam [a]; ut repleti omnibus [b] caſtitatem donis tuis, deſiderantes ad te pervenire mereantur. Per Dominum noſtrum.

LXVI. SABBATO Pentecoſten [1] celebrabis baptiſmum, ſicut in nocte Sanctæ Paſchæ.[2]

[3] *AEGROTANTI Catechumeno* [c] *impoſitio manuum.*

INnumeras medelæ tuæ curas deprecamur, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, quas diſtribuit humanis infirmitatibus Chriſtus: erige famulum tuum ægritudinis languore depreſſum; & omnem ſenſum ejus dignare tuis viſitationibus refovere; quatenus adoptionem tuam poſſit cum gaudio

M 2

a. caſtitatem. *b. redundat.* *c.* Impoſitio. *leg.* impoſita.

(1) *Vide quæ occurrunt in antiquis Miſſarum Libris, quæque ibidem not.* (2) *indicavimus. Conſule inter ceteros de hac re agentes & Mart. de antiq. Eccl. diſcipl. in divin. celeb. Officiis, cap.* XXVIII. *num.* IX. *& ſequentibus.*

(2) *Ad Ritum Ordinemque Baptiſmi deſcriptum in Sabbato Sancto nos remittit vetus membrana, quod una eademque ratione baptiſmum miniſtrare conſueverint veteres, quemadmodum & nunc temporis ſervatur, quovis anni tempore illud fiat. Unde Ordo* VII *apud Mabillonium, qui de baptiſmo eſt, concluditur his verbis Tom.* II *Muſei Italici:* Hoc autem ſupraſcripto ordine baptiſmum, ſicut in Sabbato Sancto Paſchæ, ſic & Sabbato Pentecoſtes omnimodis celebretur.

(3) *Subjiciuntur heic Ordines varii ad infirmum Catechumenum baptizandum. Quamvis enim per plures menſes & annum etiam probarentur olim Catechumeni, & ad provectiorem ſæpe ætatem aut aliquando in ipſam ſenectutem aliqui differrent baptiſmi receptionem; perpetuo tamen ſervavit Eccleſia quemvis Catechumenum, in mortis diſcrimine conſtitutum, aliqua ratione Sacramentum petentem, ſtatim baptizare. Eos vero, qui pagani adhuc in Catechumenorum numero nondum cenſebantur, dummodo nulli renuerent, Catechumenos illico faciebat, & baptizabat deinde. Aperta ſunt hac de re illius decreta. Victor Rom. Pontif. quum exeunte ſeculo* II *decreviſſet in ſollemnitate Paſchatis baptiſmum eſſe celebrandum, ſubjungit.* Sed tamen, ſi neceſſe fuerit, aut mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem venientes, quocumque loco vel momento, ubicumque evenerit, ſive in flumine, ſive in fontibus, tantum Chriſtianæ confeſſione credulitatis clarificata, baptizentur. *Et anno Chriſti* CCCCXCVII *in Concil. Carth.* III, *cap.* XXXIV, *ſancitum eſt*, ut ægrotantes, ſi per ſe reſpondere non poſſunt, quum voluntatis eorum teſtimonium hi qui ſui ſunt, periculo proprio dixerint, baptizentur. *Anno autem* CCCCXLI *Synodus Arauſicana* I, *can* XII *ait:* Subito obmuteſcens, prout ſtatus ejus eſt, baptizari aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu. *Videatur & Gelaſii Pontif. epiſtola* V, *quæ eſt ad Epiſcopos Lucaniæ,* cap X, *Egbertus Eboracenſis Epiſcopus Excerpt.* XI, *Nicephorus* Con-

Digitized by Google

gaudio ſanitatis percipere. Expelle itaque ab eo cuncta contrariæ valetudinis tela; ut ad gratiam tuam gradanter occurrat. Releva quem redimere gloriaris; ut Baptiſmi ſit in illo palma non mortis; & glorioſum ſemper bajulet, quod accipit, ſignaculum Crucis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui venturus eſt judicare vivos & mortuos.

LXVII. ITEM IMPOSITIO manus [a] Energumenum [a] Catechumenum.

OMnipotens ſempiterne Deus, a cujus facie cæli diſtillant; montes ſicut cera liqueſcunt; terra tremit; cui patent abyſſi, quem infernus paveſcit; quem omnis irarum motus aſpiciens humiliatur. Te ſupplex deprecor Dominator Domine; ut invocatione nominis tui ab hujus famuli tui vexatione inimicus confuſus abſcedat: [b] & ab hujus poſſeſſione anima liberata [c] ab Auctore ſuæ ſalutis recurrat, liberatoremque [d] ſuo, Diabolico fœtore depulſo, & odore ſuaviſſimo Spiritus Sancti percepto, ſequatur. Per.

LXVIII. ITEM ALIA pro parvulo Energumeno.

DOmine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, virtutem tuam totis exoro gemitibus pro hujus a Diabolo oppreſſa infantia; qui etiam indignis inter preſſuras donas præſidium. Exurge pro infantia debellata, & noli diu retinere vindictam; nec ante conſpectum tuum veniant parentum delicta; qui nec pro filio patrem, nec pro patre promiſiſti filium judicare. Auxiliare, quæſumus, inimici furore vexato; ne ſine Baptiſmate facias ejus animam a Diabolo poſſideri: ſed potius tenera ætas malignis oppreſſionibus libera, tibi referat gratias ſempiternas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Qui venturus es judicare vivos & mortuos & ſæculum.

LXVIIII.

a. ſuper. *b.* ut. *c.* ad Auctorem. *d.* ſui.

Confeſſor can. VII. *Walafridus Strabo Lib. de rebus Eccleſ. cap.* XXVI. *qui omnes relatis ſupra canonum ſanctionibus ſimilia prorſus habent. Hoc igitur in loco noſtri Sacrament. Libri reponuntur hi Ordines, non quod hac potiſſimum die infirmi baptizarentur, ſed opinor, ut ea, quæ ad baptiſmi integrum ordinem omiſſa fuerant in Sabbato Sancto Paſchæ, heic haberentur. In Ordinibus ſiquidem baptiſmi, qui in editis libris viſuntur, hæc quæ infirmos ſpectant, ſubnectuntur illis, quæ de communi baptizandi ratione in Sabbato Sancto vel Pentecoſtes præcipiuntur.*

(t) *Ordo ad Energumenos baptizandos inter ea quæ infirmorum baptiſmum attinent, recenſetur, quod & illi in extremo vitæ periculo baptizabantur. Synodus enim Eliberitana anno* CCCXIII *ſtatuit can.* XXXVII, Eos, qui ab immundis Spiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet. *Et Arauſicana* I, *can.* XV *ait:* Energumenis catechumenis, quantum vel neceſſitas exegerit, vel opportunitas permiſerit, de baptiſmate conſulendum. *Quarto Eccleſiæ ſæculo Timotheus Epiſcopus Alexandrinus in* II *Reſponſione canonica adfirmat.* Ἐὰν ὁ δαιμονιζόμενος μὴ καθαρισθῇ ἀπὸ τοῦ ἀκαθάρτου πνεύματος, οὐ δύναται λαβεῖν τὸ ἅγιον βάπτισμα· περὶ δὲ τὴν ἔξοδον, βαπτίζεται. Si is, qui a dæmone corripitur, non fuerit ab immundo ſpiritu mundatus, non poteſt ſanctum baptiſmum accipere, ſed in exitu a vita baptizatur. *Et Reſponſ. ad* IV *Interrog. quum ſciſcitaretur an catechumenus, qui emotæ mentis factus fidem profiteri non valet; ſuis petentibus ut baptizetur, baptizari debeat, reſpondet:* Ὀφείλει λαβεῖν, ἐὰν μὴ ὑπὸ πνεύματος ἀκαθάρτου πειράζηται, accipiat, oportet, ſi tamen ab immundo ſpiritu non tenetur. *Inter ritus igitur infirmos baptizandi jure & præſens pro Energumenis reponitur.*

Digitized by Google

LXVIIII. ORAT. SVPER Catechumenum infirmum.

FAmulum tuum, Domine, ad tui Baptiſmi gratiam recurrentem, reſpicere & conſervare dignare; ut in tui nominis ſigno, quicquid in eo per originalis peccati transgreſſionem pœnæ obnoxium Diabolus detinebat, ſacri fontis indulgentia reſolvatur: veteris hominis excubias deponat; & novæ vitæ indutus amictu reſurgat. [a] Omnes nequiſſimi ſpiritus ab eo venena depelle; & ſalutari Baptiſmi tui gratia adimple, ut tui muneris perceptione in [b] æternam vitam valeat exultare. Per Dominum.

LXX. Si fuerit baptizandus, accedens Sacerdos dicit ei Orationem, & Symbolum: & catechizat eum his verbis, impoſita manu capiti ejus: deinde dicit hanc orationem ſuper eum: Nec te lateat Satanas. *Sicut ſcriptum eſt in Sabbato.* [1].

TE, Domine, ſupplices exoramus, ut viſitatione tua ſancta erigas ad te hunc famulum tuum; ne Adverſario liceat uſque ad tentationem animæ pervenire: ſed, ſicut in Job, terminum pone; ne inimicus de anima hujus ſine Redemptione Baptiſmatis incipiat triumphare. Differ Domine exitum mortis, & ſpatium vitæ diſtende. Releva, quem perducas ad Baptiſmi Sacramentum; ne Redemptioni tuæ inferas damnum. Tolle occaſionem Diabolo triumphandi; & reſerva, quem triumphis [c] comparis Chriſti: ut ſanus, tibi in Eccleſia tua gratia Baptiſmatis renaſcatur, facturus cuncta quæ petimus. Per.

LXXI. ITEM ad Catechumenum ex Pagano faciendum. [2]

Gentilem hominem cum ſuſceperis, in primis catechizas eum divinis ſermonibus; & das ei monita quemadmodum poſt cognitam veritatem vivere debeat. Poſt hæc facis eum Catechumenum; exſufflas in faciem ejus, & facis ei Crucem in fronte: imponis manum ſuper caput ejus his verbis.

ACcipe ſignum Crucis tam in fronte, quam in corde: ſume fidem cæleſtium præceptorum: talis eſto moribus, ut templum Dei eſſe jam poſſis. Ingreſſuſque Eccleſiam Dei evaſiſſe te laqueos mortis lætus agnoſce. Horreſce idola, reſpue ſimulacra, cole Deum Patrem omnipotentem, & Jeſum Chriſtum Filium ejus; qui vivit cum Patre, & Spiritu Sancto, per omnia ſecula ſeculorum.

SEQVITVR ORATIO.

Te [3] deprecor, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus; ut huic famulo tuo, qui in ſeculi hujus nocte vagatur incertus & dubius, viam veritatis & agnitionis tuæ jubeas demonſtrari: quatenus, reſeratis oculis cordis

a. al. Omnia. *b. al.* æterna vita.
c. Comparis, lege, *compares*.

(1) *Adde ſancto ante Paſcha ſollemnem diem. Vide ſupra pag. 67.*

(2) *Vide eumdem prorſus Ordinem ex octo vetuſtiſſimis membranis editum a Martene de antiquis Eccl. Ritib. Lib. 1, Part. 1, cap. 1. art. VII.*

(3) *Apud Mart. loc. cit. plurium numero, deprecamur.*

dis ſui, Te unum Deum Patrem in Filio, & Filium in Patre cum Sancto Spiritu recognoſcat: atque hujus confeſſionis fructum & hic & in futuro ſæculo percipere mereatur. Per.

Inde vero poſtquam guſtaverit medicinam [1] *ſalis, & ipſe ſe ſignaverit; benedicis eum his verbis.*

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui es, & eras, [a] permanes [a] uſque in finem: cujus origo neſcitur, nec finis comprehendi poteſt: te, Domine, ſupplices invocamus ſuper hunc famulum tuum; quem liberaſti de errore Gentilium & converſatione turpiſſima. Dignare exaudire eum, qui tibi cervices ſuas humiliat: perveniat ad lavacri fontem; ut renatus ex aqua & Spiritu Sancto, expoliatus veterem hominem, induatur novum, qui ſecundum te creatus eſt: accipiat veſtem incorruptam & immaculatam; tibique Domino noſtro ſervire mereatur. Per Dominum.

LXXII. I T E M
[a] ad ſuccurrendum [b*] infirmum
Catechumenum. [c]

Si baptizandus fuerit, accedens Sacerdos dicit ſuper eum orationes, quæ ſupraſcriptæ ſunt; & tradit ei Symbolum & Orationem: & catechizat eum his verbis: Nec te lateat Satanas. *Et reliqua ſicut ſuper in nocte ſancta ſcriptum eſt. Inde ſaliva oris ſui cum digito tangit nares & aures; & dicit ei.*

Ephpheta, quod eſt, Adaperire in odorem ſuavitatis. Tu autem effugare Diabole; adpropinquabit enim judicium Dei.

Deinde tangit ei pectus & inter ſcapulas de Oleo exorcizato ſub his interrogationibus.

Abrenuntias Satanæ.
℟. Abrenuntio.
Et omnibus operibus ejus.
℟. Abrenuntio.
Et omnibus pompis ejus.
℟. Abrenuntio.

LXXIII. CVM AVTEM
expoliatur infirmus, benedicit
Fontem.

INCIPIT ORATIO.

Exaudi nos omnipotens Deus, & in hujus Aquæ ſubſtantiam tuam immitte virtutem; ut abluendus per eam, & ſanitatem ſimul & vitam mereatur æternam. Per.

ITEM BENEDICTIO
Aquæ ad ſuccurrendum.

Exorcizo te, creatura Aquæ, per Deum vivum, per Deum ſanctum, per Deum totius dulcedinis creatorem; qui te in principio verbo ſeparavit a terra; & in quatuor fluminibus dividens, totam terram rigare præcepit. Adjuro te per Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum: ut efficiaris in eo, qui in te baptizandus erit, fons aquæ ſalientis in vitam

a. al. &. *b* Ad ſuccurrendum.* Vide Miſſale membranaceum Oratorii Vallicellani ſig. B.VIII. in Sabbato Sancto. *b. Infirmum Catechumenum.* lege *infirmo Catechumeno.*

(1) *Notum eſt vetuſtiſſimum eſſe ritum in Eccleſia ſaltim Occidentali, ſalem in ore Catechumeni poni in ejus inſtitutione.* (2) *Idem Mart.* ſine fine.

(3) Ad ſuccurrendum, *ſcilicet ad baptizandum. Conſule vulgatos a Martene Ordines loco prælaudato.*

vitam æternam: regenerans eum Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Qui venturus eſt in Spiritu Sancto judicare vivos & mortuos & omne ſæculum per ignem.

LXXIIII. ITEM ALIA ad ſuccurrendum.

Adeſto Domine, tuis adeſto muneribus, ut quod noſtro eſt gerendum ſervitio, tuo impleatur auxilio. Per Dominum.

SEQUITUR BENEDICTIO.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, aquarum ſpiritalium ſanctificator, te ſuppliciter deprecamur; ut ad hoc miniſterium humilitatis noſtræ reſpicere digneris; & ſuper has [a] abluendis aquis & vivificandis hominibus præparatas, Angelum ſanctitatis emittas; quo peccatis vitæ prioris ablutis, reatuque deterſo, purum Sancto Spiritui habitaculum in regeneratis procuret. Per Dominum noſtrum.

LXXV. ITEM ALIA Benedictio.

Exorcizo te, creatura Aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jeſu Chriſti Filii ejus, & Spiritus Sancti. Omnis virtus Adverſarii, omnis incurſio Diaboli, omne phantaſma eradicare & effugare ab hac creatura Aquæ; ut fiat fons [b] ſalientis in vitam æternam: & [c] cum baptizatus fuerit, fiat templum Dei vivi in remiſſione peccatorum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: qui venturus eſt judicare vivos & ſæculum per ignem.

Et antequam perfundas eum aqua, interrogas eum verba Symboli, & dicis.

Credis in Deum Patrem omnipotentem. [d] *Reſp.* Credo.

Credis & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum; natum & paſſum. *Reſpondet.* Credo.

Credis & in Spiritum Sanctum; Sanctam Eccleſiam; Remiſſionem peccatorum; Carnis reſurrectionem.

Reſpondet. Credo.

Et cum interrogas, per ſingulas vices [1] *mergis eum tertio in aqua. Poſtea cum aſcenderit a fonte infans, ſignatur a Presbytero in cerebro de Chriſmate, his verbis.*

Deus omnipotens Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto; quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum: Ipſe te lineat Chriſmate ſalutis in Chriſto Jeſu in vitam æternam.

℟. Amen.

Poſtea [2] *ſi fuerit Oblata, agendæ ſunt Miſſæ,*

a. al. aquas abluendis & vivificandis. *b. al.* ſaliens. *c. al.* qui ex ea.
d. Reſp. *leg.* reſpondit.

(1) *Trina heic merſio præcipitur; quod intelligamus neceſſe eſt de illis infirmis, qui e lecto exſurgere, ad ſacrum fontem pergere valebant, & interrogatis reſpondere. Illi vero, qui tam adverſa utebantur valetudine, ut ea omnia præſtare nequirent, quique* Grabatarii, *& Græcis* κλινικοὶ *dicebantur non trina immerſione baptizabantur, quemadmodum comperto eſt, ſed aqua aut aſperſione aut effuſione. Qua in re & illud doctis hominibus notatum, Cornelium Romanum Pontificem de ejuſmodi baptiſmi valore dubium fuiſſe. Vide* Euſeb. *Hiſt. Eccl. lib.* VI, *cap.* XLIII, *& ejus Editorem Valeſium pag.* 313, *edit. Cantab.*

(2) Poſtea ſi fuerit oblata. *Ex hoc loco emendandus eſt Cod. A. Biblioth. Angelicæ, in antiq. Miſſ. Libris, Tom.* V, *pag.* 94, *ubi imperitus Librarius perperam addidit particulam negandi, ſcribens.* Poſtea ſi non fuerit Oblatio *&c.*

Miſſæ, & communicat: ſin autem dabis ei tantum Sacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti dicens: Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi in vitam æternam. *Et dat ei orationem ita dicens.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui regeneraſti famulum tuum ex aqua & Spiritu Sancto; quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum; tribue ei continuam ſanitatem ad agnoſcendam unitatis tuæ veritatem. Per Dominum noſtrum.

Omnipotens & miſericors Deus, majeſtatem tuam ſupplices deprecamur; ut famulum tuum digneris ſerenis aſpectibus[a] præſentari: & cui donaſti Baptiſmi Sacramentum, longævam tribuas ſanitatem. Per Dominum noſtrum.

Deinde[1] *conſignatur ab Epiſcopo, in his verbis.*

Deus, omnipotens Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui regeneraſti famulum tuum ex aqua & Spiritu Sancto; quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum: tu Domine emitte in eum Spiritum Sanctum tuum Paraclitum; & da ei ſpiritum Sapientiæ, & intellectus; ſpiritum Conſilii & Fortitudinis; ſpiritum Scientiæ, & Pietatis: adimple eum ſpiritu timoris Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti; & jube eum conſignari ſigno Crucis in vitam æternam. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: cum quo vivis & regnas in unitate Spiritus Sancti.

Poſtea ſignat eum in fronte de Chriſmate, dicens.

Signum Chriſti in vitam æternam. *Reſpondet*. Amen.

Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

LXXVI. AD SVCCVRRENDVM Benedictio Olei exorcizati.

Exorcizo te, creatura Olei, per Deum omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Omnis virtus Adverſarii, omnis exercitus Diaboli, omnis incurſus, omne phantaſma Satanæ eradicare & effugare ab hac creatura Olei; ut fiat omnibus, qui ex eo ungendi ſunt, in adoptionem filiorum per Spiritum Sanctum, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in charitate Jeſu Chriſti Domini noſtri: qui venturus eſt in Spiritu Sancto judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

LXXVII. ORATIO PER ſingulas Lectiones in Sabbato Pentecoſten.

Da[b*] nobis, quæſumus, Domine per gratiam Spiritus Sancti, novam tui Paracliti ſpiritalis obſervantiæ diſciplinam; ut mentes noſtræ ſacro purgatæ jejunio, cunctis reddantur ejus muneribus aptiores. Per Dominum noſtrum.

Sequitur Lectio in Geneſi.

Omnipotens ſempiterne Deus, indeficiens lumen, qui Spiritum tuum Sanctum, cum ſuper aquas in mundi creationis exordio fereretur, humanæ declaraſti ſalutis auctorem; præſta quæ-

a. al. tuis.

*b** Vide S. Leonem ſer: 1 de Jejun. Pentecoſtes.

(1) Conſignatur. *Vide quæ diximus ad pag. 76, not.* (3)

quæſumus, ut idem Spiritus veritatis Eccleſiæ tuæ dona multiplicet. Per Dominum.

Item de Cantico Exodi.

Deus, qui primis temporibus impleta miracula novi teſtamenti luce reſeraſti: [a] quod mare rubrum forma ſacri Fontis exiſteret; & liberata plebs ab Aegyptia ſervitute, Chriſtiani populi Sacramenta præferret: da, ut omnes gentes Iſraelis privilegium merito fidei conſecutæ, Spiritus tui participatione [b] regnentur. Per.

Item de Cantico Deuteronomii [c] *Lectione.*

Deus gloriatio fidelium, & [d] vitæ juſtorum, qui per Moyſen famulum tuum nos quoque modulatione ſacri carminis erudiſti; in univerſis Gentibus miſericordiæ tuæ munus operare, tribuendo beatitudinem, auferendo terrorem; ut quod prænuntiatum eſt ad ſupplicium, in remedium transferatur æternum. Per Dominum.

Item de Cantico Eſaiæ cum Lectione.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per unicum Filium tuum Eccleſiæ tuæ demonſtraſti te eſſe [e] cultorem; [f] ut omnem [1] palmitem fructum in eodem Chriſto tuo, qui vera vitis eſt, efferentem clementer excolens, [g] fructos afferat ampliores: fidelibus tuis, quos velut vineam ex Aegypto per fontem Baptiſmi [h] pertuliſti, nullæ peccatorum ſpinæ prævaleant; ut Spiritus tui ſanctificatione muniti, perpetua fruge ditentur. Per.

Domine Deus virtutum, qui conlapſa reparas, & reparata conſervas; auge populos in tui nominis ſanctificatione renovandos; ut omnes qui diluuntur ſacro Baptiſmate, tua ſemper inſpiratione dirigantur. Per.

LXXVIII. ITEM IN VIGILIA de Pentecoſten. Ad Miſſa.

Deus, qui Eccleſiam tuam novo ſemper fœtu multiplicas, concede famulis tuis, ut Sacramentum tuum vivendo teneant, quod fide [2] perceperunt. Per.

Deus, cujus Spiritu totum corpus Eccleſiæ multiplicatur & regitur, conſerva in nova familiæ tuæ progenie ſanctificationis gratiam, quam dediſti; ut corpore & mente renovati, in unitate fidei ferventes tibi, Domine, ſervire mereantur. Per.

SECRETA.

Virtute Sancti Spiritus Domine munera noſtra continge; ut quod ſolemnitate præſenti ſuo nomine dedicavit, & intelligibile nobis faciat & æternum. Per.

VD Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui aſcendens ſuper omnes cælos, ſedenſque ad dexteram tuam, promiſſum Spiritum Sanctum in filios adoptionis effudit. Vnde lætantes inter Altaria tua, Domine virtutum, Hoſtias tibi laudis offerimus per Chriſtum Dominum. Quem laudant.

a. Quod mare. Ambroſiana Miſſa apud Pamelium habet, *ut & mare:*
b. Participatione regnentur. Apud Pamel. habetur, *regenerentur.*
c. cum. *d. al.* vita. *e. Cultorem; ut.* Apud Pamelium idem legitur.
f. ut redundat. *g. al.* ut. *h. al.* tranſtuliſti.

(1) *Mſ.* palmitis. (2) *Mſ.* perceperint.

INFRA ACTIONEM.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum Pentecoſten prævenientes; quo Spiritus Sanctus Apoſtolos plebemque credentium præſentia ſuæ majeſtatis implevit. Sed & memoriam.

ITEM INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur. *Dicis ſicut & in*[1] *nocte ſancta, & de creaturis benedicendis.*

POST COMMVNIONEM

Concede omnipotens Deus, ut Paſchalis[a] perfectio Sacramenti mentibus noſtris continua perſeveret. Per Dominum.

---

[b]LXXVIIII. ITEM[2] ALITER in Vigilia Pentecoſten.

COncede nobis Domine, præſidia militiæ Chriſtianæ ſanctis inchoare jejuniis; ut contra ſpiritales Nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis. Per.

Da nobis, quæſumus, Domine per gratiam Sancti Spiritus novam tui Paracliti ſpiritalis obſervantiæ diſciplinam; ut mentes noſtræ ſacro purificatæ jejunio, cunctis reddantur ejus muneribus aptiores. Per Dominum.

SECRETA.

Hoſtias populi tui, quæſumus, Domine miſeratus intende; & ut tibi reddantur acceptæ, conſcientias noſtras Sancti Spiritus ſalutaris emundet adventus. Per.

VD Qui Sacramentum Paſchale conſummans, quibus per Unigeniti tui conſortium, filios adoptionis eſſe tribuiſti; per Sanctum Spiritum largiris dona gratiarum: & ſui cohæredibus Redemptoris jam nunc ſupernæ pignus hæreditatis impendis: ut tanto[c] ſe certius ad eam confidant eſſe venturos, quanto in ejus participatione profecerint. Propterea.

Infra Actionem, ut ſupra.

ITEM POST COMMVN.

Sacris cæleſtibus, Domine, vitia noſtra purgentur, ut muneribus tuis poſſimus ſemper aptari. Per.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, [d] ut Spiritus[e] adveniens majeſtatem nobis Filii tui manifeſtando clarificet. Per eundem.

LXXX.

a. *Perfectio*. Ambroſiana Miſſa apud Pamel. habet, *perceptio*.
b. LXXVIIII. *leg*. LXXGIII. *c*. ſe certius. *leg*. ſecretius.
d. *Ut Spiritus*. Apud Pamel. *ut ſanctus Spiritus*. *e*. *al*. Sanctus.

---

(1) *Vide ſupra ad pag. 77. ubi preces habentur pro recens baptizatis, quas forte innuunt hujus loci verba*, & de creaturis benedicendis. *Ni mavelis hæc verba intelligi oportere de novarum frugum benedictione; quæ porro hoc Miſſæ in loco fiebat. Confer quæ occurrunt ſupra ad pag. 89. not.* (3)

(2) *Duplicem Miſſam hac die ſe obſervaſſe in Miſſali Gellonenſi narrat Martenius de antiq. Eccl. diſcipl. in divin. celeb. Offic. cap.* XXVIII, *num.* X, *unde colligit duas olim hac in Vigilia celebratas fuiſſe Miſſas, quarum una mane, altera veſpere. Antequam idem de noſtro Sacram. hoc adfirmetur, notemus neceſſe eſt, heic legi* item aliter In vigilia &c. *ſecus ac legatur ſupra in die Aſcenſionis Domini, ubi retulimus clariſſ. Card. Bona ſententiam ajentem duplicem eo die Miſſam celebrari olim conſueviſſe: eo enim in loco legimus*, Item alia Miſſa, *non vero* item aliter, *ut in præſenti. Ad hæc laudatus mox doctiſſimus Bona, qui noſtrum hunc librum diligentiſſime verſaverat, quemadmodum fidem facit illius rerum Liturgicarum Opus, hanc diem inter* Polyliturgicos *non recenſet*.

LXXX. ORAT. ET PREC. Dominic. Pentecoſten.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Paſchale Sacramentum quinquaginta dierum voluiſti myſterio contineri; præſta ut Gentium facta diſperſio diviſione linguarum, ad unam confeſſionem tui nominis cæleſti munere [a] congregentur. Per.

Deus, qui Sacramento feſtivitatis hodiernæ univerſam Eccleſiam tuam in omni gente & natione ſanctificas; in totam mundi latitudinem Spiritus tui Sancti dona diffunde; ut quod inter ipſa euangelicæ prædicationis exordia operata eſt divina dignatio, nunc quoque per credentium corda diffunde. Per.

SECRETA.

Mentes noſtras, quæſumus Domine, Spiritus Sanctus divinis præparet Sacramentis; quia ipſe eſt omnium remiſſio peccatorum. Per Dominum noſtrum.

Purificet nos, quæſumus Domine, muneris præſentis oblatio; & dignos ſacra participatione perficiat. Per Dominum.

VD Quia hodie Sancti Spiritus celebramus adventum. Qui principiis naſcentis Eccleſiæ cunctis Gentibus imbuendis, & Deitatis ſcientiam indidit & loquelam: in diverſitate donorum mirabilis operator unitatis, variarumque gratiarum tributor idem & unus effector, & prædicantium diſpenſator ipſe linguarum. Quem laudant Angeli.

INFRA ACTIONEM.

Communicantes, & diem Pentecoſten ſacratiſſimum celebrantes; quo Spiritus Sanctus Apoſtolos plebemque credentium præſentia ſuæ majeſtatis implevit. Sed & memoriam.

Hanc igitur oblationem. *Dicis ſicut in nocte ſancta.*

POST COMMVNIONEM.

Sacris cæleſtibus, Domine, vitia noſtra purgentur, ut muneribus tuis poſſimus ſemper aptari. Per.

AD POPVLVM.

Præſta, quæſumus, Domine ut a noſtris mentibus & carnales amoveat Spiritus Sanctus affectus; & ſpiritalia nobis dona potenter infundat. Per Dominum noſtrum.

Adeſto Domine, quæſumus, populo tuo; & quem myſteriis cæleſtibus ſatiaſti, ab hoſtium incurſione defende. Per Dominum.

LXXXI. ITEM ORATIONES ad Veſperos infra Octabas Pentecoſten.

Deus, qui diſcipulis tuis Spiritum Sanctum Paraclitum [b] in ignis fervore tui amoris mittere dignatus es; da populis tuis in unitate fidei eſſe ferventes, ut in tua [c] ſemper manentes

a. *Congregentur*. Ambroſiana Miſſa apud Pamel. habet *congregetur*.

b. *In ignis fervore tui amoris*. Ambroſiana Miſſa apud Pamelium continet, *in ignis ſpecie fervore tui amoris*, hanc enim vocem *ſpecie* addendam eſſe Pamel. cenſet.

c. *Semper manentes*. Ambroſiana Miſſa apud Pamelium habet *ſemper dilectione permanentes*.

nentes, & in fide inveniantur ſtabiles, & in opere efficaces. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, deduc nos ad ſocietatem cæleſtium gaudiorum; ut Spiritu Sancto renatos regnum tuum facias introire; [a] atque in ea perveniat humilitas gregis, quo præceſſit celſitudo Paſtoris. Per.

Adſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus Sancti; [b] qui & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis. Per Dominum.

Mentes noſtras, Domine, Spiritus Paraclitus, qui a te procedit, inluminet; & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem. Per.

Sancti Spiritus, Domine, corda noſtra mundet infuſio; & ſui roris ubertate fœcundet. Per Dominum noſtrum.

Concede nobis miſericors Deus, ut [c] ſicut nomine Patris & Filii divini Generis intelligimus veritatem, ſic in Spiritu Sancto totius cognoſcamus ſubſtantiam Trinitatis. Per.

LXXXII. [1] DENVNCIATIO Jejuniorum Quarti, Septimi, & Decimi Menſis.

ANniverſariam, Fratres chariſſimi, jejunii puritatem, qua & corporis adquiritur & animæ ſanctitas, nos commonet *illius* menſis inſtaurata devotio. Quarta igitur & ſexta feria [d] ſolicito convenientes occurſu, offeramus Deo ſpiritale jejunium: die vero Sabbati apud Beatum Petrum, cujus nos interceſſionibus credimus adjuvandos, ſanctas vigilias Chriſtiana pietate celebremus. Vt per hanc inſtitutionem ſalutiferam peccatorum ſordes, quas corporis fragilitate contrahi-

a. *Atque in ea*. Apud Pamelium in orationibus Paſchalibus habetur, *atque ea*.

b. *Qui &c*. Apud Pamelium in feria III Pentecoſtes, *quæ &c*.

c. *Sicut nomine*. Apud Pamelium legitur, *ſicut in nomine*.

d. Solicito. *leg*. ſoliciti.

(1) *Ea denunciatio fiebat in Sollemni Miſſa poſt illam ſalutationem*: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *quemadmodum ex antiquis Mſs. Codicibus obſervant Menardus, & Card. Bona, & ille quidem not. 407. ad Greg. Sacram. iſte vero Rerum Liturg. lib.* II, *cap.* XVI, *num.* IV. *In Concilio Mediolanenſi* IV, *ſub eximio recentioris ætatis Antiſtite S. Carolo Borromæo, celebrato, Parochis atque Eccleſiarum Provinciæ Mediolanenſis Præpoſitis præcipitur, ut Dominica præcedenti quatuor temporum jejunium, & Feria* IV, *eam Dominicam proxime ſequenti, in ſollemni Miſſa juxta veterem Eccleſiæ morem illud populo denuncient. Neceſſariam fuiſſe hanc denunciationem in antiqua Eccleſia docet clariſs. Bona loco memorato, quod hæc jejunia ſtatam definitamque ſedem non haberent; & quemadmodum notum eſt ante Gregorii ſeptimi tempora jejunium menſis primi non prima Quadrageſimæ hebdomada, ſed ejuſdem Menſis Martii, ſervabatur. Illud Pentecoſtes, non extra hujus ſollemnitatis Octavam, ſed hebdomada Junii ſecunda, quæ aliquando intra Pentecoſtes Octavam non incidebat. Verum, quæ heic in noſtro Sacram. occurrunt, illam præſtantiſſimi viri ſententiam aliqua ratione debilitare videntur, non ſolum enim jejunii quarti Menſis, ſed & Miſſæ Feriarum ejuſdem jejunii intra Octavam Pentecoſtes reponuntur; indicium ſane ſtatam definitamque ſedem hocce jejunium habuiſſe, cui tamen denunciatio præmittebatur. Ad hæc quatuor temporum Pentecoſtes jejunium in ipſa Octava illius ſollemnitatis antiquiſſimis temporibus celebratum fuiſſe, ſatis per ſe indicant Sancti Leonis Magni ſermones de jejunio Pentecoſtes, & Iſidorus lib. I, de Offic. Eccleſiaſt. cap. 37. Unde quod aliquando in ſecunda Junii hebdomada quarti menſis jejunium ſervaretur, quemadmodum teſtantur plures Conciliorum canones, ut* XXXIV, *Moguntini ſub Carolo Magno, & ille Rothomag. an.* MLXXII, *id primævis Eccleſiæ inſtitutis minime debetur, ſed ſequioris ævi moribus; quos antiquiori conſuetudini reſtituit Gregorius* VII, *qua de re videndus Micrologus cap.* XXIV, *&* XXV, *de Eccleſ. Obſervationibus*.

trahimus, jejuniis & eleemoſynis abluamus, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto: qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.

ITEM ALITER.

Illius Menſis jejunia in hac nobis ſunt hebdomada tenenda; ideoque hortamur ſanctam fidem veſtram, ut quarta, ſexta, vel ſeptima feria jejunemus: quatenus divinis inhærendo mandatis, propitiationem Dei noſtri perſeverantia [a] devotæ ſervitutis obtineat. Per.

LXXXIII. INCIPIUNT Orationes & Preces Menſis Quarti. [b*]

FERIA IIII.

Concede nobis Domine, præſidia militiæ Chriſtianæ ſanctis inchoare jejuniis; ut contra ſpiritales Nequitias [c] pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis. Per.

Omnipotens & miſericors Deus apta nos tuæ, propitius, voluntati, quoniam ſicut ejus prætereuntes tramitem, deviamus; ſic integro [d] tenore dirigamur, ad illius ſemper ordinem recurrentes. Per.

Da nobis mentem, Domine, quæ tibi ſit placita; quia talibus jugiter quicquid eſt proſperum, miniſtrabis. Per.

SECRETA.

Solemnibus jejuniis expiatos, [e] ſuo nos, Domine, myſterio congruentes hoc ſacrum [f] munus efficiat; quia tanto nobis ſalubrius [g] aderit; quanto id devotius ſumpſerimus. Per.

Poſt illos enim lætitiæ dies, quos [h] in honorem Domini a mortuis reſurgentis, & in cælos aſcendentis, exegimus; [i] poſtquam perceptum Sancti Spiritus donum, [k] neceſſaria [l] etenim nobis jejunia ſancta proviſa ſunt: ut pura converſatione viventibus, quæ divinitus ſunt Eccleſiæ conlata, permaneant. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

POST COMMUNIONEM.

Quos jejunia votiva caſtigant, tua, Domine, Sacramenta vivificent; ut terrenis affectibus mitigatis, facilius cæleſtia capiamus. Per.

AD POPULUM.

Gratias tibi referat, Domine, corde ſubjecto tua ſemper Eccleſia, & conſequenter obtineat; & obſervationes antiquas jugiter recenſendo, proficiat in futurum. Per.

FE-

a. Devotæ. *leg.* debitæ.

*b** Vide S. Leonem in ſerm. I. de Jejunio Pentecoſtes cap. II.

c. *Pugnaturi.* Sic emendavimus cum mendoſe legatur in exemplari, *pugnare.*

d. Tenore. *leg.* tellore. * *Tenore.* Ita correctum ex Menardo, in exemplari perperam ſcribitur, *tellore.* *e.* *Suo.* Apud Menardum habetur, *tuo.*

f. *Sacrum munus*, exemplar habet, *Sacro munus.* Apud Menard. vero legitur *ſacro munere.* *g.* *Aderit.* Apud Menardum habetur. *aderis.*

h. *In honorem.* In exemplari & apud Menardum habetur, *in honore.*

i. *Poſtquam.* Apud Menard. habetur *poſtque.*

k. *Neceſſaria etenim nobis.* Apud Menardum *neceſſario nobis.* *l.* *redundat.*

FERIA SEXTA

Vt nobis, Domine, terrenarum frugum tribuas ubertatem, fac mentes noſtras cæleſti fertilitate fœcundas. Per.

[a] Fiat tua gratia, Domine, [b] fructuoſus noſtræ devotionis affectus; [1] qui [c] actu nobis proderunt ſuſcepta jejunia, ſi tuæ ſint placita pietati. Per Dominum.

SECRETA.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui non ſacrificiorum ambitione placaris, ſed ſtudio piæ devotionis intendis; da familiæ tuæ ſpiritum rectum, & habere cor mundum, ut fides eorum hæc dona tibi conciliet; humilitas oblata commendet. Per.

POST COMMVNION.

Annue, quæſumus, omnipotens Deus, ut Sacramentorum tuorum geſta recolentes, & temporali ſecuritate relevemur, & erudiamur legalibus inſtitutis. Per.

AD POPVLVM.

Fideli populo, Domine, miſericordiam tuam placatus impende; & præſidia corporis copioſa tribue ſupplicanti. Per.

SABBATO IN XII. LECT.

Præſta Domine, quæſumus, famulis tuis, taleſque nos concede fieri tuæ gratiæ largitate; ut bona tua & fiducialiter [d] imploremus; & ſine difficultate ſumamus. Per.

Da nobis Domine, quæſumus, regnum tuum juſtitiamque ſemper inquirere; ut quibus indigere nos perſpicis, clementer facias abundare. Per.

Deus, qui nos de præſentibus adjumentis eſſe voluiſti ſolicitos; tribue quæſumus; ut [e] piis [f] ſectando quæ tua ſunt, univerſa nobis ſalutaria condonentur. Per.

Deus, qui miſericordia tua prævenis non petentes, da nobis affectum, majeſtatem tuam jugiter deprecandi; ut pietate perpetua ſupplicibus potiora defendas. Per.

Deus, qui non deſpicis corde contritos, & afflictos miſeriis, populum tuum jejunii ad te devotione clamantem, [g] propitiatus exaudi; ut quos humiliavit adverſitas, adtollat reparationis tuæ proſperitas. Per.

[2] ITEM POST BENEDICTIONEM.

Deus, cujus adorandæ [h] potentiam majeſtatis flammæ ſævientis incendium ſanctis tribus pueris in ſplendorem demutatum eſt; [i] animarum Eccleſiæ tuæ ſimilibus adeſto remediis, ut

a. *Fiat*. Ita correximus cum in exemplari mendoſe dicatur, *fiant*.
b. *Fructuoſus*. Sic emendavimus, exemplar perperam habet, *fructuoſius*.
c. *al.* tunc. d. *Imploremus*, apud Menardum legitur, *impetremus*.
e. *al.* pie. f. *Piis ſectando*. Apud Menard. *pie ſectantibus*.
g. *Propitiatus*. Apud Menardum, *propitius*.
h. *Potentiam*. lege, *potentia*. i. *Animarum*. lege, *animabus*.

(1) *Legendum opinor* quia tunc.

(2) *In Cod. S. Eligii apud Menardum legitur hoc in loco*, poſt Benedictionem ad Miſſam, *hoc eſt poſt recitatum hymnum trium puerorum*, Benedicite omnia opera Domini Domino. *Vide & Thomaſium noſtrum in ſuo Orationali ad præſentem hunc locum.*

ut de gravioribus mundi hujus adverſitatibus, propitiatione cæleſti, populus tuus ereptus exultet. Per.

SECRETA.

Domine Deus noſter, qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis noſtræ præſidium condidiſti, tuo quoque [a] nomine munera juſſiſti dedicanda conſtitui; tribue quæſumus, ut & vitæ nobis præſentis auxilium, & æternitatis efficiant Sacramentum. Per.

VD Tibi ſanctificare jejunium, quod nos ad ædificationem animarum & caſtigationem corporum ſervare docuiſti: quia ſtrictis corporibus, animæ ſaginantur: [b] in quo exterior homo noſter affligitur, dilatatur interior. Memento Domine jejunii noſtri & miſericordiarum tuarum, quas peccatoribus pie ſemper jejunantibus contuliſti; ut non ſolum a cibis ſed a peccatis omnibus abſtinentes, devotionis tibi jejunio placeamus. Et ideo cum Angelis.

POST COMMVN.

Sumptum, quæſumus Domine, venerabile Sacramentum, & præſentis vitæ ſubſidiis nos foveat & æternæ. Per.

AD POPVLVM.

Proficiat, Domine quæſumus, plebs tibi dicata piæ devotionis. affectu, ut ſacris actibus erudita, quanto majeſtati tuæ ſit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per.

LXXXIIII. ORAT. ET PRECES in Dominica Octavorum Pentecoſten.

Timentium, Domine, Salvator & Cuſtos, averte ab Eccleſia tua mundanæ ſapientiæ [1] oblectamenta [c] fallaciæ; ut Spiritus tui eruditione forma nobis Prophetica & Apoſtolica potius inſtituta, quam Philoſophiæ verba delectent; ne vanitas mendaciorum decipiat, quos eruditio veritatis inluminat. Per.

Senſibus noſtris, Domine, Spiritum tuum Sanctum benignus infunde, ut tibi ſemper ſimus devoti, cujus ſapientia creati ſumus, & providentia gubernamur. Per.

Omnipotens & miſericors Deus, ad cujus beatitudinem ſempiternam non fragilitate carnis, ſed alacritate mentis aſcenditur; fac nos atria ſupernæ civitatis &, te inſpirante, ſemper ambire, & tua indulgentia fideliter introire. Per.

SECRETA.

Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, ſpiritalem tibi, ſumme Pater, Hoſtiam ſupplici ſervitute deferimus; quæ miro [d] & ineffabilique myſterio & immolatur ſemper, & eadem ſemper offertur: pariterque & devotorum munus, & remunerantis eſt præmium. Per.

VD Qui cum Unigenito Filio tuo & Sancto Spiritu unus es Deus, unus es Dominus, non in unius ſin-

a. *Nomine munera juſſiſti dedicanda*. Apud Menardum ponitur, *nomini munera juſſiſti dicanda*. b. *al.* & in. c. *Fallaciæ*. Apud Pamel. legitur melius, *fallacia*. d. *Et ineffabilique*. Apud Pamelium ponitur, *ineffabilique*.

(1) *Apud Pamel.* delectamenta fallacia.

Digitized by Google

ſingularitate perſonæ, [1] ſed in unius [a] Trinitate ſubſtantiæ: quod enim de tua gloria, revelante te, credimus; hoc de Filio tuo; hoc de Spiritu Sancto ſine differentia [b] diſcretionis ſentimus. Ut in confeſſione veræ ſempiternæque Deitatis, & in perſonis proprietas, & in eſſentia unitas, & in majeſtate adoretur æqualitas. Quem laudant Angeli.

POST COMMUNIONEM.

Lætificet nos, quæſumus Domine, Sacramenti veneranda ſolemnitas; pariterque mentes noſtras & corpora ſpiritali ſanctificatione fœcundet, & caſtis gaudiis ſemper exerceat. Per.

AD POPULUM.

Eccleſia tua, Domine, cœleſti gratia repleatur & creſcat; atque ab omnibus vitiis expiata, percipiat ſempiternæ redemptionis augmentum; ut quod in membris ſuis copioſa temporum [c] prorogatione veneratur, ſpiritali capiat largitate donorum. Per Dominum noſtrum.

LXXXV. BENEDICTIO ſuper eos qui de Arriana ad Catholicam redeunt unitatem. [2]

Domine [d*] Deus omnipotens Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dignatus es famulos & famulas tuas ab

a. *Trinitate*. Ita correximus ex Pamelio, cum in exemplari mendoſe ponatur, *Trinitatis*. *b.* diſcretionis. *leg.* diſcretione.

c. Prorogatione. *leg.* prærogatione.

*d** Hæc Oratio eadem ferme eſt ac illa quæ ſupra habetur in collatione Sacramenti Confirmationis. Vide epiſtolas Vigilii Papæ, Morinum de Pœnitentia, Holſtenium, &c.

(1) *Obſerva heic mentionem fieri de ſancta Trinitate, quod ſubobſcure licet, fit & paullo ſuperius in prima Oratione* Timentium Domine &c *Vide Bernonem Abbatem Augienſem cap.* III *Libri de quibuſdam rebus ad Miſſam ſpectantibus, & Microlögum de Eccleſiaſt. Obſervat. cap.* LII. E *recentioribus vero multa ſcitu digna collegit Martene num.* XXIV, *cap.* XXVIII. *lib. de antiq. Eccleſia diſcipl. in divin. celeb. Officiis.*

(2) *Hæretici & Apoſtatæ, ad catholicam Eccleſiæ unionem redeuntes peculiari ritu excepti perpetuo fuiſſe conſtat. Priſcis temporibus rem teſtante Euſebio Hiſt. Eccl. lib.* VII. *cap.* II. *ſive cap.* III *initio, uti recte adnot.* 4 *animadvertit Valeſius, pag.* 322. *edit. Cantab. illis fiebat precibus & manuum impoſitione: loco enim memorato de temporibus, quæ Stephanum primum Romanum Pontificem præceſſerunt legitur:* παλαιοῦ γέ τοι κεκρατηκότος ἔθους ἐπὶ τῶν τοιούτων, μόνῃ χρῆσθαι τῇ διὰ χειρῶν ἐπιθέσεως εὐχῇ. antiqua conſuetudo invaluerat, ut in ejuſmodi hominibus ſola manuum impoſitio cum precationibus adhiberetur. *Idem ferme ſtatuit anno Chriſti* CCCXIV, *Concil. Arelatenſe, in cujus can.* VIII, *habemus*: De Arrianis qui propria lege ſua utuntur, ut rebaptizentur: ſi ad Eccleſiam aliqui de hac hæreſi venerint, interrogent eos noſtræ fidei ſacerdotes Symbolum: & ſi perviderint in Patre & Filio & Spiritu Sancto eos baptizatos, manus eis tantum imponatur, ut accipiant Spiritum Sanctum. *Celebre hac in re eſt can.* VIII *ſacri Concil.* I *Nicæni, ajens*: Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν ἑαυτοὺς καθαρούς ποτε, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ· *quæ juxta Dionyſium Exiguum redduntur*: De his qui ſe nominant Catharos, id eſt, mundos, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam, placuit ſancto & magno concilio, ut impoſitionem manus accipientes, ſic in clero permaneant. *Videatur de hoc canone Innocentius* I, *epiſt.* XVII, *quæ eſt ad Rufum Euſebium &c. cap.* V, *apud Petrum Conſtant, pag* 835. *Siricius etiam Rom. Pont. epiſt. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum ſcribens, ait apud eumdem Conſtant. col.* 624. *&* 625, baptizatos ab impiis Arianis ...... nos cum Novatianis, aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo (*Nicæna* I. *can.* VIII.) conſtitutum per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, epiſcopalis manus impoſitione, Catholicorum con-

ab errore & mendacio hæreſeos Arianæ eruere, & ad Eccleſiam tuam Catholicam eos perducere: Tu Domine mitte in eos Spiritum Paraclitum Sanctum Sapientiæ & Intellectus, Spiritum Conſilii & Fortitudinis, Spiritum Scientiæ & Pietatis; & adimple eos Domine Spiritu Timoris Dei, in nomine Jeſu Chriſti Dei Salvatoris noſtri. Per quem & cum quo eſt tibi honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

LXXXVI. ITEM PRO eis qui de diverſis Hæreſibus [1] veniunt.

SAncte Pater omnipotens Deus, qui famulum tuum ab errore [a] hæreſeon dignatus es eruere; & ad Sanctam Eccleſiam Catholicam revocare; quæſumus te, Domine, immitte in eum Paraclitum Spiritum tuum Sanctum Septiformem, Spiritum Sapientiæ & Intellectus, Conſilii, & Fortitudinis, Scientiæ & Pietatis: adimple famulum tuum Spiritu Timoris Dei. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

LXXXVII. RECONCILIATIO [2] Rebaptizati ab Hæreticis. [b*]

OMnipotens Pater miſericordiarum & Deus conſolationis, qui per Unigenitum tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ita Regenerationis humanæ conſecraſti Myſterium; ut nec in eis, qui fraude diabolicæ malignitatis a Baptiſmi unitate diſcedunt,

Cod. Sacram. O

a. hæreſeon. *leg*. hæreſeorum.

*b** Vide epiſtolam II Vigilii Papæ ad Eutherium cap. III, tom. V Concil. col. 312.

conventui ſociamus, quod etiam totus Oriens, Occidensque cuſtodit. *Manus igitur impoſitione, & Sancti Spiritus invocatione recipiebantur hæretici ad Eccleſiam catholicam redeuntes. Can.* XXXI *Nicenus Arabici exempli, & can.* XCV. *concil. Quiniſexti addunt & ſacri Chriſmatis unctionem. Hæc omnia, quum ſimilitudinem præ ſe ferant ritus conferendi Confirmationis Sacramentum, comperto eſt, pluribus ſuſpicionem injeciſſe hæreticos in Catholicorum communionem receptos fuiſſe Confirmationis Sacramento. Quam ſuſpicionem adauget ſimilitudo quammaxima intercedens inter Orationem ad confirmandum uſurpatam, & illam qua utebantur in hæreticorum receptione; quod & noſtra hæc vetus membrana manifeſtat, & varii ordines occurrentes apud Martene de antiquis Eccleſ. Ritib. Tom.* I, *pag.* 249, *& ſequentibus. Verum inſigne diſcrimen inde patet, quod ea omnia in hæreticorum converſione & receptione præſtabantur, ut pœnitentiæ cujuſdam publicæ ritus. Norunt eruditi quam aperta ſint hac de re Patrum teſtimonia, Auguſtini præſertim. Uno contenti erimus Vigilii Papæ in ea Epiſt. quam adlegat in præſenti Ven. Thomaſius, cujus in num.* IV *occurrit de iis, qui ab Arianis iterum baptizati erant.* Quorum reconciliatio non per illam impoſitionem manus, quæ per invocationem Sancti Spiritus operatur, ſed per illam, qua pœnitentiæ fructus acquiritur, & ſanctæ communionis reſtitutio, perficitur. *Inter noſtræ ætatis Scriptores de hac re agentes videsi merentur Petrus Couſtant Diſſert. de vera Stephani circa receptionem hæreticorum ſententia; & Abbatis* Duguet *Diſſert. de* VIII *Can. Concil. Niceni, quæ legitur Tom.* II *Operis, cui gallice titulus* Conferences Eccleſiaſtiques, *pag.* 389 *& ſequentibus.*

(1) *Pro diverſitate Hæreſeon, quæ relinquebantur, diverſam fuiſſe & rationem venientium ad Catholicam Eccleſiam recipiendi, ſatis aperte colligitur ex iis, quæ ſuperiori notatione protulimus. Videatur inter canones Nicænos Arabicos juxta Verſionem Latinam P. Franciſci Turriani can.* XXXIII *& juxta Abrahamum Ecchellenſem can.* XXI, *&* XXXIV, *& Concilii Conſtantinopolitani anno Chriſti* CCCLXXXI *celebrati can.* VII.

(2) *Accipi illa reconciliatio poteſt non ſolum de illis qui deſertione catholicæ fidei ad hæreticos, quibus mos erat rebaptizare, tranſierant, & deinde ad veram Eccleſiam reverſi fuerant: ſed & de illis, qui fraude & dolo hæreticorum, aut etiam vi & metu baptiſmum ſecundo receperant: quibus omnibus diſtinctis canonum decretis providiſſe Eccleſiam conſtat.*

Digitized by Google

dunt, nulla poſſit iteratione [a] recenſendi: quia cum [b] geminatura ſacræ legis non virtus inditæ conſecrationis excluditur; ſed injuria Fidei Sacramentis manentibus irrogatur. Ideo cum ad veram matrem Eccleſiam Catholicam tui muneris aſpiratione reſipiſcentes Apoſtatæ redeunt; non quod amiſerunt Baptiſmum recipiunt, ſed quod in ſe permanenti fecerint contumeliam; veracis pœnitentiæ ſatisfactione reparantur. Hinc tuam miſericordiam, Pater Sancte, ſupplices exoramus; ut hunc famulum tuum ad ſancta tua, quæ reliquerat, atria revertentem, immenſa benignitate ſuſcipias, & piiſſima propitiatione ſalvifices: ut qui ruinæ ſuæ lapſum, [c] anathemando nunc Arrium, jugi lamentatione caſtigat; [d] digne pœnitentiæ fructus, te miſerante, perficiat. Tuo quippe reſpectu, ſatisfactionis ſumpſit initium; tuo munere de perditionis ſe jam ſentiat longinquitate regreſſum: longius enim [e] ante tam conlatæ fidei negatione, quam operum pravitate diſceditur. Unde quæſumus, ut ſecundum multitudinem [f] miſerationem tuarum immaniſſima ſupplicis tui remittatur impietas: & aberrantem longius ab itinere ſalutis æternæ, tua dignetur revocare majeſtas. Nos autem ſicut in exequendis myſteriis tuis probamur indigni; ita de tua ſumus miſeratione certiſſimi: & ob hoc non audemus revertenti atque pulſanti Reconciliationis januam claudere; cui ad revertendum cordis oculos te confidimus revelaſſe: & licet [g] actioni pœnitentiæ metas temporum præficiamus; tamen quia non ſolum diem mortis, ſed & qualitatem pectoris ignoramus; ſic eum ad ſpem Reconciliationis admittimus, ut affectum jugis pœnitudinis non omittat; ſed perenni timore continua lamentatione redivivus, & Sacramentorum cæleſtium communione mereatur eſſe perpetuus. Per.

Alia

a. reſcindi, *aut* recenſeri. *b.* geminatur. *c.* anathematizando.
d. *Digne*. legendum videtur, *dignos*. *e.* a Te.
f. Miſerationem. *leg.* miſerationum. *g.* actioni. *leg.* actione.

conſtat. De illis, qui propria malitia ab Eccleſiæ ſinu defecerunt, Innocentius I *in epiſt.* II, *quæ eſt ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum data, ait:* qui ſi forte a nobis ad illos tranſeuntes rebaptizati ſunt. Hi ſi reſipiſcentes, & ruinam ſuam cogitantes, redire maluerint, ſub longa pœnitentiæ ſatisfactione admittendi ſunt. *De illius pœnitentiæ modo videatur Felicis Pontificis* III *epiſtola* IX, *quæ eſt ad univerſos Epiſcopos per diverſas provincias conſtitutos data: videatur & epiſt. Vigilii ſuperiori not.* (2) *pag.* 104. *memorata. De illis vero qui errore, fraude, vel metu ab hæreticis rebaptizati ſunt, adeſt decretum Leonis Magni in epiſtola ad Nicetam Aquilejenſem, quod ita ſe habet:* His vero ..... qui ad iterandum baptiſmum, vel metu coacti ſunt, vel errore traducti, & nunc ſe contra catholicæ fidei Sacramentum egiſſe cognoſcunt, ea cuſtodienda eſt moderatio, qua in Societatem noſtram non niſi per pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem Epiſcopalis manus, communionis recipiant unitatem: tempora pœnitudinis, habita moderatione, tuo conſtituente judicio, prout converſorum animos perſpexeris eſſe devotos: pariter etiam habens ſenilis ætatis intuitum, & periculorum quorumque, aut ægritudinis reſpiciens neceſſitates. In quibus ſi quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet, de ſalute ipſius deſperetur; oportet ei per Sacerdotalem ſollicitudinem communionis gratia ſubveniri. *Obſerva ſingularem Eccleſiæ clementiam erga eos, qui potius aliena pravitate, quam propria, ad peccandum ſeſe addixerunt. Quæ etiam major fuit in eos, qui ex mera ignorantia ad malum inducebantur: legitur enim in capitulo* VI *Theodori Cantuarienſis Epiſcopi:* Qui bis baptizati ſunt ignorantes, non indigent pœnitentia: niſi quod ſecundum canones non poſſunt ordinari, niſi pro magna neceſſitate. Qui vero non ignorant, quaſi iterum Chriſtum crucifixerunt, pœniteant ſeptem annis, quarta & ſexta feria & tribus quadrageſimis. *Hæc omnia a ſacris canonibus conſtituta a præſenti noſtri Sacram. Ordinis lucem accipiunt.*

Alia [1] *minore ætate*.

Deus, qui hominem ad imaginem tuam conditum in id reparas, quod creaſti, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum; & quidquid [a] ignorantiæ ipſius hæretica pravitas inrepſit; indulgentia tuæ pietatis ignoſce: ut quod in eo diaboli fraude commiſſum eſt, & nequitia Arrianæ perfidiæ nocuit; non ei reputetur ad culpam: ſed membrum Eccleſiæ Catholicæ remiſſionis tuæ clementia reformetur; ut [b] ad altaribus ſacris, recepta veritatis tuæ communione, reddatur. Per.

Item alia [c] *minore ætate*.

Deus humani generis conditor & redemptor, Deus qui facturam ſimilitudinis & imaginis tuæ ſecundum divitias bonitatis in id reparas, quod creaſti; reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum: [d] ut quidquid ignorantiæ ipſius neceſſitas hoſtilitatis influxit, indulgentia tuæ pietatis ignoſce: ut in eo, cui adhuc intelligentia integra non ſuppetit, nihil reputetur ad culpam; ſed Eccleſiæ membrum remiſſionis tuæ benignitate reputetur. Per.

LXXXVIII. ORAT. IN [2] Dedicatione Baſilicæ novæ.

Deus, qui loca nomini tuo dicata ſanctificas, effunde ſuper hanc orationis domum gratiam tuam; ut ab omnibus hic invocantibus te, auxilium tuæ miſericordiæ ſentiatur. Per.

CONSECRATIO BASILICAE

Deus ſanctificationum omnipotens dominator, cujus pietas ſine fine ſentitur; Deus, qui cæleſtia ſimul & terrena [3] complecteris, ſervans miſericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conſpectum gloriæ tuæ: Exaudi preces ſervorum, ut ſint oculi tui aperti ſuper domum iſtam die ac nocte: hancque Baſilicam in honorem Sancti *Illius* ſacris myſteriis iuſtitutam clementiſſimus dedica, miſerator inluſtra, proprio ſplendore clarifica: omnemque hominem venientem adorare in hoc loco placatus admitte: propitius dignare reſpicere, & propter nomen tuum magnum, [4] & manum fortem, & brachium excelſum in hoc habitaculo ſupplicantes libens protege, dignanter exaudi, æterna defenſione conſerva; ut ſemper felices, ſemperque tua religione lætantes, conſtanter in Sanctæ Trinitatis Fide Catholica perſeverent. Per.

Orat. ſuper aquam & vinum ad Conſecrationem Altaris.

Creator & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritalis, largitor æternæ ſalutis, tu [e] permitte Spiritum tuum ſuper vinum cum aqua mixtum: [f] ut arma virtute cæleſtis defenſionis

Q 2 ad

a. pro. *b.* &. *c. pro.* *d. Ut*. lege &c. *e. al.* mitte. * *Permitte*. Ita legitur apud Menardum. *f. Ut arma virtute*. Apud Menardum, *ut armata virtute*.

(1) *Vide ſuperiorem adnotationem*.

(2) *Nunc temporis Eccleſia nova* Dedicatio *vulgo dicitur* Conſecratio. *In libris Eccleſiaſticis tamen promiſcue, eodemque ſignificatu heic &* Dedicatio, *&* Conſecratio *uſurpantur*. *Ceterum miſſa vocum & nuncupationis varietate, quantum ex iis, quæ in præſenti noſtri hujus Sacramentarii loco occurrunt, conjicere licet; apparet longe ſimpliciorem priſcis temporibus fuiſſe ritum Eccleſias dedicandi, illo, qui aut in exemplis Gregorianis repræſentatur, aut noſtra hac ætate decretus eſt*.

(3) *M.* moderaris.

(4) *M.* & manum tuam fortem &c.

ad conſecrationem hujus Eccleſiæ, *vel* Altaris [a] perficiat. Per.

Sequitur Præfatio Conſecrationis Altaris.

Primitus enim ponis ſuper cornu Altaris digito tuo vinum cum aqua mixtum; & aſperges Altare [b*] *ſeptem vicibus; reliquum autem fundes ad baſem: & offeres incenſum ſuper Altare odorem ſuaviſſimum Domino.*

[c] *Benedictio Altaris.*

Dei Patris omnipotentis miſericordiam, dilectiſſimi Fratres, deprecemur; ut hoc Altare Sacrificiis ſpiritalibus conſecrandum, vocis noſtræ [1] exorandus officio præſenti benedictione [d] ſanctificet: ſtudio ſuæ devotionis impoſitas benedicere & ſanctificare dignetur; & ſpiritali placatus incenſo, precanti familiæ ſuæ promptus exauditor adſiſtat. Per.

Benedictio Altaris ſive Conſecratio.

Deus omnipotens, in cujus honorem Altare ſub invocatione [e] tui conſecramus, clemens & propitius preces noſtræ humilitatis exaudi, & præſta, ut in hac menſa ſint tibi libamina accepta, ſint grata, ſint pinguia, & Spiritus Sancti tui ſemper rore perfuſa; ut omni tempore in hoc loco ſupplicantis tibi familiæ tuæ [f] auxilietates [2] releves, ægritudines cures; preces audias; vota ſuſcipias; deſiderata confirmes; poſtulata concedas. Per.

Præfatio Linteaminum. [3]

Domine Deus omnipotens ſicut ab initio hominibus [g] vitalia & neceſſaria creaſti; & quemadmodum veſtimenta Pontificalia Sacerdotibus, & Levitis ornamenta quæ Maria texuit & fecit in uſum miniſterii Tabernaculi [h] Fœderis ſanctificare, benedicere, conſecrareque digneris hæc Linteamina in uſum Altaris tui ad tegendum, involvendumque Corpus & Sanguinem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti: qui tecum vivit & regnat Deus.

Ad conſecrandam Patenam.

Conſecramus & ſanctificamus hanc Patenam ad conficiendum in ea Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti patientis Crucem pro ſalute noſtra omnium. Qui cum Patre & Spiritu Sancto [i] qui vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

Inde facis ſignum Crucis de Oleo Sancto ſuper Patenam & dicis hanc Orationem.

Conſecrare & ſanctificare digneris Domine Patenam hanc per iſtam unctionem & noſtram benedictionem, in Chriſto Jeſu Domino noſtro. [k] Qui vivit & regnat.

Ad

a. Perficiat. *leg.* proficiat. * *Perficiat*. Apud Menardum legitur, *proficiant.*

*b** Levit. VIII, 11, 15. *c. Præfatio Conſecrationis.*

d. Sanctificet: ſtudio. Apud Menardum ſic legitur, *Sanctificet: ut in eo ſemper oblationes famulorum ſuorum ſtudio.*

e. Tui conſecramus. Apud Menard. *tui nominis indigni, conſecramus.*

f. Auxilietates. Apud Menardum, *anxietates.*

g. Vitalia. Apud Menard. *utilia.*

h. Fœderis. Apud Menard. additur, *fieri decreviſti.* *i. redundat.*

k. *Qui vivit & regnat.* Apud Menardum, *Qui vivis &c.*

(1) *Idem M. exoratus.* (2) *Et Codices O, & R, atque Grimoldi Abbatis apud Pamel. eo in loco habent* anxietates.

(3) *Quorum videlicet in altaris miniſterio uſus. Vide Menardum ad notatione 562.*

Digitized by Google

Ad Calicem benedicendum.

Oremus, dilectiſſimi Fratres, ut Dominus Deus noſter [a] Calicem ſuum in miniſterio conſecratum cæleſtis gratiæ inſpiratione ſanctificet; & ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet. Per Dominum.

Item alia.

Dignare Domine Calicem iſtum in uſum miniſterii tui pia famuli tui devotione formatum, ea ſanctificatione perfundere; qua Melchiſedech famuli tui [b] ſacramentum Calicem perfudiſti: & quod arte vel metallo [c] effici non poteſt altaribus tuis dignum; [1] fiat tua benedictione pretioſum. Per.

Item Benedictio ad omnia in uſum Baſilicæ.

Dignare Domine Deus omnipotens Rex regum, & Dominus dominantium, Sacerdos omnium, Pontifex univerſorum, per quem una cum Patre Sanctoque Spiritu facta ſunt univerſa, Chriſte Jeſu, benedicere, conſecrare, & ſanctificare digneris vaſa hæc cum hoc Altari, linteaminibus, cæteriſque vaſis: & quemadmodum ſanctificaſti officia Tabernaculi Teſtimonii olim cum Arca, Oraculo, Cherubin aloſis, velis, columnis, [d] candelabris, Altaris, argenteis baſibus, tabulis deauratis, holocauſtis, hoſtiis, [e] æneo Altari, cum æneis vaſis, tentoriis, funibus, oleo unctionis, & cæteris aliis in figura noſtri, per manus ſanctorum ſanctificaſti Sacerdotum; ita nunc manens in æternum ſummus Sacerdos Sacerdotum ſecundum ordinem Melchiſedech, ut diximus, Patenam hanc, & Calicem hunc, & omnia inſtrumenta Altaris hujus Eccleſiæ, *ſive* Baſilicæ, quæ inter noſtras palmas habentur, corde precamur, benedicas; purifices, conſecres, & conſumes: [f] quibus inter nos & æternam unitatem in ſupremo meatu ſine fine conſtare credimus. Per.

Præfatio Chriſmalis.

Oremus Fratres cariſſimi, ut Deus omnipotens hoc Miniſterium Corporis Filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti gerulum benedictione, ſanctificationis tutamine, defenſionis donatione implere dignetur, orantibus nobis. Per Dominum.

Item alia.

Omnipotens Trinitas inſeparabilis, manibus noſtris opem tuæ benedictionis infunde; ut per noſtram benedictionem hoc vaſculum ſanctificetur; & Corporis Chriſti novum ſepulcrum Spiritus Sancti gratia perficiatur. Per Dominum.

LXXXVIII.

a. *Calicem ſuum in miniſterio conſecratum.* Apud Menard. *Calicem in uſum ſui miniſterii conſecrandum.*

b. *Sacramentum.* Apud Menardum rectius *Sacratum.*

c. *Effici.* Ita correximus; perperam enim in exemplari legitur, *officii.*

d. Candelabris, Altari. *lege* candelabra, Altare.

e. Æneo. *leg.* æreo.

f. *Quibus inter nos*, &c. Ita fere legitur in Ord. Rom.

(1) O. faciat tua benedictio pretioſum atque ſanctificatum. *Cod. R*, *& Sacram. Grimoldi Abbatis apud Pamelium*; fiat tua benedictione pretioſum atque ſanctificatum.

[a] LXXXVIII. ORAT. ET Prec. ad Miſſas in Dedicatione Baſilicæ novæ.

Deus, qui ſacrandorum tibi Auctor es munerum, ad ſanctificationem loci hujus propitius adeſſe dignare; ut qui hæc in honorem tui nominis condiderunt, protectorem te habere in omnibus mereantur. Per.

Magnificare Domine Deus noſter in Sanctis tuis; & hoc in Templo ædificationis appare; ut qui omnia in filiis adoptionis operaris, ipſe ſemper in tua hæreditate lauderis. Per.

SECRETA

Omnipotens ſempiterne Deus, qui gregalium differentias hoſtiarum in unius hujus ſacrificii perfectione ſanxiſti, reſpice propitius de throno gloriæ tuæ; & ſuper hoc Altare benedictionis tuæ munus effunde; ut in eo ſic temporales hoſtiæ conſecrentur; ut perpetuæ vitæ ſumentibus procurent ſubſtantiam. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

VD Qui cum ubique ſis totus, & univerſa tua majeſtate contineas; ſacrari tamen tibi loca tuis myſteriis apta voluiſti; ut ipſæ orationum domus [b] ſupplicum mentes ad invocationem tui nominis incitarent: effunde ſuper hunc locum gratiam tuam; & [1] omnibus in te ſperantibus auxilii tui munus oſtende; ut [2] hic & ſacramentorum virtus, & votorum obtineatur effectus. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem famuli *vel* famulæ tuæ *Illius*, quam tibi offerunt hanc dedicantes Eccleſiam, quæſumus Domine placatus accipias, noſtraſque preces dignanter exaudias; ut ſint oculi tui aperti ſuper domum iſtam die ac nocte. Templumque hoc in honorem Beatorum Martyrum tuorum *illorum*, *vel Illarum* Sanctarum, & Confeſſorum, ſacris myſteriis inſtitutum clementiſſimus dedica; miſerator inluſtra, propitius ſplendore clarifica: cunctam familiam tuam ad aulæ hujus ſuffragia concurrentem benignus exaudi; ejuſdemque Conditorum omnia deſideria cordis complacita tibi pius adimple; votiſque reſponde. Augmenta eis annos vitæ, & temporum felicitatem; ut per ſpatia longæva viventes, melioribus ornamentis ſtudio eorum locus iſte refulgeat: dieſque noſtros.

POST COMMVNIONEM.

Copioſa beneficia, quæſumus Domine, Chriſtianus populus adſequatur; ut qui in [c] odorem Sanctorum ſacrandis tibi [d] liminibus præſentis accipiat; & gratiam ſempiternæ redemptionis inveniat. [e] Per Dominum.

XC.

a. LXXXVIII. *leg*. LXXXIX. *b*. Supplicum. *leg*. ſuppli.

c. *Odorem*. Apud Menardum rectius habetur, *honorem*.

d. Liminibus. *leg*. luminibus.

* *Liminibus præſentis*. Apud Menardum, *liminibus devotus occurrit, & vitæ ſubſidia præſentis*. *e*. Per Dominum. *leg*. Per.

(1) *M.* & omnibus te invocantibus.

(2) *Idem M.* ut hic Sacramentorum virtus omnium fidelium corda confirmet. Per eumdem Dominum.

XC. ITEM [1] ALIA MISSA

DEus, qui ſacrandorum tibi Auctor es munerum, effunde ſuper hanc orationis domum benedictionem tuam; ut ab omnibus invocantibus nomen tuum, defenſionis auxilium ſentiatur. Per Dominum.

Deus, qui ex omni coaptatione Sanctorum æternum tibi condis habitaculum; da ædificationi tuæ incrementa cæleſtia: [a] & quorum hic reliquias pio more complectimur, eorum ſemper meritis adjuvemur. Per.

SECRETA.

Omnipotens ſempiterne Deus effunde ſuper hunc locum gratiam tuã, & omnibus te invocantibus auxilii tui munus oſtende; ut hic Sacramentorum virtus omnium fidelium corda confirmet. Per Dominum noſtrum.

VD Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem te ſupplices deprecamur: ut Altare hoc ſanctis uſibus præparatum cæleſti dedicatione ſanctifices; & ſicut Melchiſedech Sacerdotis præcipui oblationem dignatione mirabili ſuſcepiſti; ita impoſita novo huic Altari munera [b] ſuper accepto ferre digneris: ut populus tuus in hanc Eccleſiæ domum ſanctam conveniens, per hæc pura libamina cæleſti ſanctificatione ſalvatus, animarum quoque ſuarum ſalutem perpetuam conſequatur. Per quem majeſtatem.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem famuli *vel* famulæ tuæ *Illius vel Illius*, quam tibi in hujus Templi ſanctificationem offerunt immolandam; quæſumus Domine dignanter intende; ut aulam, quæ Beati Martyris tui *Illius* meritis [c] æquipetere non poſſit, tuæ claritatis vultus inluſtret, fiatque tua propitiatione tuis ſacris ſanctiſque digna Myſteriis. Sit æternæ lucis habitaculum temporale. Nihil hic mundanæ ſordis obſcuritatiſque poſſideant: ut veniens hic populus tuus ſuæ conſequatur orationis effectum; dignumque locum hunc tua ſentiat majeſtate, dum a te poſtulata fuerit conſecutus: ſitque ædificantibus in pretio delictorum, dum a te non pro ſui operis quantitate, ſed pro offerentum fuerit devotione ſuſcepta: dieſque noſtros.

POST COMMVN.

Sanctorum tuorum, Domine, precibus confidentes, quæſumus, ut per ea quæ ſumpſimus, æterna remedia capiamus. Per.

XCI. ORAT. ET PREC. in Dedicatione Baſilicæ quam Conditor [2] non dedicatam reliquit.

DEus, qui loca nomini tuo dedicata ſanctificas, & benedictionibus tuis dicanda præcedis, præſta quæſumus;

a. *Et quorum*. Apud Menard. *ut quorum*.

b. *Super accepto*. Apud Menard. *ſemper accepta*.

c. *Æquipetere non poſſit*. leg. *æquiparare non poteſt*.

(1) *An illinc colligere merito poſſimus duas Miſſas in Eccleſiæ Dedicatione celebratas fuiſſe me latet. In Cod. S. Eligii unica eſt hujus ſollemnitatis Miſſa, in qua tamen leguntur duæ Præfationes, quarum unam exhibet in ſuperiori Miſſa noſter hic liber, alteram in præſenti.*

(2) *Subintellige* morte præventus.

mus; ut quod Beato Apoſtolo tuo *Illo*, & Sanctis Martyribus *Illis* famulus tuus *Ille* in hoc ædificio deputavit, digno præparetur Officio. Per.

Omnipotentiam tuam, quæſumus Domine, Sanctus tuus *Ille* interventor exoret; ut ejus meritis hanc Eccleſiam deputatam clementer inluſtres: quoniam quicquid Sanctis honoris impenditur, tuæ reſpicit inſignia majeſtatis. Per Dominum.

SECRETA.

Concede, quæſumus, Domine, ut ſicut famulus tuus *Ille* oblatis optavit muneribus, Beatorum Martyrum tuorum *Illorum* hic ſemper merita celebrentur. Per.

VD Qui tribuis [a] ut tibi fideles tui quod, te inſpirante, devoverunt, impleant. Ideoque hujus Baſilicæ dedicationem, quam Beato Apoſtolo tuo *Illi*, & Sanctis Martyribus tuis *Illis*, famulus tuus offerre inſtituit, pio prævenientes officio, dignas majeſtati tuæ laudes offerimus. Per quem majeſtatem tuam.

POST COMMUNIONEM.

Da quæſumus omnipotens Deus, ut divino munere ſatiati, & ſicut famulus tuus *Ille* pro ſuæ animæ requie deputavit, in hujus conſummationis requiem Beati Apoſtoli tui *Illius* & Sanctorum Martyrum *Illorum* gloriam tuam plebs devota veneretur. Per.

XCII. IN EIUSDEM Conditoris Agendis. [1]

DEus fidelium receptor animarum, præſta quæſumus, ut famulus tuus *Ille* & in perpetua luce quieſcat; & quod de hoc loco deſideravit, obtineat. Per Dominum noſtrum.

SECRETA.

Pro anima famuli tui *Illius* Domine tibi ſacrificium ſupplices exoramus; ut ad tuam miſericordiam conferendam perpetuam dignanter ejus vota perficias. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro anima famuli tui *Illius*, Domine quæſumus, placatus intendas; & ut fructum boni operis conſequatur, quæ in his locis Chriſtiana promiſit mente, perficias: dieſque noſtros.

POST COMMUNION.

Largire quæſumus omnipotens Deus, ut anima famuli tui *Illius* plenam capiat de hujus Eccleſiæ perfectione mercedem. Per Dominum noſtrum.

XCIII. ORAT. ET PREC. in Dedicatione loci illius ubi prius fuit Synagoga.

DEus, qui abſque ulla temporis mutabilitate cuncta diſponis; & [b] ad meliorandam perducis quæ eligis eſſe mutanda: reſpice ſuper hanc Baſilicam in honorem Beati *Illius* nomini tuo dicatam; ut, vetuſtate Judaici erroris

a. *Ut tibi*. Sic emendavimus, quia perperam legitur in exemplari, *& tibi*.
b. *Ad meliorandam*. leg. *meliora*, ſive, *melioranda*.

(1) *Hoc eſt exequiis*.

Digitized by Google

erroris expulſa, huic loco Sancti Spiritus novitate Eccleſiæ conferas veritatem. Per Dominum noſtrum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hunc locum, Judaicæ ſuperſtitionis fœditate deterſa, in honore Beati *Illius* Eccleſiæ tuæ dignatus es pulchritudinem [a] decorare. Per Dominum.

Præſta quæſumus Domine, ut illa fides hic fulgeat, quæ ſigno Crucis erecta, mortem ſubegit; & ſalutem nobis contulit & triumphum. Per.

SECRETA.

Deus vita credentium, & origo virtutum, reple, quæſumus, hoc templum tuæ gloria majeſtatis; in honore Beati *Illius* fiat domus orationis, quod perditum fuerat ante latibulum: & quia infidelium turba in iſto loco conveniebat adverſa, populus tuus oblationibus ſuis te hic ſemper mereatur invenire propitium. Per.

POST COMMVN.

Gratias tibi referimus, Domine, ſacro munere vegetati, tuam miſericordiam deprecantes, ut dignos ejus nos participatione perficias. Per.

AD POPVLVM.

A plebe tua, quæſumus Domine, ſpiritales Nequitiæ repellantur; & aerearum diſcedat malignitas Poteſtatum. Per Dominum.

XCIIII. ORAT. ET PREC. in [1] Dedicatione Fontis.

Omnipotens ſempiterne Deus, hoc Baptiſterium cæleſti viſitatione dedicatum, Spiritus tui inluſtratione ſanctifica; ut quoſcunque Fons iſte lavaturus eſt, trina ablutione purgati, indulgentiam omnium delictorum tuo munere conſequantur. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus fons omnium virtutum, & plenitudo gratiarum, dignare eadem ſacro Baptiſmati præparata majeſtatis tuæ præſentia conſecrare; ut qui ubique totus es, etiam hic adeſſe te in noſtris precibus ſentiamus. Per.

SECRETA.

Suſcipe, quæſumus, Domine preces noſtras cum oblationibus ſupplicantum, & concede propitius; ut quidquid hic novum Regenerandi per Spiritum Sanctum acceperint, tua gratia fiat æternum. Per.

VD Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem nobis regenerationis exortus eſt: ut qui per carnalem originem mortales in hoc ſæculum veneramus; ad ſpem vitæ æternæ ex aqua & Spiritu Sancto renaſceremur. Quod Sacramentorum pietatis tuæ Domine ut loco tota gratiæ tuæ potentia celebretur, ſupplices tibi hoc ſacrificium laudis offerimus, obſecrantes miſericordiam tuam; ut huic

 Fonti

a. *Decorare. Per.* Deeſt aliquid ut ſententia conſtet.

(1) Dedicatio *& hoc loco ſumatur oportet eodem ſignificatu ac* Conſecratio. *Illud enim diſcriminis eſt inter hanc Fontis dedicationem & illam Conſecrationem ſive Benedictionem Sabbati Sancti, quæ ſuperiori pag. 73. occurrit, quod illa præcipue inſtituta eſt ad aquam ſanctificandam ante Baptiſmi conlationem, hæc vero ad integrum Baptiſterium, ſive ſacellum de novo ædificatum ſacrandum, in quo repoſitus ſit novus itidem baptiſmatis fons.*

Fonti virtutem Spiritus tui indeſinenter præſedere concedas: quo operante, omnes qui in hæc fluenta deſcenderint, ab univerſorum criminum contagiis emundati, & perpetua ſanctificatione purgati, libro beatæ vitæ mereantur adſcribi. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus in hujus conſecratione Baptiſterii, quæſumus, Domine placatus accipias; & tua pietate concedas: ut quoſcumque Fons iſte lavaturus eſt, omnium criminum abolitione purgentur: atque famulis tuis Conditoribus mercedem tanti operis promiſſæ retributionis impendas. Quam oblationem tu Deus.

POST COMMUNIONEM.

Multiplica Domine benedictionem tuam; [1] & per Spiritum tui muneris fidem noſtram conrobora: ut qui in hæc fluenta deſcenderint, eos in libro vitæ [2] adſcribi jubeas, in regno tibi Deo Patri in reſurrectione tradendos. Per.

AD POPULUM.

Propitiare Domine familiæ tuæ, & benignus humilitatis noſtræ vota ſanctifica, & omnes in hoc Fonte regenerandos, univerſali adoptione cuſtodi. Per.

XCV. INCIPIT ORDO de [3] ſacris Ordinibus [4] benedicendis.

Hæc [5] autem ſingulis Gradibus obſervanda ſunt tempora. [6] Si ab infantia Eccleſiaſticis [a] Miniſtris nomen dederit, inter Lectores uſque in vigeſimum ætatis annum continuata obſervatione perduret. [7] Si majori ætate jam acceſſerit, ita tamen ut poſt Baptiſmum [b] ætatem ſe divinæ militiæ deſiderat

a. *Miniſtris*. in Ord. Rom. *Miniſteriis*.
b. *Ætatem*. in Ord. Rom. *ſtatim*.

(1) O, *&* R. & ſpiritu tui muneris. *Grimoldi Abbatis liber*. & ſpiritus tui munere.

(2) *Iidem mox laudati Codices*, adſcribi mereantur. Per.

(3) *Sacri Ordines vocantur illic omnes Eccleſiaſtici Ordinis gradus. Vide Menardum ad not.* 683.

(4) de ſacris Ordinibus benedicendis; *hoc eſt Ritus conferendi* Eccleſiaſticos Ordines: *benedicere enim ſacros Ordines in veterum chartis idem denotat ac re præſenti, ac ad Ordinis Eccleſiæ gradus, aliquos promovere.*

(5) *In libro Pontificali Egberti Eboracenſis apud Martene de antiq. Eccl. ritibus lib.* I, *parte* II, *cap.* VIII, *art.* XI, *pag.* 350; *& in Pontificali Caturcenſi apud eumdem pag.* 380, *perantiquis ſane Eccleſiæ monumentis, quorum unum nongentorum creditur annorum, alterum octingentorum, integra hæc de temporum intervallis inter Eccleſiaſticos Ordines conferendos inſtitutio, Innocentio Pontifici Summo tribuitur hac Inſcriptione*: Incipit ſermo Innocentii Papæ de ſeptem Gradibus Eccleſiæ ordinandis. *Verum Zoſimi Rom. Pont. illam eſſe conſtat in epiſt. ad Heſychium Salonitanum cap.* III, *quæ epiſtola juxta Petri Couſtant recenſionem col.* 968 *eſt illius Pontificis* IX. *De his vero quæ in eadem hac inſtitutione occurrunt, conſuli poterunt, Siricii epiſt. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum cap.* IX; *Gregor. Turonenſis Hiſt. Franc. lib.* IV, *cap.* 6. *& Canones Hibernenſes cap.* IX *lib.* I, *apud D'Acheryum Spicilegii tom.* IX.

(6) *Siricius epiſtola prælaudata cap.* IX, Quicumque itaque ſe Eccleſiæ vovit obſequiis a ſua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet miniſterio ſociari. *Confer quæ in rem hanc protulimus Præfationis noſtræ ad tomum* IV, *num.* XIT.

(7) *Zoſimus*, ſi major jam & grandævus acceſſerit *&c. Siricius vero cap.* X. Qui vero jam ætate grandævus melioris propoſiti converſione provocatur, ex laico ad ſacram militiam venire feſtinat, deſiderii ſui fructum non aliter obtinebit, niſi eo quo baptizatur tempore, ſtatim Lectorum aut Exorciſtarum numero ſocietur. *Obſerva veterem primævæ Eccleſiæ diſciplinam in Clerum non admittendi, niſi eos, qui ſtatim a Baptiſmo Eccleſiæ ſervitio ſeſe mancipaverint.*

ſiderat mancipari, ſive inter Lectores ſive inter Exorciſtas quinquennio teneatur: & exinde Acolythus vel Subdiaconus quatuor annis ſtet: & ſic ad benedictionem Diaconatus, ſi meretur, accedat. In quo ordine quinque annis, ſi inculpate ſe geſſerit, hærere debet: [1] *ex ſuffragantibus meritis ſtipendiis per tot Gradus, datis propriæ fidei documentis, Presbyterii Sacerdotium poterit promereri. De quo loco ſi illum exactior ad bonos mores vita perduxerit, Summum Pontificatum ſperare debebit. Hac tamen lege ſervata, ut neque bigamus, neque* [2] *pœnitens ad hos Gradus poſſit admitti. Sane ut etiam* [3] *Defenſores Eccleſiæ, qui ex Laicis fiunt, ſupradicta obſervatione teneantur, ſi meruerint eſſe in ordine Clericatus.*

Epiſcopus cum ordinatur duo Epiſcopi ponant & [4] *teneant Euangeliorum codicem ſuper caput ejus: & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant.*

Presbyter cum ordinatur, [a] *Epiſcopum eum benedicentem etiam omnes Presbyteri, qui* [b] *præſentes ſunt.*

Diaconus cum ordinatur [5] *ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat: reliqui vero Sacerdotes juxta manum Epiſcopi caput illius ponant: quia non ad Sacerdotium, ſed ad Miniſterium conſecratur.*

Subdiaconus cum ordinatur, [c] *quia manuum impoſitionem non accipit, Patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam & Calicem vacuum: de manu vero Archidiaconi accipiat urceolum cum*

aqua,

a. Epiſcopum eum benedicentem; etiam. Apud Menard. *Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam.*

b. Præſentes ſunt. Apud Menard. additur *manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput ejus teneant.*

c. Quia manuum. *leg.* qui manum.

(1) *Zoſimus, & duo prælaudata Pontificalia apud Martene habent.* Exinde ſuffragantibus meritis &c.

(2) Neque pœnitens, *qui ſcilicet ob patratum grave crimen, publicæ pœnitentiæ ſeſe ſubmiſerat, hi porro ab* Eccleſiaſticis *Ordinibus arcebantur: quemadmodum innumeri fere ea de re* Conciliorum *canones fidem faciunt. Ab hac lege eximendos volunt aliqui, quibus libenter adſentirer, eos qui pro levi culpa, ardentis in* Deum *pietate, publicam ſponte pœnitentiam ſuſcipiebant. Conſule Ed. Martene de antiquis Eccl. ritibus lib. I, parte II, cap. VIII, art. II, num. V. Cetera ad Clerum & Ordines Eccleſiæ recipiendos una cum bigamis & pœnitentibus nec admittebantur heretici & ſchiſmatici, neque Neophyti, neque Clinici ſive Grabatarii, neque ſervi, neque milites, neque curiales, neque illiterati, neque corpore vitiati, neque illegitimi, de quibus omnibus vide ſis prælaudatum art. II, Ed. Martene.*

(3) Defenſores Eccleſiæ *qui fuerint ſatis conſtat; illi enim erant, quibus* Eccleſiæ *bona ut curarent, demandabatur, qui* Eccleſiæ *jura defendebant, & pauperum curam gerebant: quique modo e Clericis modo e laicis eligebantur. Vide Du-Cangium ad eam vocem in Gloſſario.*

(4) *Ritum tenendi librum* Euangeliorum *ſuper caput illius, qui in Epiſcopum ordinatur, improbat Amalarius lib. II, de Offic* Eccleſiaſt. *cap. XIV, utpote qui neque veteri auctoritate comprobetur, neque apoſtolica traditione, aut canonica auctoritate. Quæ quantum a vero abludant fuſe demonſtrant de ſacris* Ordinationibus *agentes, & qui* Greg. M. Sacram. *&* Pontificale *Romanum animadverſionibus & Commentariis illuſtrarunt.*

(5) *Iterum Amalarius heic emendandus, dum cap. XII memorati lib. II improbat quemdam libellum docentem ſolum ab Epiſcopo imponendas eſſe manus in capite illius, qui* Diaconus *ordinatur; contenditque omnes qui adſunt, presbyteros eidem manus ſuper caput imponere neceſſe eſſe, quum in Actibus Apoſtolorum legatur cap VI omnes Apoſtolos manum poſuiſſe ſuper caput illorum, qui* Diaconi *eligebantur. Verum quod unus tantum* Epiſcopus *in Ordinatione* Diaconi *eum ritum exerceat, ſtatuit* Concilium *Carthag. IV, can. IV, cujus canonis ipſiſſima verba ſunt præſens hicce* Sacramentarii *Ordo;* Diaconus cum ordinatur &c.

aqua, & [1] *aquimanile*, *ac* [2] *manutergio*.

Acolythus cum ordinatur, *ab Epiſcopo quidem doceatur qualiter* [a] *ſe in officio ſuo agere debeat*: *ſed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum cereo*; *ut ſciat ſe ad accendenda luminaria Eccleſiæ mancipari*: *accipiat & urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtia Corporis Chriſti* [b*].

Exorciſta cum ordinatur, *accipiat de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt Exorciſmi*, *dicente ſibi Epiſcopo*: [c*] Accipe, & commenda [d*]: & [e*] habeto poteſtatem imponendi [f*] manum ſuper energumenum ſive baptizatum, [g*] ſive catechumenum.

Lector cum ordinatur, *faciat de illo verbum Epiſcopus ad plebem*, *indicans ejus fidem atque ingenium*. *Poſt hæc ſpectante plebe*, *tradat ei codicem de quo lecturus eſt*, *dicens ad eum*: Accipe & eſto verbi Dei relator, [h] habiturus, ſi fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum his, qui verbum Dei [i*] miniſtraverunt.

Oſtiarius cum ordinatur, *poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit qualiter in domo Dei debeat converſari*; *a* [k] *ſuggeſtione Archidiaconi*, *tradat ei Epiſcopus claves Eccleſiæ de Altari*, *dicens ei*: Sic age quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus [l] quæque iſtis clavibus recluduntur.

Pſalmiſta [3] *ideſt Cantor poteſt abſque ſcientia Epiſcopi*, *ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi*, *dicente ſibi Presbytero*: Vide ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus probes.

Sanctimonialis Virgo cum ad conſecrationem ſui [m] *Epiſcopi offertur*, *in talibus veſtibus applicetur*, *qualibus ſemper uſura eſt profeſſioni & ſanctimoniæ aptis*.

XCVI. ITEM BENEDICTIONES ſuper eos, qui Sacris Ordinibus benedicendi ſunt.

PRAE-

a. *Se in officio ſuo*. Apud Menard. *in officio ſuo*.

*b** Volum.Card.Caſanate, de quo ſupra pag. 21. *k**. *Accipite & eſtote ſtrenui & ſolliciti ad accendenda Eccleſiæ luminaria*, *& ad ſuggerendum vinum in Euchariſtia corporis Chriſti*. *c** *Accipite*. *d** *memoriter*. *e** *habetote*. *f** *manus*.

*g** *vel*. *h*. *Habiturus*. Sic emendavimus ex Menardo; perperam enim in exemplari ſcribitur, *habitaturus*. *i** al. *miniſtraverint*.

k. *A ſuggeſtione*. Apud Menardum correctius legitur, *ad ſuggeſtionem*.

l. *Quæque*. Apud Menardum, *quæ*.

m. *Epiſcopi*. leg. *Epiſcopo*.

(1) Aquimanile *illic vocatur vas*, *in quo aqua ſupra manus ad lavandum infuſa cadens recipitur*, *quod vulgo* Bacinum *appellamus*. *Conſule Du-Cangium ad hanc vocem*.

(2) *Hoc eſt* mantile *vel* mantele *tergendis manibus idoneum*.

(3) *Pſalmiſta ſive Cantor inter Eccleſiæ gradus ſive ordines numeratur*: *cujus rei non ſolum præſens habemus teſtimonium*, *ſed & can.* x *Concil. Carthaginienſis* IV, *cujus totidem canones ſunt*, *qui in præſenti Sacramentario heic occurrunt de ſingulis dandis Ordinibus*. *Alia inſuper rei ejuſdem documenta adducit cap. citato Martenius quæ videri poterunt*. *Duo heic adnotari vetim*; *unum*, *conſtituendi ſive gradum Pſalmiſtæ conferendi poteſtatem & presbytero heic adjudicari*, *ut & a memorato nuper can. Carthaginienſi*. *Alterum vero novem juxta idem Concil. Carthag. & in præſenti numerari Ordinum gradus*, *quorum primus eſt Epiſcopi*, *poſtremus Pſalmiſtæ*. *De quibus paſſim agentes*, *qui ſacras Ordinationes expendunt*, *conſuli*, *ſi id faciendi voluntas inceſſerit*, *poterunt*.

Digitized by Google

PRAEFATIO OSTIARII.[1]

DEum Patrem omnipotentem ſuppliciter [a] deprecemur, ut hunc famulum ſuum nomine *Illum* benedicere dignetur; quem in officium Oſtiarii eligere dignatus eſt: ut ſit ei fideliſſima [b*] cura in diebus ac noctibus [2] ad diſtinctionem horarum certarum ad invocandum nomen Domini. Per Dominum.

ITEM [3] BENEDICTIO EIUSDEM.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus benedicere digneris hunc famulum tuum Oſtiarium nomine *Illum*: ut inter Janitores Eccleſiæ paret obſequia; & inter electos tuos partem mereatur habere mercedis. Per.

PRAEFATIO LECTORIS.

[c*] Eligunt te Fratres tui, ut ſis Lector in domo [d*] Dei tui: [e*] ut agnoſcas officium tuum; [f*] ut impleas illud; potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam. Per.

BENEDICTIO LECTORIS.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus benedicere digneris famulum tuum nomine *Illum* in [g*] officio Lectoris, ut aſſiduitate lectionum diſtinctus atque [h] ornatus curis [i*] modulis ſpiritali devotione [k*] reſonet [l] Eccleſiæ. Per Dominum.

PRAEFATIO EXORCISTÆ.

Deum Patrem omnipotentem ſupplices deprecemur; ut hunc famulum tuum nomine *Illum* benedicere dignetur in officium Exorciſtæ; ut ſit ſpiritalis imperator ad abjiciendos Dæmones de corporibus obſeſſis cum omni nequitia eorum multiformi. Per.

BENEDICTIO EXORCISTÆ.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus benedicere digneris famulum tuum hunc nomine *Illum* in [m*] officio [n] Exorciſtæ: [o] ut per [p*] impoſitionis manuum, & oris [q*] in officium eum eligere digneris: & [r] imperium habeat ſpirituum immundorum

a. Deprecemur. *leg.* deprecamur.

b in omnibus*. Volum. Card. Caſanate, ubi omittitur particula *in* ante *diebus*.

*c** Hæc verba immediate ponuntur aliis: *Accipite & eſtote verbi Dei relatores*. in Volum. Card. Caſanate. *d* Domini Dei*. *e** al. &. *f** al. &.

*g** Vol. *officium*. *h*. *Ornatus*. Apud Menardum, & in Miſſali Francorum habetur, *ordinatus*. *i** Vol. &. *k* gratiam*. *l*. *Reſonet*. In Miſſali Francorum, *lingua reſonet*. *m* officium*. *n*. Exorciſtæ. *leg.* Exorciſtam.

o. *Ut per impoſitionis manuum, & oris in officium*. Apud Menardum legitur, *& ad impoſitionem manuum, & oris officium*. *p* impoſitionem*. *q** omittit *in*.

r. *Et imperium*. Apud Menard. *ut imperium*.

(1) *Servato in ſuperioribus ordine, qui inter canones Concil. Carthag. IV. viſitur, heic ab Oſtiarii gradu orditur.*

(2) *Hinc colligere poſſumus inter Oſtiarii munia & illud fuiſſe ut horas ſacris perſolvendis ſtatutas obſervaret. Crediderim ut illis inſtantibus ſignum daret, Eccleſiæ portas aperiret, & alia ejus generis præſtaret. Vide Menard. in Concordia Regularum cap. LIV, §. XI, & not. 693. ad Greg. Sacram.*

(3) Benedictio, *hoc eſt* conſecratio, *ſive* ordinatio: *id enim &* Benedictionis *nomine veteres intellexiſſe patet. Vide ſuperiorem adnotationem* (4) *pag.* 114 *& Du-Cangium ad eam vocem; atque Menardum ad not.* 694.

rum [a] coercendo : & [1] probabilis ſit medicus Eccleſiæ tuæ, gratiæ curationum virtute confirmatus. Per Dominum, [2]

PRAEFATIO ORDINANDI SVBDIACONI.

Oremus Deum ac Dominum noſtrum, ut ſuper ſervum ſuum nomine *Illum*, quem ad Subdiaconatus officium [b] evocare [c*] dignatus eſt, infundat benedictionem & gratiam ſuam: [d] in [e*] conſpectu ſuo fideliter ſerviens, [f*] deſtinata [g*] Sanctis præmia conſequatur. Per.

BENEDICTIO SVBDIACONI.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus benedicere digneris famulum tuum hunc nomine *Illum*, quem ad Subdiaconatus officium, [h*] dignatus es eligere : ut [i*] eum Sacrario tuo [k*] ſancto ſtrenuum ſolicitumque cæleſti militiæ inſtituas ; [l*] & ſanctis Altaribus fideliter ſubminiſtret : & requieſcat ſuper eum Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis ; [m*] repleas eum Spiritu timoris tui : [n*] ut [o] eum miniſterio divino confirmes ; [p] ut obediens [q*] atque dicto parens, tuam gratiam conſequatur. Per. [3]

[r]CONSECRATIO MANVVM.[4]

Conſecrentur manus iſtæ per iſtam unctionem & noſtram benedictionem; ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint ; & quæcunque ſanctificaverint, ſancti ficentur. Per Dominum noſtrum.

XCVII. [5] IN [s] NATALE Conſecrationis Diaconi.

AD preces noſtras, quæſumus, Domine propitiatus intende ; ut Levitæ tui ſacris Altaribus ſervientes, & fidei

a. Coercendo. apud Menardum habetur. *coercendorum*.
b. Evocare. Apud Menardum, *vocare*. *c* vocare*.
d. In conſpectu ſuo. Apud Menardum, *ut in conſpectu ſuo*. *e* ut in*.
f prædeſtinata*. *g* ſancta*. *h* eligere dignatus*. *i* uti*.
k ſanctos, ſtrenuos*. *l* ut ſanctis*. *m* repleaſque*. *n* & eos*.
o. Ut eum. Apud Menardum, *& eum*. *p. Ut obediens atque*. Apud Menard. *ut obediens facto atque*. *q* factis atque dictis*.
r. Conſecratio manuum. Hæc Conſecratio pertinet ad Presbyteri ordinationem, perperam hic poſita. *ſ.* Natale. *leg.* Natl.

(1) Probabilis, *ideſt qui probari hominibus mereatur, dignus, idoneus*.

(2) *Acolythi Benedictio heic deſideratur: Eam vide apud Menardum in Cod. S. Eligii*.

(3) *Quæ heic deſiderantur Diaconi atque Presbyteri Benedictiones ſive Ordinationes require ſupra in Sabbato jejunii menſis primi. In prima videlicet die in hujuſce Sacramentaris ordine occurrente, qua Diaconos atque Presbyteros conſecrare liceret. Luculentum rei teſtimonium habemus ex Epiſtola Gelaſii, data ad Epiſcopos per Brutios & Lucaniam conſtitutos, in qua cap. xi legitur*: Ordinationes presbyterorum & diaconorum, niſi certis temporibus & diebus exerceri non debent, ideſt quarti menſis jejunio, ſeptimi & decimi; ſed etiam quadrageſimalis initii, ac mediana hebdomadæ die Sabbati jejunio, circa veſperam noverint celebrandas. *En igitur cur in primo Sabbato jejunii quatuor temporum ritus ordinandis diaconibus & presbyteris repoſitur: Extra anni circulum, ſive ad ejus calcem rejectus eſt in præſenti ritus aliorum Ordinum, quod iſtos quolibet anni tempore, modo illud in die Dominico fieret, conferre licebat, ſicut & nunc temporis licet*.

(4) *De hac conſecratione, quæ ad presbyteri Ordinationem ſpectat, fuſe tractantem vide clariſs. Menardum not.757*.

(5) In Natale, *hoc eſt in anniverſaria die recurrente*.

Digitized by Google

fidei veritate fundati, & mente ſint ſpiritali conſpicui. Per Dominum.

SECRETA.

Suſcipe, quæſumus, Domine Hoſtias famuli & Levitæ tui *Illius*: quibus mentium nos tui nomine devotarum, & a terrenis contagiis expiari, & cæleſtibus contuliſti propinquare conſortes. Per Dominum noſtrum.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem famuli tui *Illius*, quam tibi offerimus ob diem quo eum in Levitarum ſacrari miniſteriis contuliſti; quæſumus Domine placatus accipias, eique propitiatus concedas; ut cui donaſti Levitæ miniſterii facultatem, tribuas ſufficientem gratiam miniſtrandi. Quam oblationem.

POST COMMVNIONEM.

Præſta, quæſumus, Domine, ut noſtræ gaudeamus profectionis augmento, & de congruo Sacramenti Paſchalis obſequio. Per Dominum.

XCVIII. IN [a] NATALE Conſecrationis Presbyteri qualiter ſibi Miſſ. debeat celebrare.

DEus, cujus arbitrio omnium cælorum ordo decurrit, reſpice propitius ad noſtri temporis ætatem; ut tibi ſervitus noſtra complaceat, & miſericordiæ tuæ in nobis dona concedas. Per Dominum.

SECRETA.

Muneribus noſtris, Domine, precibuſque ſuſceptis, & cæleſtibus munda myſteriis, & clementer exaudi. Per Dominum.

VD A Equum, & ſalutare. Quia in ſæculorum ſæcula Domine permanet laudatio tua. Vox hæc populi tui fideliter concinentis, ut majeſtati tuæ placens atque jucunda ſit deprecamur: ſimul etiam illud ſupplex quæſo, ut hæc ſacrificia, quæ tibi indignus offerre præſumo ob diem, quo me ſacris Altaribus Sacerdotem conſecrari juſſiſti, de excelſo throni tui reſpicere digneris; benedictione tua impleas; ſanctificatione tua ſanctifices. Per Chriſtum Dominum.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offero ego tuus famulus hodie ob diem, quo me nullis dignum meritis, ſed ſolo tuæ miſericordiæ dono ad hunc locum perducere dignatus es Presbyterii; quæſo placatus accipias: majeſtatem tuam ſuppliciter deprecans, ut ſicut me ſacris Altaribus tua dignatio Sacerdotali ſervire præcepit officio; ita & dignum præſtet [b] & meritum. Quam oblat.

POST COMMVN.

Purificet nos, Domine, cæleſtis exequutio Sacramenti; & ad tuam magnificentiam capiendam divinis affectibus ſemper inſtauret. Per.

XCVIIII.

a. Natale. *leg.* Natl. *b. Et meritum*, legerem, & *merito*.

Digitized by Google

XCVIIII. ORAT. DE EPISCOPIS ordinandis.

ORemus dilectiſſimi nobis, ut his viris ad utilitatem Eccleſiæ providendis, benignitas omnipotentis Dei gratiæ ſuæ tribuat largitatem. Per.

Exaudi Domine ſupplicum preces, ut quod noſtro gerendum eſt miniſterio [1] tua propitius virtute firmetur. Per Dominum.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris; & inclinato ſuper hos famulos tuos cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eos effunde virtutem. Per Dominum.

CONSECRATIO.

[2] Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacris famulantur ordinibus; Deus qui Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris [3] affectu inter cætera cæleſtis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis inſtituens, electum Aaron myſtico amictu [4] veſtire inter ſacra juſſiſti: ut intelligentiæ ſenſum de exemplis priorum caperet ſecutura poſteritas; ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deeſſet ætati: cum & apud veteres reverentiam ipſa ſignificationum ſpecies obtineret; & apud nos certiora eſſent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius nanque Sacerdotii anterioris habitus, noſtræ mentis ornatus eſt; [5] & Pontificalis gloriæ non jam nobis honorem commendat veſtium, ſed ſplendorem animarum: quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipſis erant intelligenda poſcebant. Et idcirco famulis tuis, quos ad ſummi Sacerdotii miniſterium elegiſti, hanc, quæſumus, Domine gratiam largiaris; ut quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & multimodi operis varietate ſignabant; hoc in horum moribus actibuſque clareſcat. Comple Domine in Sacerdotibus tuis [a] Miniſterii tui ſummam: & ornamentis totius glorificationis inſtructos cæleſtis unguenti flore ſanctifica. Hoc Domine copioſe in eorum caput influat; hoc in oris ſubjecta decurrat; hoc in totius corporis extrema deſcendat; ut tui Spiritus virtus [6] & interiorum ora repleat; & exteriora circumtegat. Abundet in his conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis. [7] Sint ſpecioſi munere tuo pedes horum ad euangelizandum pacem, ad euangelizandum bona tua. Da eis Domine [8] miniſterium reconciliationis in verbo, & in factis, & in virtute ſignorum & prodigiorum. Sit ſermo eorum & prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis. Da eis Domine claves Regni Cælorum

a. *Miniſterii*. Apud Menardum, *Myſterii*.

(1) *In Cod. Remenſi apud Menardum not. 765. illic habetur*, tua potius virtute &c.

(2) *Confer eamdem hanc ad conſecrandum Orationem e diverſis Codicibus pluries typis editam, præſertim a Martenio*.

(3) *Al.* affatu.

(4) *Lege*, veſtiri.

(5) *Al.* & Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat veſtium, ſed ſplendor animarum.

(6) *Legendum eſſe videtur*, & interiora eorum repleat.

(7) *Nonnullis in Ordinibus omiſſa obſervabis, quæ hinc ſequuntur uſque ad inſequentia verba* Tribuas eis Domine Cathedram &c.

(8) *Al.* myſterium.

lorum utantur, [a] ne glorientur poteſtate, quam tribuis in ædificationem non in deſtructionem. Quodcunque ligaverint ſuper terram, ſit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolverint ſuper terram, ſit ſolutum & in cælis. Quorum retinuerint peccata, detenta ſint; & quorum dimiſerint, tu dimittas. Qui benedixerit, ſit benedictus; & qui maledixerit eis, maledictionibus repleatur. Sint fideles ſervi prudentes, quos conſtituas tu Domine ſuper familiam tuam; ut dent illis cibum in tempore neceſſario, ut exhibeant omnem hominem perfectum. Sint ſolicitudine impigri; ſint ſpiritu ferventes. Odiant ſuperbiam, diligant veritatem; nec eam unquam deſerant aut laſſitudine aut timore ſuperati. Non ponant lucem ad tenebras, nec tenebras lucem: Non dicant malum, bonum; nec bonum, malum. Sint ſapientibus debitores; & fructum de profectu omnium conſequantur. Tribuas eis Domine Cathedram Epiſcopalem ad regendam Eccleſiam tuam & plebem univerſam. Sis eis auctoritas [1]: multiplices ſuper eos benedictionem & gratiam tuam; ut ad exorandam ſemper miſericordiam tuam tuo munere idonei, tua gratia poſſint eſſe devoti. Per.

SECRETA.

Suſcipe Domine munera, quæ tibi offerimus pro famulo tuo *Illo*; & propitius in eodem tua dona cuſtodi. Per Dominum.

POST COMMUNIONEM.

Plenum, quæſumus, Domine in nobis remedium tuæ miſerationis operare: & tales nos eſſe perficere propitius [b] fovere digneris. Per.

C. ITEM MISSA QUAM pro ſe Epiſcopus die Ordinationis ſuæ cant. [2]

Deus, qui non propriis ſuffragantibus meritis, ſed ſola ineffabili gratiæ largitate, me familiæ tuæ præeſſe juſſiſti; tribue tibi digne perſolvere miniſterium Sacerdotalis officii, & Eccleſiaſticis convenienter ſervire miniſteriis: plebemque commiſſam, te in omnibus protegente, gubernare concede. Per.

Deus mundi creator & rector ad humilitatis meæ preces placatus attende; & me famulum tuum, quem nullis ſuffragantibus meritis, ſed immenſa largitate clementiæ tuæ cæleſtibus myſteriis ſervire tribuiſti, dignum ſacris Altaribus fac Miniſtrum; ut quod mea celebrandum voce depromitur, tua ſanctificatione firmetur. Per.

SECRETA.

Ad gloriam Domine tui nominis annua feſta repetentes Sacerdotalis exordii, Hoſtiam tibi laudis offerimus ſuppliciter exorantes; ut cujus miniſterii vice tibi ſervimus immeriti, ſuffragiis ejus reddamur accepti. Per.

a. *Ne glorientur*. In Miſſali Francorum habetur, *nec glorientur*.

b. *Fovere*. videtur redundare.

(1) *Al. illis addunt*, ſis eis firmitas, ſis eis poteſtas.

(2) *Extat & in Cod, S. Eligii apud Menardum*.

INFRA ACTIONEM.

Hanc quoque oblationem, quam offero ego tuus famulus & Sacerdos ob diem, in quo me dignatus es miniſterio ſacro conſtituere Sacerdotem; obſecro Domine placatus ſuſcipias. Vnde majeſtatem tuam ſupplex exoro; ut quod in me largiri dignatus es, propitius cuſtodire digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Quam oblationem.

POST COMMVNIONEM.

Repleantur conſolationibus tuis, Domine quæſumus, tuorum corda fidelium; pariterque etiam & de Eccleſiæ Præſule & de ſuorum votorum plenitudine gratiarum referant actiones. Per.

CI. ITEM IN NATALITIO Epiſcopi, ſi infirmus aut abſens fuerit qualiter Presbyter debeat celebrare [a] Miſſam.

PRæſta, quæſumus, omnipotens ſempiterne Deus, ut fidelibus tuis ordinatum præbeamus affectum; eiſque nos ſimiliter Spiritum Sanctum diligendi benignus infunde. Per.

SECRETA.

Da quæſumus omnipotens Deus, ut in tua ſpe & charitate ſincera, Sacrificium tibi placatum deferamus & plebis & Præſulis. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem ſancti Patris noſtri *Illius* Epiſcopi, quam tibi offerimus ob diem, quo eum Pontificali benedictione ditaſti. Præbe ei, quæſumus, ætatis ſpatia prolixiora, cujus Sacerdotii nobis tempora dignatus es donare præcipua. Quam oblationem.

POST COMMVN.

Deus, qui nos Sacramentis tuis paſcere non deſiſtis, tribue quæſumus; ut eorum nobis indulta refectio vitam conferat ſempiternam. Per.

CII. ITEM MISSA PRO alio Sacerdote. [1]

DEus, qui dierum noſtrorum numeros, menſuraſque temporum majeſtatis tuæ poteſtate diſpenſas; ad humilitatis noſtræ propitius reſpice ſervitutem; & tuæ pacis abundantia tempora noſtra & Epiſcopi noſtri tua gratia benignus adcumula. Per.

SECRETA.

Reſpice, quæſumus, Domine noſtram propitius ſervitutem; [b] & hæc oblatio noſtra ſit tibi munus acceptum, ſit fragilitatis noſtræ ſubſidium ſempiternum. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem famuli tui & Antiſtitis tui *Illius*, quam tibi offert

O

a. Miſſam. *leg.* Miſs.   b. *Et hæc oblatio*: leg. *ut hæc oblatio*.

(1) *Qui ſcilicet Miſſa ſacrum celebret pro Epiſcopo infirmo, vel impedito. Conſtat enim hoc Miſſæ Officium eſſe ad recolendam Epiſcopi Conſecrationem, ſive ut veterum charta habent in* Natalitio Epiſcopi. *Idem agnovit & claris. Thomaſius, qui in Orationali hoc officium inter illa recenſuit, quæ a Sacerdotibus celebrari debent, in anniverſario Conſecrationis Epiſcopi. Vide tom.11, pag.147, col.1.*

ob devotionem mentis ſuæ, quæſumus, Domine placatus accipias; tuaque in eo munera ipſe cuſtodias, doneſque ei annorum ſpatia: ut Eccleſiæ tuæ feliciter præſidendo, te omnia in omnibus operante, ſic utatur temporalibus, ut præmia mereatur æterna. Dieſque noſtros.

POST COMMUN.

Da, quæſumus, Domine, ut tanti myſterii munus indultum, non condemnatio, ſed ſit medicina ſumentibus. Per.

CIII. CONSECRATIO

[1] Sacræ Virginis, quæ [2] in Epiphania, vel ſecunda Feria Paſchæ, aut in Apoſtolorum Natalitio celebratur.

SEQVITVR ORATIO.

Reſpice propitius Domine ſuper hanc famulam tuam, ut Virginitatis ſanctæ propoſitum, quod te inſpirante ſuſcepit, te gubernante, cuſtodiat. Per.

ITEM BENEDICTIO.[3]

Deus caſtorum corporum benignus [4] habitator, & incorruptarum, [5] Deus, amator animarum; [6] Deus, qui humanam ſubſtantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in Verbo tuo, per quod omnia facta ſunt, reparas; ut eam non ſolum ad primæ originis innocentiam revoces, ſed etiam ad experientiam quorundam bonorum, quæ in novo ſæculo ſunt habenda, perducas; & obſtrictos adhuc conditione mortalium, jam ad ſimilitudinem provehas Angelorum. Reſpice [7] Domine ſuper hanc famulam tuam, quæ in manu tua continentiæ ſuæ propoſitum conlocans, tibi devotionem ſuam offert; [8] a quo ipſa vota adſumpſit. Quando enim animus mortali carne circumdatus legem naturæ, libertatem licentiæ, vim conſuetudinis, & ſtimulos ætatis evinceret; niſi tu per liberum arbitrium hunc amorem Virginitatis clementer accenderes,

Q 2

---

(1) *Hæc eſt illa ſollemnis conſecratio, qua juxta Siricium epiſt. x, cap. 2, virgo* integritatem publico teſtimonio profeſſa, a Sacerdote prece fuſa velamen *accipiebat: Id virginibus non licuiſſe, juxta Concil. Cæſaraug. celebratum anno* CCCLXXX, can. VIII, niſi quadraginta annorum probata ætate, *conſtat. Inſuper & illud patet eidem diſciplinæ derogatum fuiſſe aliquantulum gravi tamen inſtante cauſſa, quum anno* CCCCXVI *in Synodo Milevitana can.* XXVI *ſtatutum eſt, virgines velari poſſe intra annum ætatis* XXV, *ſi earum virginitas periclitetur: quod idem decreverat anno* CCCXCVII *& Concil. Carthag.* III, *can.* IV. *Qua de re videantur paſſim tractantes ſacrarum antiquitatum* Scriptores. *Ab Epiſcopo ea Conſecratio fiebat, uti diſerte & in hoc noſtro Sacram. adſeritur ſuperiori pag.* 116 *col.* 2. *Unde recte in Codicibus O & R, & apud Pamelium in Cod. Grimoldi, & in illo S. Eligii apud Menard. heic legitur:* Benedictio Virginis ab Epiſcopo dicenda.

(2) *Gelaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ cap.* XII *ait:* Devotis quoque Deo virginibus, niſi aut Epiphaniorum die, aut in Albis Paſchalibus, aut in Apoſtolorum natalitiis, ſacrum minime velamen imponant. *Vide S. Ambroſium cap.* V, *lib. ad Virginem lapſam.*

(3) *Quæ heic* Benedictio *dicitur*, Conſecratio *vocatur in Codd. O, R, M, P; & in Hittorpii Ordine.*

(4) *M, O, P, R.* Inhabitator.

(5) *Laudati mox Mſſ. Codices una cum Hittorpii Ordine, vocem* Deus *illic omittunt.*

(6) *Iterum vocem* Deus *ejus loci omittit M; ſed O, R, & P, una cum ea voce* Deus, *omittunt & quæ inde ſequuntur uſque ad*, Reſpice Domine &c.

(7) *Vocem* Domine *ibi omittunt memorati Codices. Immo uno excepto Hittorpii Ordine, multo detruncatam hanc Orationem illi præ ſe ferunt.*

(8) *Iidem Codices*, a quo & ipſa idem votum ſumpſit.

Digitized by Google

res ; tu hanc cupiditatem in earum corde benignus aleres , tu fortitudinem miniſtrares ? Effuſa nanque in omnes gentes gratia tua , ex omni natione , quæ eſt ſub cælo , in ſtellarum innumerabilem numerum novi teſtamenti hæredibus adoptatis , inter cæteras virtutes , quas filiis tuis non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed de tuo Spiritu genitis indidiſti ; etiam hoc donum in quaſdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit ; ut cum honorem nuptiarum nulla interdicta minuiſſent , ac ſuper ſanctum conjugium initialis benedictio permaneret ; exiſterent tamen ſublimiores animæ , quæ in viri ac mulieris copula [a] faſtidiernt connubium ; concupiſcerent ſacramentum ; nec imitarentur quod nuptiis agitur , ſed diligerent quod nuptiis prænotatur . Agnovit auctorem ſuum beata Virginitas ; & æmula integritatis Angelicæ , illius thalamo , illius cubiculo ſe devovit ; qui ſic perpetuæ virginitatis eſt filius . Imploranti ergo auxilium tuum , Domine, & confirmari ſe benedictionis tuæ conſecratione cupienti , da protectionis tuæ munimen & regimen : ne hoſtis antiquus , qui excellentiora ſtudia ſubtilioribus infeſtat inſidiis , ad obſcurandam perfectæ continentiæ palmam per aliquam mentis ſerpat incuriam ; & rapiat de propoſito Virginum , quod etiam moribus decet ineſſe [b] nuptiarum. [1] Sit in ea , Domine , per donum Spiritus tui prudens modeſtia , ſapiens benignitas , gravis lenitas , caſta libertas: in charitate ferveat , & nihil extra te diligat : laudabiliter vivat , laudarique non appetat . [2] In ſanctitate corporis te [c] in animi ſui purificet . Amore te timeat , amore tibi ſerviat . Tu ei honor ſis , tu gaudium , tu voluntas , tu in mœrore [d] conſolatu , in ambiguitate conſilium , tu in injuria defenſio , in tribulatione patientia , in paupertate abundantia , in jejunio [3] cibus , in infirmitate [4] medicina . [5] In te habeat omnia , quem diligere [6] appetat ſuper omnia; & quod eſt profeſſa , cuſtodiat ; Scrutatori pectorum non corpore placitura ſed mente . Tranſeat in numerum ſapientium puellarum ; ut cæleſtem Sponſum accenſis lampadibus cum oleo præparationis expectet : nec turbata [7] improviſi Regis adventu , [8] ſequutura cum lumine , præcedentium choro jungatur : occurrat , nec excludatur cum ſtultis : regalem januam

a. faſtidiernt. *leg.* faſtidirent. b. *Nuptiarum* . legerem *nuptarum.*

c. *In animi ſui purificet* . In Ord. Rom. *Te in ſanctitate corporis , te in animæ ſuæ puritate glorificet* . d. *Conſulatu* . In Ord. Rom. *ſolatium* .

(1) *Totum id quod a ſuperiori voce* adſumpſit *ad præſentem uſque locum interjacet omittunt M, O, P, & R.*

(2) *Prælaudati mox quatuor Codices* : appetat , ac timeat , tibi amore ſerviat . Tu ei honor &c. *Hittorpii Ordo vocibus* in ſanctitate corporis &c. *prætermit tit pronomen* Te .

(3) *Spiritalis ſcilicet , quo mens paſcitur . Vide Menardum ad hunc locum , not.*612.

(4) *O , & R .* ſit mediens .

(5) *Ex hoc loco ita orationem concludunt allegati ſæpe Codices excepto uno Hittorpii Ordine :* Vel te , quem diligere ſuper omnia appetit , quod eſt profeſſa cuſtodiat , ut & hoſtem antiquum devincat , & vitiorum ſqualores expurget . Quatenus centeſimi fructus dono virginitatis decorari , virtutumque lampadibus exornari , & electarum virginum tuarum conſortio , te donante , mereatur uniri . Per Dominum .

(6) *Hittorp.* appetit .

(7) *Idem Hittorp* improviſo .

(8) *Idem* , ſed ſecura cum lumine, & præcedentium virginum choro jocanter occurrat ; & ne excludatur &c.

nuam cum ſapientibus virginibus licenter introeat ; & in Agni tui perpetuo comitatu probabilis manſura caſtitate permaneat. Per Dominum.

Benedictio veſtimentorum Virginum.[1]

Deus æternorum bonorum fideliſſimus promiſſor, certiſſimus perſolutor, qui veſtimentum ſalutare & indumentum jucunditatis tuis fidelibus promiſiſti, clementiam tuam ſuppliciter exoramus ; ut hæc indumenta humilitatem cordis & contemptum mundi ſignificantia, quibus famulæ tuæ ſancto viſibiliter ſunt[2] informandæ, propitius, propoſito, benedicas : ut beatæ caſtitatis habitum, quem,[3] te ſpirante, ſuſcipiunt ; te protegente, cuſtodiant ; & quas veſtibus venerandæ promiſſionis induis temporaliter, beata facias immortalitate veſtiri. Per Dominum noſtrum.

CIIII. ITEM ORATIO, ſuper Ancillas Dei, quibus converſis[4] veſtimenta mutantur.

TE invocamus, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, ſuper has famulas tuas ; quæ tibi voluerint ſervire puris mentibus mundoque corde : ut eas ſociare digneris inter illa centum quadraginta quatuor millia infantum,[a] Virgines permanſerunt, & ſe cum mulieribus non coinquinaverunt ; in quorum ore dolus inventus non eſt : ita & has famulas tuas facias permanere immaculatas uſque ad finem. Per immaculatum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ; cum quo vivis & regnas Deus in unitate Spiritus Sancti per omnia ſæcula.

CV. ITEM ORATIONES ad Miſſas ejuſdem.[5]

DA, quæſumus, Domine famulæ tuæ, quam Virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis conſummatum effectum : & ut perfectam tibi offerat plenitudinem, initia ſua perducere mereatur ad finem. Per.

SECRETA.

Oblatis hoſtiis Domine, quæſumus, præſenti famulæ tuæ perſeverantiam perpetuæ Virginitatis adcomoda ; ut apertis januis ſummi Regis[6] adventu cum lætitia mereatur intrare. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem famulæ tuæ *Illius*, quam tibi offert ob diem natalis ſui, in quo eam tibi ſocians, ſacro velamine protegere dignatus es ; quæſumus, Domine propitiatus ſuſcipias ; ut tibi Domino ac Sponſo ſuo venienti, cum lampade ſua inextinguibili

a. *Virgines*. In Ord. Rom. *qui virgines*.

(1) vel Viduæ *addit Cod. S. Eligii, qua de re conſule Menardi notam* 600.

(2) *Melius apud Men.* informanda propoſito, propitius bene † dicas.

(3) *Idem M.* te inſpirante ſuſceperit. *In ſingulari de una tantum agitur in S. Eligii Codice.*

(4) *Juxta Hittorpii Ordinem, & Menardi Sacram. in Velatione ſive Conſecratione Virginibus veſtimenta mutabantur, quæ juxta Cod. S. Eligii nigra erant ; in eo enim legitur :* & veſtimenta nigra forinſecus geſtant. *Videatur S. Hieronymus lib. 1, de laudibus Aſellæ, & ad Gaudentium lib.* 11.

(5) *In Virginum Conſecratione Miſſarum ſollemnia agebantur, uti ex vulgatis Ordinibus & Sacram. colligitur.*

(6) *M.* in adventu.

guibili placitura occurrere mereatur. Per.

POST COMMVNIONEM.

Reſpice Domine famulæ tuæ tibi debitam ſervitutem; ut inter humanæ fragilitatis incerta, nullis adverſitatibus obprimatur, quæ de tua protectione confidit. Per.

CVI. ITEM ALIA ejuſdem.

Deus caſtitatis amator & continentiæ conſervator, ſupplicationem noſtram benignus exaudi; & hanc famulam tuam propitius intuere: & quæ pro timore tuo continentiæ pudicitiam vovit, tuo auxilio conſervetur; ut ſexageſimum fructum continentiæ, vitam æternam, te largiente, percipiat. Per.

SECRETA.

Munera, quæſumus, Domine famulæ & ſacratæ tuæ *Illius*, quæ tibi ob conſecrationem ſui corporis offeret, ſimul ad ejus animæ medelam proficiant. Per Dominum noſtrum.

POST COMMVN.

Bonorum Deus operum inſtitutor famulæ tuæ *Illius* corda purifica, ut nihil in ea quod punire, ſed quod coronare poſſis, invenias. Per.

ITEM ALIA EIVSDEM.

Preces famulæ tuæ *Illius*, quæſumus, Domine benignus exaudi, ut adſumptam caſtitatis gratiam, te auxiliante, cuſtodiat. Per.

SECRETA.

Votivis, quæſumus, Domine famulæ tuæ *Illius* adeſto muneribus, ut te cuſtode, ſervata, hæreditatem benedictionis æternæ percipiat. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem famulæ tuæ *Illius*, quam tibi offerimus[1] ob diem natalis ejus, quo eam ſacro velamine protegere dignatus es, quæſumus, Domine placatus accipias. Pro qua majeſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut in numerum eam ſanctarum Virginum tranſire præcipias; ut tibi Sponſo venienti cum lampade ſua inextinguibili poſſit occurrere; atque intra Regni cæleſtis clauſtra gratias tibi referat, choris Sanctarum Virginum ſociata. Quam oblationem.

POST COMMVN.

Deus, qui habitaculum tuum in corde pudico fundaſti, reſpice ſuper famulam tuam; & quæ caſtigationibus adſiduis poſtulat, tua conſolatione percipiat. Per.

INCIPIT

(1) *Illinc colligi poſſe videtur hoc Miſſæ Officium non in Conſecratione celebrari debuiſſe, ſed in illius anniverſario die.*

A Ω

INCIPIT LIBER SECVNDVS

ORATIONES ET PRECES

DE NATALITIIS SANCTORVM

I. [1] DENVNCIATIO NATALITII VNIVS MARTYRIS.

NOverit veſtra devotio ſanctiſſimi Fratres, quod Beati Martyris *Illius* anniverſarius dies intrat, quo Diaboli tentationes exuperans, univerſitatis Creatori glorioſa paſſione conjunctus eſt.

Item pluraliter.

Quo diaboli tentamenta vincentes univerſitatis Creatori glorioſa paſſione conjuncti ſunt. Ideoque Dominum conlaudemus, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis; ut qui illis victoriæ coronam contulit, nobis eorum meritis delictorum indulgentiam largiatur. In *Illo* igitur loco, *vel* in *Illa* via, *Illa* feria hanc eandem Feſtivitatem ſolita devotione celebremus.

DENVNCIATIO CVM Reliquiæ ponendæ ſunt Martyrum.

Dilectiſſimi Fratres inter cætera virtutum ſolemnia, quæ ad gloriam pertinent Chriſti Domini noſtri, hoc quoque præſtitit Martyribus, [a] pro nominis ejus confeſſione, morte ſuſcepta, cæleſtia præmia meruerunt: ut fidelium votis eorum præclaris Reliquiis conlocatis integritas ſancti Corporis eſſe credatur. Et ideo commonemus dilectionem veſtram, quoniam *Illa* feria, *Illo* loco Reliquiæ ſunt Sancti *Illius* Martyris conlocandæ: quæſumus ut veſtram præſentiam, nobis admonentibus, non negetis.

II. IN NATALE SANCTI Felicis [2] Confeſſoris. XVIIII. Kal. Februarias.

SAncti Felicis, Domine, confeſſio recenſita conferat nobis piæ devotionis augmentum; qui in confeſſione tui nominis perſeverans, meruit honorari. Per.

Da, quæſumus, [b] omnipotens, [3] ut qui Beatus Felix donis tuis extitit glorioſus; apud te noſtris exiſtat nominibus idoneus interventor. Per.

SE-

a. Pro nominis ejus, leg. *qui pro nominis* &c.

b. Omnipotens. Apud Pamel. *omnipotens Deus*.

---

(1) *Confer quæ infra occurrunt in lib.* III, *abſoluto Canone Miſſæ, quæque adnotavimus ad ſuperiorem pag.* 100, *not.* (1)

(2) *Obſerva S. Felicem appellari* Confeſſorem, *non vero Martyrem, ob rationem quam Ven. Thomaſius in ſuperiori Præfatione ſua aperit; quod ni nirum, ut S. Paulinus in ejus Natale ait, ſit* Cæleſtem nactus ſine ſanguine Martyr honorem. *Vide Menardum ad præſentem Greg.* Sacram. *locum, not.* 148, *& quæ a nobis adnotata ſunt num.* (4) *ad pag.* 10, *tom.* IV. *Conſulatur & adnot.* (6) *ad præſentem tomum pag.* 64.

(3) *Rectius fortaſſe apud Pam.* ut beatus Felix, qui &c.

SECRETA.

Hoſtias tibi, Domine, pro commemoratione Sancti Felicis tui Confeſſoris offerimus, ſuppliciter deprecantes, ut ſicut illi præbuiſti ſacræ fidei largitatem, ſic nobis largiaris & pacem. Per Dominum.

POST COMMVNIONEM

Sanctorum precibus confidentes, quæſumus, Domine; ut per ea quæ ſumpſimus, æterna remedia capiamus. Per.

III. IN NATL. SANCTI Marcelli[1] Conf. XVII. Kal. Februar.

EXaudi Domine preces noſtras, quas in Sancti Confeſſoris tui atque Pontificis Marcelli ſolemnitate deferimus; ut qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos abſolve peccatis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut Beatus Marcellus tibi placito fulgeat ſorte Pontificatus;[2] & pietati tuæ nos pia ſupplicatione commendet. Per Dominum noſtrum.

Da, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui Beati Marcelli Confeſſoris tui atque Pontificis ſolemnia colimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per.

SECRETA.

Sancti Marcelli Confeſſoris tui atque Pontificis, quæſumus Domine, annua ſolemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos;[3] per hæc piæ Oblationis officia & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum.

POST COMMVNIONEM.

Deus fidelium remunerator animarum, præſta, ut Beati Marcelli Confeſſoris tui atque Pontificis, cujus venerandam celebramus feſtivitatem, precibus indulgentiam conſequamur. Per Dominum.

IIII. IN NATL. SANCTORVM Martyrum Sebaſtiani, Mariæ, Martæ, Audifax, & Abacuc. XIII. Kal. Febr.

COncede, quæſumus, omnipotens Deus, ut Sanctorum Martyrum tuorum, quorum celebramus victorias, participemur & præmiis. Per Dominum.

Præſta, quæſumus, Domine, ut, intercedente Beato Sebaſtiano Martyre tuo, & a cunctis adverſitatibus muniamur in corpore; & a pravis cogitationibus mundemur in corde. Per.

SECRETA.

Sancto Sebaſtiano interveniente, Domine, tibi ſervitus noſtra complaceat; & obſequia munerum fiant præſidia devotorum. Per.

POST COMMVNIONEM.

Cæleſti munere ſatiati, quæſumus, Domine Deus noſter; ut hæc nos dona, Martyris tui Sebaſtiani deprecatione, ſanctificent. Per.

V. IN

(1) *S. Marcellus* Confeſſor *dicitur eadem prorſus uſurpatione nominis, qua & S. Felix. Vide ſuperiorem notam* (2) *pag.* 127.

(2) *Mſ.* & pietate tua;

(3) *Supple voculam* ut.

Digitized by Google

V. IN NATL. SANCTI Fabiani. Item XIII. Kal. Februar. [1]

ADſit nobis, Domine quæſumus, ſancta precatio Beati Pontificis & Martyris tui Fabiani; quæ nos & a terrenis affectibus inceſſanter expediat, & cæleſtia deſideria perficiat. Per Dominum.

SECRETA.

Interceſſio, quæſumus Domine, Pontificis & Martyris tui Fabiani munera noſtra commendet; noſque ejus veneratio tuæ majeſtati reddat acceptos. Per.

POST COMMVN.

Sumpſimus, Domine, Sancti Fabiani ſolemnitate cæleſtia Sacramenta, cujus ſuffragiis, quæſumus, [a] largiaris; ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis conſequamur. Per.

VI. IN NATL. SANCTÆ Agnetis Virginis [2] de Paſſione ſua. XII. Kal. Februarias.

CReſcat, Domine, ſemper in nobis ſanctæ jocunditatis affectus; & Beatæ Agnæ Virginis atque Martyræ tuæ veneranda feſtivitas augeatur. Per.

Præſta, quæſumus, Domine mentibus noſtris cum exultatione [b] pervectum; ut Beatæ Agnes Martyris tuæ, cujus diem paſſionis annua devotione recolimus, etiam fidei conſtantiam ſubſequamur. Per.

SECRETA.

Hodiernum, Domine, Sacrificium lætantes exequimur, quo Beatæ Agnes cæleſtem victoriam recenſentes, & tua magnalia prædicamus; & nos adquiſiſſe gaudemus ſuffragia glorioſa. Per.

POST COMMVN.

Sumentes, Domine, gaudia ſempiterna de participatione Sacramenti feſtivitatis Sanctæ Martyris Agnes, ſuppliciter deprecamur; ut quæ ſedula ſervitute, donante te, gerimus, dignis ſenſibus tuo munere capiamus. Per.

VII. ITEM IN NATALE Ejuſdem de Nativitate. V. Kal. Febr.

ADeſto nobis, omnipotens Deus, Beatæ Agnes feſta repetentibus; quam hodiernæ feſtivitatis [c] prolatam exortu, ineffabili munere ſublevaſti. Per.

a. *Largiaris*. Sic emendavimus, in exemplari enim mendoſe legitur, *largitatis*.

b. *Pervectum*. Apud Pamelium, *profectum*.

c. *Prolatam*. Sic emendavimus ex Pameſ. cum perperam legatur in exemplari, *ploratam*.

(1) *Vide Microlog. cap.* XLII, *& quæ ad præſentem ſui Kalend. locum adnotata ſunt clariſſ. Jo. Frontoni.*

(2) *In Kalend. Frontonis*, Natale Sanctæ Agne de paſſione. *De hac appellatione, & de illius diſcrimine ab altera, quæ inferius dicitur*, Natale de Nativitate *videndus Alexius Symmachus Mazochi Comment. in vetus Marmoreum Kalend. Neapolit. pag.* 17, *atque* 18; *quod & monuimus tom.* V, *pag.* 163, *not.* (3).

SECRETA.

Grata tibi ſint, quæſumus Domine, munera, quibus Sanctæ Agnetis magnifica ſolemnitas recenſetur; ſic enim ab exordio ſui [1] uſque in finem beati certaminis extitit glorioſa; ut ejus nec initium debeamus prætерire nec finem. Per.

POST COMMUNION.

Adjuvent nos, quæſumus Domine, hæc myſteria ſancta quæ ſumpſimus, & Beatæ Agnæ interceſſio veneranda. Per.

VIII. ORAT.
in Purificatione Sanctæ Mariæ.
IIII. Nonas Febr.

DEus [a] qui in hodierna die Vnigenitus tuus in noſtra carne, quam adſumpſit pro nobis, in Templo eſt præſentatus, præſta; ut quem Redemptorem noſtrum læti ſuſcipimus, venientem quoque Judicem ſecuri videamus. Per eundem Dominum noſtrum.

SECRETA.

Accepta tibi ſit, Domine quæſumus, hodiernæ feſtivitatis oblatio; & tua gratia largiente, [b] hæc ſacroſancta commercia in illa inveniamur Forma, in qua tecum eſt noſtra ſubſtantia. Per.

POST COMMVN.

Concede nobis Domine, quæſumus, [c] ut Sacramenta, quæ ſumpſimus, quicquid in noſtra mente vulneratum eſt, ipſius miſerationis dono curetur. Per Dominum noſtrum.

VIIII. IN NATL. SANCTÆ
Agathæ. Non. Februar.

INdulgentiam nobis Domine [d] Beatæ Agathæ Martyræ tuæ imploret; quæ tibi grata extitit virtute martyrii & merito caſtitatis. Per Dominum.

SECRETA.

Fiant, Domine, tuo grata conſpectui munera ſupplicantis Eccleſiæ; & ut noſtræ ſaluti proficiant; adſit interceſſio Beatæ tuæ Martyræ Agathæ. Per.

POST COMMVN.

[e] Exultamus pariter & de percepto Pane juſtitiæ, & de tuæ, Domine, feſtivitate [f] Martyræ Agathæ: [g] qualiter interventionibus tibi placentium confidimus, nobis ad perpetuam vitam profutura, quæ [h] ſumpſimus, proficiant. Per.

X. IN

a. *Deus qui in hodierna.* Apud Pamelium rectius habetur, *Deus cujus hodierna.*
b. *Hæc ſacroſancta*. leg. ex Miſſali Rom. *per hæc ſacroſancta*.
c. *Ut Sacramenta*. leg. *ut per Sacramenta*.
d. *Beatæ Agathæ Martyræ tuæ*. Apud Pamelium, *Beata Agatha Martyr*.
e. *Exultamus*. Ambroſiana Miſſa apud Pamelium habet, *Exultemus*.
f. *Martyræ*. Ambroſiana Miſſa, *Martyris*. g. *Qualiter*. Ambroſiana Miſſa habet, *quia*.
h *Sumpſimus, proficiant*. Ambroſiana Miſſa ſolum habet *ſumpſimus*: redundat enim *proficiant*.

(1) *P.* uſque in finem extitit beato certamine glorioſa.

X. IN NATL. [1] SANCTÆ Soteris. IIII. Id. Febr. [2]

PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut Sanctæ Soteris, cujus humanitatis celebramus exordia, Martyris beneficia ſentiamus. Per.

SECRETA.

Preces noſtras, quæſumus, Domine propitiatus admitte; & dicatum tibi ſacrificium Beatæ Soteris commendet. Per.

POST COMMVNIONEM.

Sanctæ Soteris precibus confidentes, quæſumus Domine; ut per ea, quæ ſumpſimus, æterna remedia capiamus. Per.

XI. ORAT. IN NATL. Valentini, Vitalis, & Filiculæ. XVI. Kal. Mar. [3]

TVorum nos Domine, quæſumus, precibus tuere Sanctorum; ut feſta Martyrum tuorum Valentini, Vitalis, & Feliculæ ſine ceſſatione venerantes, & fideli muniamur auxilio, & magnifico proficiamus exemplo. Per.

SECRETA.

Ad Martyrum tuorum Valentini, Vitalis, & Filiculæ, Domine, feſta venientes, cum muneribus nomini tuo dicatis occurrimus; ut illis reverentiam deferentes, nobis veniam impetremus. Per Dominum.

POST COMMVN.

Protege Domine plebem tuam; & feſtivitatem Martyrum tuorum Valentini, Vitalis, & Filiculæ, quam nobis tradis [a] aſſiduæ debita tibi perſolvi, precibus concede Sanctorum. Per Dominum.

XII. IN NATAL. SANCTÆ Julianæ. XIII. Kal. Martias. [4]

OMnipotens ſempiterne Deus, qui eligis infirma mundi, ut fortia quæque confundas, da nobis in feſtivitate

R 2

a. *Aſſiduæ debita*. leg. *aſſidue debitam*.

(1) *Mſ. mendoſe* Sancti *pro* Sanctæ.

(2) *Notitia Eccleſiarum extra Urbem apud Eccardum habet*: Juxta viam Appiam in orientali parte civitatis Eccleſia eſt Sanctæ Soteris martyris, ubi ipſa cum multis martyribus jacet.

(3) *In Cod. Rem. apud Menardum not. 178, Valentino, Vitali, & Feliculæ additur* & Zenonis. *Miſſæ Officium idem omnino eſt cum hoc noſtro. Celebrem fuiſſe olim Romæ* S. Valentini *cultum, & Eccleſiam extra mœnia, via Flaminia non longe a Milvio ponte, notatum eruditis ex libro Pontificali. Notitia Eccleſiarum Urbis prælaudata ait*: Inde prope juxta viam Flaminiam apparet Eccleſia mirifice ornata S. Valentini Martyris, ubi ipſe corpore jacet, & multi Sancti ibidem ſunt ſepulti. *Vide Thomaſ. ipſum ad hunc locum in Capitulari Evangeliorum, tom. v, pag. 443. not.* (A).

(4) *Eamdem hanc Miſſam in memorato ſupra Rem. Codice obſervari narrat loco prælaudato Menardus, ubi hæc habet*: In eodem Cod. Rem. ſequitur (*ſcilicet Officium Sanctorum Valentini, Vitalis &c.*) Nat. Sanctæ Julianæ. Hæc eſt Juliana virgo & martyr, quæ Nicomediæ paſſa eſt, de qua Martyrologium Sancti Hieronymi eodem die: Nicomediæ, Paſſio Sanctæ Julianæ Virginis, & Martyris. Apud Uſuardum, & in Martyrol. Mſ. toties citato: Cumis S. Julianæ Virginis, quæ poſt varia tormenta, &c. Sed locum nominant translationis, non paſſionis, ut ex Martyrologiis Notkeri & Rabani notum eſt his: quæ paſſa eſt quidem in Nicomedia, ſed poſt paucum tempus, Deo diſponente, in Campaniam tranſlata: Miſſa autem eſt ejuſmodi. Oratio. Omnipotens ſempiterne Deus, qui eligis infirma mundi, ut fortia quæque confundas, &c. Super Oblata: In Sanctæ Martyris tuæ Julianæ paſſione pretioſa, &c. Poſtcom. Libantes, Domine, &c. *Hæc apud Menardum leguntur, quæ magis ad præſentem noſtri Sacram. locum attinent, quam ad illum Gregorii, in quo nulla præſenti in loco occurrit ſanctæ hujus Julianæ mentio.*

Digitized by Google

tate Sanctæ Martyræ tuæ Julianæ congrua devotione gaudere; ut & potentiam tuam in ejus paſſione laudemus, & proviſum nobis percipiamus auxilium. Per.

SECRETA.

In Sanctæ Martyræ tuæ Julianæ paſſione pretioſa te, Domine, mirabilem prædicantes, munera votiva deferimus; præſta quæſumus, ut ſicut ejus tibi grata ſunt merita, ſic noſtræ ſervitutis accepta reddantur officia. Per.

POST COMMUN.

Libantes, Domine, menſæ tuæ beata myſteria, quæſumus; ut Sanctæ Julianæ Martyræ tuæ interventionibus temporalem & præſentem nobis miſericordiam conferant & æternam. Per.

XIII. IN NATL. SANCTÆ Perpetuæ, & Felicitatis. Non. Martias.

DA nobis Domine Deus noſter Sanctorum Martyrum palmas inceſſabili veneratione venerari; ut quos digna mente non poſſumus celebrare humilibus [a] ſaltem frequentibus obſequiis veneremur. Per.

SECRETA.

Intende Domine munera, quæſumus, Altaribus tuis pro Sanctarum tuarum Felicitatis, Perpetuæ commemoratione propoſita; ut ſicut per hæc beata myſteria illis gloriam contuliſti, nobis indulgentiam largiaris. Per.

POST COMMVN.

Præſta nobis Domine, quæſumus, intercedentibus Sanctis; ut quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per.

XIIII. IN ADNVNCIATIONE Sanctæ Mariæ Matris Domini noſtri Jeſu Chriſti. VIII. Kal. Aprilis.

EXaudi nos Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui per Beatæ Mariæ ſacri uteri divinæ gratiæ obumbrationem univerſum mundum inluminare dignatus es, majeſtatem tuam ſupplices exoramus; ut quod noſtris meritis non valemus obtinere, ejus adipiſci præſidiis mereamur. Per.

Te [1] quæſumus, Domine, famulantes, prece humili auxilium implorantes, & Beatæ ſemper Virginis Mariæ nos gaudia comitentur ſolemniis: cujus [b] præconia ac meritis noſtra deleantur chirographa peccatorum; [c] atque [2] rubiginem ſcelerum molivitiorum igne compunctionis tui amore mundemur incurſu. Per.

SECRETA.

Oblationes noſtras, quæſumus, Domine

a. Saltem frequentibus. leg. *ſaltem, & frequentibus*.

b. Præconia. leg. *præconio*, vel *præconiis*.

c. Atque rubiginem &c. Locus valde mendoſus, & nonniſi ex aliis Codicibus emendandus.

(1) *Thomaſ. in Orationali mendoſum hunc locum emendans ait*: Tibi quæſumus. *Tom. II, pag. 406.*

(2) *Idem Thomaſ. loco mox laudato*: atque a rubigine ſcelerum, & molis vitiorum, igne compunctionis, tui amoris mundemur incurſu.

mine propitiatus intende, quas in honore Beatæ & glorioſæ ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ, annua ſolemnitate deferimus; [a] & coæternus Spiritus Sanctus tuus, qui illius viſcera ſplendore ſuæ gratiæ veritatis replevit, nos ab omni facinore delictorum emundet benignus. Per.

POST COMMVN.

Quos cæleſti Domine alimento ſatiaſti, intercedente Beata & glorioſa ſemperque Virgine Dei Genitrice Maria, ab omni nos, quæſumus, adverſitate cuſtodi. Per Dominum.

ORATIONES ad Veſperum.

Beatæ & glorioſæ ſemperque Virginis Dei Genitricis Mariæ nos, Domine quæſumus, merita proſequantur; & tuam nobis indulgentiam ſemper implorent. Per Dominum.

Beatæ & glorioſæ ſemperque Virginis Dei Genitricis Mariæ, quæſumus omnipotens Deus, interceſſio nos glorioſa protegat; & ad vitam perducat æternam. Per Dominum.

Porrige nobis Deus dexteram tuam, & per interceſſionem Beatæ & glorioſæ ſemperque Virginis Dei Genitricis Mariæ, auxilium nobis ſupernæ Virtutis impende. Per.

XV. IN [b] NATIVITATE [1] Sanctæ Euphimiæ. Id. Aprilis.

Concede nobis omnipotens Deus, Sanctæ Martyris Euphimiæ & exultare meritis, & beneficia referre ſuffragiis. Per Dominum noſtrum.

Annue quæſumus Domine, ut Sanctæ Martyris Euphimiæ tibi placitis deprecationibus adjuvemur.

Foveat nos Domine Sanctæ Martyris Euphimiæ jocunda ſolemnitas, & pietati tuæ commendare non deſinat. Per.

SECRETA.

Muneribus, Domine, te magnificamus oblatis, quibus in Sanctæ nobis ſolemnitatibus Euphimiæ & gaudia ſuperna concilias, & patrocinia ſempiterna largiaris. Per.

ITEM ALIA.

Benedictio tua, Domine, larga diſcendat; quæ munera noſtra, deprecante Beata Euphimia, tibi reddat accepta, & nobis Sacramentum redemptionis efficiat. Per.

POST COMMVN.

Sanctæ nos Martyris Euphimiæ precatio tibi, Domine, grata comitetur, & tuam nobis indulgentiam poſcere non deſiſtat. Per.

XVI. IN NATL. PHILIPPI, & Jacobi Apoſtolorum. Kalendas Madias.

Deus, qui es omnium Sanctorum tuorum ſplendor mirabilis, quique hunc diem Beatorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi martyrio conſecraſti, da Eccleſiæ tuæ de natalitio tantæ Feſtivitatis lætari; ut apud miſeri-

a. *Et coæternus*. leg. *ut coæternus*.

b. Nativitate. *leg.* Nat.

(1) *Ita & in Miſſali plenario Mſ. Biblioth. Vatic. ſig. num. 4770, de quo vide not. (1) a.l pag. 173 in antiquis Miſs. Libris. tom. v.*

ſericordiam tuam & exemplis eorum & meritis adjuvemur. Per.

Omnipotens Deus, ut ſancti nos Jacobi lætificet ac Philippi feſtiva ſolemnitas; & quorum ſuffragiis nitimur, natalitiis gloriemur. Per.

SECRETA.

Reſpice Domine munera, quæ in Sanctorum Apoſtolorum tuorum Philippi & Jacobi commemoratione deferimus; ut quorum honore ſunt grata, eorum nobis fiant interceſſione perpetua. Per.

PRAEFATIO.

VD Quia [a] tibi & operis, tuæque virtutis, & Beatorum Apoſtolorum Jacobi, & Philippi glorioſa confeſſio uſque in finem ſæculi nobis capiat regni cæleſtis augmentum. Per Chriſtum.

POST COMMUN.

Beatorum Apoſtolorum Domine, quæſumus, interceſſione nos adjuva; pro quorum ſolemnitate [1] percipimus tua ſancta lætantes. Per.

XVII. IN NATALE SANCTI Juvenalis [2]. V. Nonas Madias.

Beati nos, quæſumus Domine, Juvenalis & confeſſio ſemper proſit & meritum. Per.

Annue, quæſumus Domine, ut merita tibi placita ſancti Confeſſoris & Epiſcopi tui Juvenalis pro gregibus, quos ſincero myſterio gubernavit, pietatem tuam ſemper exorent. Per.

SECRETA.

Hoſtias noſtras, quaſumus Domine, Sanctus Pontifex Juvenalis nomini tuo reddat acceptas; qui eas tibi digne complacuit offerendas. Per.

POST COMMUNIONEM.

Læti Domine ſumpſimus Sacramenta cæleſtia; quæ nobis, intercedente Beato Juvenale Confeſſore tuo atque Pontifice, uberius confidimus profutura. Per.

XVIII. DE INVENTIONE Sanctæ Crucis. Item V. Non. Madias.

Deus, qui in præclara ſalutiferæ Crucis Inventione Paſſionis tuæ [3] miracula ſuſcitaſti, concede, ut vitalis Ligni pretio æternæ vitæ ſuffragia conſequamur. Per.

Deus, cui cuncta obediunt creaturæ, [b] & omnia in Verbo tuo feciſti ſapientia, ſupplices quæſumus ineffabilem clementiam tuam; ut quos per lignum Sanctæ Crucis, Filii tui pio cruore, es dignatus redimere; tu qui es lignum vitæ, Paradiſi reparator, omni-

a. Qui tibi &c. operis tuæque virtutis &c. In Ambroſiana Miſſa apud Pamelium. *Quia tui eſt operis, tuæque virtutis ut.* *b. Et omnia.* apud Pamel. &c. *qui omnia.*

(1) *P.* percepimus tua dona lætantes.

(2) *Epiſcopi Narnienſis, qui IV Eccleſiæ ſeculo floruit. De quo obſerva. Miſſæ illius Officium heic poni ante illud Inventionis S. Crucis. Vide Clariſſ. Baronium in Martyrol. ad hunc locum.*

(3) *Miracula, quæ nimirum a S. Paulino epiſt. XI. a Severo Sulpitio lib. II, Hiſt. & a Sozomeno Hiſt. Eccl. lib. II, cap. I. quorum duo priores narrant in Inventione S. Crucis mortuum ſuſcitatum fuiſſe; poſtremus vero prænobilem mulierem Crucis contactu ab inſanabili morbo liberatam; & de mortuo reſuſcitato addit:* λέγεται δ᾽ ὅτι καὶ νεκρὸν τῷ ἴσῳ τρόπῳ ἀναβιῶναι. *ajunt etiam mortuum eodem modo ad vitam eſſe revocatum, pag. 41. edit. Cantab.*

omnibus intercedentibus, dira ſerpentis venena extingue; & per gratiam Spiritus Sancti poculum ſalutis ſemper infunde. Per.

SECRETA.

Sacrificium Domine, quod immolamus, placatus intende; ut ab omni nos exuat bellorum nequitia: & per vexillum Sanctæ Crucis Filii tui, ad conterendas poteſtatis [1] adverſariorum inſidias, nos in tuæ protectionis ſecuritate conſtituat. Per.

POST COMMVN.

Repleti alimonia cæleſti, & ſpiritali poculo recreati, quæſumus omnipotens Deus; ut ab hoſte maligno defendas, quos per lignum ſanctæ Crucis Filii tui arma juſtitiæ pro ſalute mundi, triumphare juſſiſti. Per.

XVIIII. IN NATL. SANCTORVM Nerei, & [2] Achillei fratrum, & Sancti Pancrati. IIII. Id. Madias.

SEmper nos, Domine, Martyrum tuorum Nerei, & Achillei [3] foveat quæſumus beata ſolemnitas; & tuo dignos reddat obſequio. Per.

SECRETA.

Sanctorum tuorum, Domine, Nerei, & Achillei tibi grata confeſſio, & munera noſtra [4] commendet; & tuam nobis indulgentiam ſemper imploret. Per.

POST COMMVNION.

Quæſumus Domine, ut Beatorum Martyrum tuorum Nerei, & Achillei deprecationibus Sacramenta ſancta, quæ ſumpſimus, ad tuæ nobis proficiant placationis augmentum. Per.

XX. IN NATL. SANCTORVM Petri, & Marcellini. IIII. Non. Junias.

LAetetur Eccleſia tua, Deus, Martyrum tuorum Petri, & Marcellini confiſa ſuffragiis; atque eorum precibus glorioſis & devota permaneat, & ſecura conſiſtat. Per.

SECRETA.

Votiva, Domine, munera deferentes in tuorum Petri, & Marcellini Martyrum [a] & paſſione, & tuam magnificentiam [5] veneramus; & per eam nobis imploramus tuæ pietatis auxilium. Per.

POST COMMVNIONEM.

Quæſumus Domine, ut ſalutaribus repleti myſteriis, quorum ſolemnia celebramus, orationibus adjuvemur. Per Dominum noſtrum.

Intercedentibus Sanctis tuis, Domine [6], plebi tuæ præſta ſubſidium; ut ab omnibus noxiis expedita, cuncta ſibi profutura percipiat. Per.

XXI.

a. *Et paſſione & tuam*. apud Pamelium rectius legitur *paſſione, tuam*.

(1) *M, & P.* poteſtatis adverſæ.

(2) *Mſ.* Acillei.

(3) *Apud Pam. additur* atque Pancretii. *Noſtro in Sacram. neque in hac Oratione, neque in duabus proxime ſequentibus S. Pancratii ulla occurrit mentio: quam tamen in ipſo Miſſæ titulo invenies.*

(4) *Mſ.* commendent.

(5) *M, & P.* veneremur.

(6) *M.* Marcellino, & Petro.

Digitized by Google

XXI. ITEM IN SANCTORVM Cyrini, [1] Naboris, & Nazari. Prid. Id. Junias.

SAnctorum Cyrini, Naboris, & Nazari, quæſumus Domine, natalitia nobis [a] vota reſplendeant; & quod illis contulit [b] excellentiam ſempiternam; fructibus noſtræ devotionis creſcat. Per Dominum.

SECRETA.

Pro Sanctorum Cyrini, Naboris, & Nazari ſanguine venerando hoſtias tibi, Domine, ſolemniter immolamus, tua mirabilia pertractantes; [c] per quam talis eſt perfecta victoria. Per,

POST COMMVN.

Semper, Domine, Sanctorum Martyrum Cyrini, Naboris, & Nazari ſolemnia [d] celebramus; & eorum patrocinia jugiter ſentiamus. Per.

XXII. IN NATL. SANCTI [2] Viti. XVII. Kal. Jul.

DA Eccleſiæ tuæ, Domine quæſumus, Sancto Vito intercedente, ſuperbe non ſapere; ſed tibi placita humilitate proficere: ut proterva deſpiciens, quæcumque matura ſunt, libera exerceat charitate. Per,

SECRETA.

[e] Sicut gloriæ divinæ potentiæ munera pro Sanctis oblata teſtantur; ſic nobis effectum, Domine, tuæ ſalvationis impendant. Per.

POST COMMVN.

Refecti, Domine, benedictione ſolemni, quæſumus, ut per interceſſionem Sancti Viti medicina Sacramenti & corporibus noſtris profit & mentibus. Per.

XXIII. IN NATL. SANCTORVM Marci, & Marcelliani. XIIII. Kal. Julias.

SAnctorum tuorum nos, Domine, Marci, & Marcelliani natalitia tueantur; quia tanto fiducialius tuo nomini ſupplicamus, quanto frequentius Martyrum benedictionibus confovemur. Per.

SECRETA.

Suſcipe Domine munera tuorum populorum votiva; & Sanctorum Marci, & Marcelliani tibi precibus eſſe grata concede, pro quorum ſolemnitatibus offeruntur. Per.

POST COMMVN.

Libantes, Domine, menſæ tuæ beata

a. *Vota reſplendeant*. Apud Pamelium, *votiva reſplendeant*.

b. *Excellentiam ſempiternam*. Apud Pamelium, *excellentia ſempiterna*.

c. *Per quam*. Apud Pamelium, *per quem*.

d. *Celebramus*. Apud Pamelium, *celebremus*.

e. *Sicut gloriæ*. In Ambroſiana Miſſa apud Pamel. *Majeſtatem tuam ſuppliciter imploramus, omnipotens Deus, ut ſicus gloriam*.

(1) *Mſ.* Nabori. *Cetera idem hac die officium occurrit plerumque & in exemplis Gregorianis, in Martyrologiis, aliiſque liturgicis libris, quorum plurimi addunt mentionem S.* Baſilidis. *Conſule Jo. Frontonem ad præſentem locum.*

(2) *Videri poterunt quæ ad hunc locum adnotavimus in antiq. Mſs. Libris, tom. v, pag. 186.*

ta myſteria, quæſumus; ut Beatorum interventione Sanctorum Marci, & Marcelliani, & temporalem nobis miſericordiam conferant & æternam. Per.

XXIIII. IN VIGL.[a*] SANCTORVM Martyrum Gerbaſi, & Protaſi, Item XIIII. Kal. Julias.

MArtyrum tuorum, Domine, Gerbaſi, & Protaſi natalitia [1] præeuntes, ſupplices te rogamus; ut quos cælesti gloria ſublimaſti, tuis adeſſe [2] concede fidelibus. Per.

Sanctorum Gerbaſi, & Protaſi ſuffragiis [3] imploremus, ut a cunctis, Domine, liberemur offenſis. Per.

SECRETA.

Sacrificium, Domine, quod pro Sanctis [b] Martyribus Gerbaſi & Protaſi prævenit noſtra devotio, [c] eorum merita nobis augeat, te donante, ſuffragium. Per.

POST COMMVN.

Sumpti ſacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat; & noxia ſemper a nobis cuncta depellat. Per.

ITEM IN NATL. VT SVPRA [4] III. Kal. Julias.

SAnctorum Martyrum nos, Domine, Gerbaſi, & Protaſi confeſſio beata communiat; [d] & fragilitatis noſtræ ſubſidium dignanter exoret. Per.

SECRETA.

Concede nobis, omnipotens Deus, ut his muneribus, quæ pro Sanctorum Martyrum Gerbaſi, & Protaſi honore deferimus, & te placemus exhibitis, & nos vivificemur acceptis. Per.

POST COMMVN.

Da quæſumus, omnipotens Deus, ut myſteriorum virtute [5] Sanctorum Gerbaſi & Protaſi vita noſtra firmetur. Per.

XXV. IN VIGL. SANCTI Johannis Baptiſtæ. VIII. Kal. Juli.

PRæſta, quæſumus Domine, ut populus tuus ad plenæ devotionis effectum Beati Baptiſtæ Johannis natalitiis præparetur; quem præmiſiſti Filio tuo parare plebem perfectam [f] Jeſum Chriſtum.

a* Vide ſerm. xxv ad Fratres in eremo, inter Opera S. Auguſtini.

b. *Martyribus Gerbaſi & Protaſi*. In Ambroſiana Miſſa apud Pamelium *Martyribus tuis Protaſio & Gervaſio*. c. *Eorum merita*. Ambroſiana Miſſa, *eorum merito*.

d. *Et fragilitatis*. Ambroſiana Miſſa, *& fragilitati*.

e. *Et fragilitatis*. Ambroſiana Miſſa, *& fragilitati*.

f. *Jeſum Chriſtum*. Apud Pamel. *Jeſu Chriſto Domino noſtro*.

(1) Natalitia præeuntes. *Hæc innuunt præſens Officium ad Vigiliam ſanctorum Gervaſii & Protaſii ſpectare: ut & proxime inſequens alterum ad ipſum feſtum diem. Quæ & tituli ipſi ſatis aperte declarant.*

(2) *P.* concedas. (3) *Idem P.* imploramus.

(4) *Patet eſſe legendum* XIII.

(5) *P.* & beatorum martyrum Gervaſii & Protaſii orationibus, vita &c. *M.* & intercesſione beatorum Gervaſii & Protaſii martyrum tuorum, vita &c.

Beati Johannis Baptiſtæ nos, Domine, præclara comitetur oratio; & quem venturum eſſe prædixit, poſcat nobis facere placatum. Per.

S E C R E T A.

Munera populi tui, Domine, propitiatus intende; & Beati Baptiſtæ Johannis, cujus nos tribuis præire ſolemnia, fac gaudere ſuffragiis. Per.

P O S T C O M M U N.

Da quæſumus miſericors Deus, ut myſticis Eccleſiæ tuæ Beati Baptiſtæ Johannis exordiis, & ſacris erudita præconiis, ad iram venturi judicii declinandam, dignos ſalutis fructus jugiter operetur. Per.

Beati nos, Domine, Baptiſtæ Johannis oratio & intelligere Chriſti tui myſterium poſtulet & mereri. Per.

XXVI. ITEM IN NATL. unde ſupra.[1]

DEus, qui præſentem diem honorabilem nobis in Beati Johannis nativitate feciſti, da populis tuis ſpiritalium gratiam gaudiorum; & omnium fidelium mentes dirige in viam ſalutis & pacis. Per Dominum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui inſtituta legalia & Sanctorum præconia Prophetarum in diebus Beati Baptiſtæ Johannis impleſti; præſta quæſumus, ut, ceſſantibus ſignificationum figuris, ipſa ſui manifeſtatione Veritas eloquatur Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Qui tecum.

S E C R E T A.

Tua, Domine, muneribus Altaria comulamus, Sancti Johannis nativitatem honore debito celebrantes; qui Salvatorem mundi & cecinit adfuturum, & adeſſe monſtravit Jeſum Chriſtum.

P O S T C O M M U N.

Sumat Eccleſia tua, Deus, Beati Johannis Baptiſtæ generationis lætitiam; per quem ſuæ regenerationis cognovit auctorem[2]. Per.

Sancti Johannis natalitia celebrantes, ſupplices te, Domine, deprecamur; ut hoc idem nobis ſemper & indulgentiæ cauſa ſit & ſalutis. Per.

ISTA IN VIGL. SANCTI JOHANNIS.

Beati Johannis Baptiſtæ nos quæſumus Domine præclara comitetur oratio; & quem venturum eſſe prædixit, poſcat nobis ab eo ſempiternum remedium. Per.

XXVII. IN VIGL. MAR. Johannis, & Pauli. VII. Kal. Jul.

BEatorum Martyrum Johannis, & Pauli natalitia veneranda, quæſumus Domine, Eccleſia tua devota ſuſcipiat; & fiat magnæ glorificationis amore devotior. Per.

Beatorum Martyrum tuorum Johannis, & Pauli nos Domine merita proſequantur; & tuam nobis indulgentiam ſemper implorent. Per.

SE-

(1) *Duplex heic ſolum Miſſæ Officium habemus in Beati Joannis Baptiſtæ ſollemnitate, quorum unum ad Vigiliam adtinet, alterum ad ipſum diem ſollemnem. Vide quæ diximus num.* (4) *ad pag.* 188. *tom.* V. (2) *M, O, P, R.* cognovit auctorem, Dominum noſtrum Jeſum &c.

SECRETA.

Sint tibi, quæſumus Domine, noſtri munera grata jejunii; qualiter tunc eadem in Sanctorum tuorum Johannis, & Pauli digna commemoratione deferimus, ſi actus illorum pariter ſubſequamur. Per Dominum.

POST COMMUN.

Protege, Domine, plebem tuam; & quam Martyrum tuorum Johannis & Pauli adſidua tribuis feſtivitate devotam, tibi ſemper placitam fieri, precibus concede juſtorum. Per.

XXVIII. ITEM IN NATL. Ejuſdem. VI. Kal. Jul.

QVæſumus omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ feſtivitatis excipiat, quæ Beatorum Johannis, & Pauli glorificatione procedit; quos eadem fides & paſſio fecit eſſe germanos. Per.

SECRETA.

Hoſtias Altaribus tuis, Domine, placationum [a] imponemus, potentiam tuam in Sanctorum tuorum paſſionibus honorando; & per eos nobis implorando veniam peccatorum. Per Dominum.

POST COMMUN.

Sumpta munera, Domine, noſtra ſanctificatione tuorum precibus concede Sanctorum. Per.

Cæleſti munere ſatiati, quæſumus, Domine Deus noſter; [b] ut hæc dona Martyrum tuorum Johannis, & Pauli deprecatione ſanctificent. Per Dominum.

XXVIIII. IN VIGL. APOST. Petri, & Pauli. III. Kal. Julias.

DEus, qui nobis Apoſtolorum Beatorum Petri, & Pauli natalitia glorioſa præire concedis; tribue quæſumus, eorum nos ſemper & beneficiis præveniri, & orationibus adjuvari. Per.

SECRETA

Munera, Domine, tuæ glorificationis offerimus; quæ tibi pro noſtris grata jejuniis, Sanctorum Apoſtolorum, quæſumus, deprecatio, quorum ſolemnia prævenimus, efficiat. Per.

POST COMMUN.

Beatorum Petri, & Pauli honore continuo plebs tua ſemper exultet; & his Præſulibus gubernetur, quorum doctrinis gaudet & meritis. Per Dominum.

XXX. ITEM IN NATL. Sancti Petri [1] proprie. III. Kal. Julias.

DEus, qui Beato Apoſtolo tuo Petro, conlatis clavibus Regni cæleſtis, animas ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti, concede; ut interceſſionis ejus auxilio, a peccatorum

a. Imponemus. Apud Menard. *imponimus*.
b. Ut hæc dona. Apud Pamelium, *ut nos hæc dona*.

(1) Proprie, *quod indicat Miſſa hujus Officium ſpectare tantum ad S. Petri ſollemnitatem. Vide Thomaſium in ſuperiori ſua Præfatione.*

Digitized by Google

plices exoramus; ut ſicut Eccleſiæ tuæ Sanctus Apoſtolus Paulus extitit prædicator, ita ſit nobis perpetuus ſuffragator. Per.

SECRETA.

Præveniant nobis, Domine quæſumus, Apoſtoli tui deſiderata commercia; ut quorum perpetuam dignitatem ſacro myſterio frequentamus in terris, & præſentia nobis ſubſidia poſtulent & æterna. Per.

POST COMMVN.

Perceptis, Domine, Sacramentis, ſubdito corde rogamus & petimus; ut intercedente Beato Paulo Apoſtolo tuo, nobis proficiant ad medelam, quæ pro illius geſta ſunt paſſione. Per.

XXXIII. ORATIONES ad Veſperum.

Deus, qui ligandi ſolvendique licentiam tuis Apoſtolis contuliſti, da quæſumus; ut per ipſos a terrenis vitiis [a] expediti, liberi poſſimus cæleſtibus intereſſe myſteriis. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli multiplici facis celebritate gaudere; da quæſumus, ut eorum ſæpius iterata ſolemnitas noſtræ ſit tuitionis augmentum. Per.

Apoſtolicis nos Domine, quæſumus, Beatorum Petri, & Pauli adtolle præſidiis; ut quanto fragiliores ſumus, tanto validioribus auxiliis foveamur. Per Dominum.

Concede, quæſumus, Domine Apoſtolis tuis, intervenire pro nobis; quia tunc nos, ſalvari poſſe confidimus, ſi eorum precibus tua gubernetur Eccleſia, quibus utitur, Te conſtituente, Principibus. Per Dominum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos omnium Apoſtolorum merita ſub una tribuiſti celebritate venerari, quæſumus, ut celeriter nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercesſoribus largiaris. Per.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, & Apoſtolorum tuere præſidiis, quorum donaſti fideles eſſe doctrinis. Per.

Solemnitatis Apoſtolicæ multiplicatione gaudentes, clementiam tuam deprecamur, omnipotens Deus, ut tribuas jugiter nos eorum & confeſſione benedici, & patrociniis confoveri. Per.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut qui jugiter Apoſtolica defenſione munimur, nec ſuccumbamus vitiis, nec opprimamur adverſis. Per.

XXXIIII. ITEM DE VIGL. omnium Apoſtolorum.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut ſicut Apoſtolorum tuorum *Illorum* glorioſa natalitia prævenimus; ſic ad tua beneficia promerenda, majeſtatem tuam pro nobis ipſi præveniant. Per.

SECRETA.

Muneribus noſtris, Domine, Apoſtolorum *Illorum* feſta præcedimus; ut quæ conſcientiæ noſtræ præpediuntur obſtaculis, illorum meritis grata reddantur. Per.

POST COMMVN.

Sumpto, Domine, Sacramento, ſup-

a. Expediti. *leg.* expeditiq;

XXXVII. IN NATL. SANCT. Simplici, Fauſtini & [1] Viatricis. V. Kal. Auguſt.

PRæſta Domine, quæſumus, ut ſicut populus Chriſtianus Martyrum tuorum Simplici, Fauſtini, & Viatricis temporali ſolemnitate congaudet, ita perfruatur æterna; & quod votis celebrat, comprehendat effectu. Per Dominum.

SECRETA.

Hoſtias tibi, Domine, pro Sanctorum Martyrum Simplici, Fauſtini, & Viatricis commemoratione deferimus, [a] ſuppliciter obſecrantes, ut & indulgentiam nobis pariter conferant & ſalutem. Per.

POST COMMVN.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut Sanctorum tuorum Simplici, Fauſtini, & Viatricis cæleſtibus myſteriis celebrata ſolemnitas, indulgentiam nobis tuæ propitiationis adquirat. Per Dominum.

XXXVIII. IN NATL. Abdo, & Senis. III. Kal. Auguſ.

SAncti tui nos, Domine, Abdo, & Senis piis orationibus proſequantur; & ab hujus vitæ periculis jugiter poſtulent expediri. Per.

Præſta, quæſumus, Domine, ut Eccleſia tua & Martyrum tuorum Abdo, & Senis confiſa ſuffragiis, devota permaneat; & eorum precibus glorioſis ſecura conſiſtat. Per.

SECRETA.

Munera tibi, Domine, pro Sanctorum Martyrum Abdo, & Senis occiſione deferimus; qui dum finiuntur in terris, facti ſunt cæleſti luce perpetui. Per.

POST COMMVN.

Populum tuum, Domine, perpetua munitione defende; nec [b] difficulter quod pie, quod juſte poſtulat conſequatur, cui Sanctorum tuorum merita ſuffragantur. Per.

XXXVIIII. IN NATL. Machabæorum. Kal. Auguſtas.

DEus qui in Sanctis habitas, & pia corda non deſeris, ſuſcipe propitius orationem noſtram, & tribue miſericordiam tuam; ut, te cuſtode, ſervati, ab omnibus vitæ hujus periculis liberemur. Per Dominum.

SECRETA.

Fiant, Domine, tuo grata conſpectui munera ſupplicantis Eccleſiæ; & ut noſtræ proficiant ſaluti, adſit interceſſio Beatorum Sanctorum tuorum. Per.

POST COMMVN.

Cæleſti munere ſatiati, quæſumus, Domine

a. Supplicter. *leg.* ſimpliciter.

b. *Difficulter*. Sic emendavimus ex Menardo, quia mendoſe legitur in exemplari, *difficultas*.

(1) *In aliis monumentis veterum* & Beatricis. *Diſcrimen debetur frequenti veterum Librariorum permutationi litteræ B. in alteram V.*

Domine Deus noſter, ut hæc nos dona, Martyrum tuorum deprecatione, ſanctificent. Per.

XL. IN NATL. SANCTI SYXTI. VIII, Id, Auguſt.

BEati Syxti, Domine, tui Sacerdotis & Martyris annua feſta recolentes, quæſumus; ut quæ tuorum nobis ſunt inſtrumenta præſentium, fiant æternarum patrocinia gratiarum. Per.

Sancti Syxti, Domine, frequentata ſolemnitas, & de Sacerdotalibus nos inſtruat, te miſerante, doctrinis; & de gloria Martyrii foveat ubique ſuffragiis. Per Dominum.

SECRETA.

Suſcipe Domine munera propitiatus oblata; quæ majeſtati tuæ Beatus Syxtus Sacerdos commendat & Martyr. Per.

POST COMMVNIONEM.

Repleti ſumus Domine munere ſolemnitatis optatæ; qua Beati Syxti & celebritate juvamur & precibus. Per.

XLI. IN NATL. SANCTI Donati. VII. Id. Auguſ.

ADeſto Domine precibus noſtris, quas in Sancti [1] Confeſſoris & Epiſcopi tui Donati commemoratione deferimus: ut qui noſtræ juſtitiæ fiduciam non habemus; qui tibi placuit meritis adjuvemur. Per Dominum.

Deus tuorum gloria Sacerdotum, præſta quæſumus; ut Sancti Confeſſoris & Epiſcopi tui Donati, cujus feſta gerimus, ſentiamus auxilium. Per.

SECRETA.

Præſta, quæſumus, Domine, ut Sancti Confeſſoris & Epiſcopi tui Donati, quem ad laudem nominis tui dicatis muneribus honoramus, piæ nobis devotionis fructus adcreſcat. Per.

POST COMMVN.

Votiva Domine pro Beati Confeſſoris tui & Epiſcopi Donati percipimus, quæſumus; ut ejus precibus & præſentis vitæ nobis pariter & æternæ tribuas conferre præſidium. Per Dominum.

XLII. IN VIGL. SANCTI Laurenti. V. Id. Auguſtas.

DA, quæſumus, omnipotens Deus, ut Beati Laurenti Martyris tui, quam prævenimus, veneranda ſolemnitas, & devotionem nobis augeat & ſalutem. Per.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut noſtra devotio, quæ natalitia Beati Laurenti Martyris antecedit, patrocinia nobis ejus accumulet. Per.

Beati Laurenti Martyris tui, Domine, geminata gratia nos refoveat; quam glorificationis ejus, & optatis præimus officiis, & deſideranter expectemus adventum. Per.

SECRETA.

Magnifica, Domine, Beati Laurenti

(1) *Obſerva* Confeſſorem *&* Epiſcopum *vocari S. Donatum, non vero* Martyrem; *quod idem invenies & in Cod. Mſ. Palat. Vatic. 495, & in Vatic. 4770. In aliis paſſim veterum chartis &* Martyr *dicitur. Notus eſt priſcus majorum uſus voces* Confeſſoris *atque* Martyris *diverſa ſignificatione uſurpandi: illum indicat Thomaſius in Præfatione ſua ad hunc librum.*

renti ſolemnia recenſemus ; quæ prompt is cordibus ambientes, oblatis muneribus & ſuſcipimus & præimus. Per.

VD Glorioſi Laurenti Martyris pia certamina præcurrendo. Cujus honorabilis annua recurſione ſolemnitas, & perpetua ſemper, & nova eſt: quia & in conſpectu tuæ majeſtatis permanet mors tuorum pretioſa juſtorum ; & * reſtaurantur incrementa lætitiæ, cum felicitatis æternæ recoluntur exordia. Et ideo cum Angelis.

POST COMMVN.

Sancta tua, Domine, Beati Laurenti Martyris pretioſa paſſione, & ſolemnia quæ præimus, nos refovent ; quibus & jugiter ſociamur, & ſemper deſideramus expleri. Per.

XLIII. ITEM IN NATL. Ejuſdem. IIII. Id. Auguſtas.

Deus, cujus charitatis ardore Beatus Laurentius edaces incendii flammas, contempto perſecutore, devicit ; concede propitius, ut omnes qui Martyrii ejus merita veneramur, protectionis tuæ auxilio muniamur. Per.

Deus, qui mundi creator & rector es ; & qui hunc diem in Levitæ tui Laurenti Martyrio conſecraſti ; concede propitius, ut omnes qui Martyrii ejus merita [b] veneramur, ut interceſſionibus ejus ab æternis gehennæ incendiis liberemur. Per.

SECRETA.

Præſta, quæſumus, Domine, ut Beati Sancti Laurenti ſuffragiis in nobis tua munera tuearis, [c] pro cujus honoranda confeſſione hoſtias tibi laudis offerimus. Per.

VD In die ſolemnitatis hodiernæ, qua Beati Laurenti hoſtiam tibi placitam & caſtam corpore, glorioſo certamine ſuſcepiſti: prunis nanque ſuperpoſita ſtridebant membra viventia ; nec tamen erat pœna patientis, ſed piæ confeſſionis inceſſus ; neque terreno [d] liberari cruciatu Martyr optabat, ſed coronari deprecabatur in cælis. Per Chriſtum Dominum.

POST COMMVN.

Votiva, Domine, pro Beati Martyris tui Laurenti paſſione dona percipimus, quæſumus, ut ejus precibus & præſentis vitæ nobis pariter & æternæ tribuas conferre præſidium. Per.

ORATIONES ad Veſper.

Sancti Laurenti nos, Domine, ſancta precatio tueatur ; & quod noſtra conſcientia non meretur ; ejus nobis, qui tibi placuit, oratione donetur. Per.

Adſit nobis, Domine, quæſumus, Sancti

a. Reſtaurantur. *leg.* reſtaurata.
* *Et reſtaurantur.* Ita correximus quia mendoſe legitur in exemplari, *In reſtaurata.*
b. Veneramur, ut. Apud Pamelium, *veneramur.*
c. Pro cujus. *leg.* propitius.
* *Pro cujus.* Sic emendavimus, quia mendoſe legitur in exemplari, *propitius.*
d. Liberari. Ita correctum, quia perperam in exemplari ſcribitur, *liberato.*

Digitized by Google

Sancti Laurenti Martyris in [a] tua glorificatione benedictio, cujus nobis eſt hodie facta ſuffragium in tua virtute confeſſio. Per.

Præſta quæſumus Domine, ut ſemper nobis Beati Laurenti lætificent votiva martyria, quæ ſemper eſſe non deſinunt admiranda. Per Dominum.

XLIIII. IN NATL. SANCTI Tiburti [1] III. Id. Auguſ.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui nos Sancti Martyris tui Tiburti feſtivitate lætificas; præſta, ut cujus commemoratione gaudemus, præſidio muniamur. Per.

SECRETA.

Reſpice Domine munera, quæ in Sancti Tiburti commemoratione deferimus; ut cujus honore ſunt grata, ejus nobis fiant interceſſione perpetua. Per.

POST COMMVN.

Profit nobis, Domine, Sancti Tiburti celebrata ſolemnitas; quia quanto fragiliores ſumus, tanto placentium tibi præſidiis indigemus. Per.

XLV. IN NATL. SANCTI Ypoliti. Id. Augu.

SAncti Ypoliti Martyris, Domine quæſumus, veneranda feſtivitas, ſalutaris auxilii nobis præſtet augmentum. Per.

SECRETA.

Præſta nobis, quæſumus, omnipotens Deus, ut noſtræ humilitatis oblatio & pro tuorum grata ſit honore Sanctorum, & nos corpore pariter & mente purificet. Per.

POST COMMVN.

Sumptis, Domine, Sacramentis quæſumus, ut intercedente Beato Martyre tuo Ypolito, ad redemptionis æternæ proficiamus augmentum. Per.

XLVI. IN OCTAB. SANCTI Laurenti. XVI. Kal. Septemb.

BEati Laurenti nos faciat, Domine, paſſio veneranda lætantes, & ut eam ſufficienter recolamus, efficiat. Per.

Iterata feſtivitate, Beati Laurenti natalitia veneramur, quæ in cæleſti beatitudine fulgere novimus ſempiterna. Per.

SECRETA.

Beati Laurenti Martyris honorabilem paſſionem muneribus, Domine, geminatis exequimur; quia licet propriis ſit memoranda principiis, indeſinenter tamen permanet glorioſa. Per.

VD Quoniam tanto jucunda ſunt, Domine, Beati Laurenti Martyris crebrius repetita ſolemnia; quanto nobis ejus ſine ceſſatione prædicanda ſunt merita. Et ideo cum Angelis.

POST

a. *Tua glorificatione*. Apud Pamelium, *ſua glorificatione*.

(1) *Martyris addunt M, & O.*

POST COMMVN.

[a] Solemne nobis interceſſio Beati Laurenti Martyris, quæſumus Domine, præſtet auxilium; ut cæleſtis menſæ participatio, [b] quæ ſumpſimus, tribuat Eccleſiæ tuæ recenſita lætitia. Per.

XLVII. IN [1] ADSVMP. Sanctæ Mariæ. XVIII. Kal. Septemb.

DEus, qui ſpe ſalutis æternæ Beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præſtitiſti, tribue quæſumus; ut ipſam pro nobis apud te intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ noſtræ ſuſcipere. Per Dominum.

[c*] Omnipotens ſempiterne Deus, qui terrenis corporibus [2] Verbi tui veritatis Filii Vnigeniti per venerabilem ac glorioſam [d] ſemper Virginem Mariam ineffabile myſterium conjungere voluiſti; petimus inmenſam clementiam tuam, ut quod in ejus veneratione depoſcimus, te propitiante, conſequi mereamur. Per.

SECRETA.

Accipe munera Domine, quæ in Beatæ Mariæ iterata ſolemnitate deferimus; quia ad tua præconia recurrit ad laudem, quod vel talis adſumpta eſt. Per.

POST COMMVN.

Cæleſti munere [e] ſatiati, omnipotens Deus, [f] tua protectione cuſtodi; & caſtimoniæ pacem mentibus noſtris atque corporibus, intercedente Sancta Maria, propitiatus indulge: & veniente ſponſo Filio tuo Vnigenito, accenſis lampadibus ejus digni præſtolemur occurſum. Per.

XLVIII. IN NATL. SANCTI Agapiti. XV. Kal. Septemb.

SAncti [1] Martyris Agapiti merita nos, Domine, pretioſa tueantur, in quibus tuæ majeſtatis opera prædicantes, & præſens capiamus adjutorium & futurum. Per.

SECRETA.

Munera tibi, Domine, pro Sancti Martyris Agapiti paſſione deferimus, qui dum finitur in terris, factus eſt cæleſti ſede perpetuus. Per.

POST COMMVN.

Sumpti Sacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat, & noxia ſemper a nobis cuncta depellat. Per.

a. *Solemne*. Apud Pamelium legitur, *ſolemnis*.
b. *Quæ ſumpſimus*. Apud Pamel. *quam ſumpſimus*.
c* Sacramentarium Gallicanum in tomo II Muſei Italici Mabillonii pag. 299:
d. *Semper*. Ambroſiana Miſſa, *ſemperque*.
e. *Satiati*. Ambroſiana Miſſa, *ſatiatos*. f. *Tua*. Ambroſiana Miſſa, *tua nos*.

(1) *Obſerva heic vocem ADSUMPTIO ante IX Chriſti ſeculum uſurpatam; & confer quæ ad locum præſentem adnotavit ſuo in Kalend. Rom. Jo. Fronto.*

(2) *Sacram. Gallicanum apud Mabill. Muſei Italici Tom. II, pag. 299 illic ait:* Verbi tui veritatem per venerabilem Mariam conjungi voluiſti; petimus immenſam &c.

(1) *M.* Sancti Martyris tui Agapiti &c.

XLVIIII. IN NATL. SANCTI [1] Magni. XIIII. Kal. Septemb.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & intercedente Beato Martyre tuo Magno, ab hoſtium nos defende propitiatus incurſu. Per.

SECRETA.

Grata tibi ſint munera noſtra, Domine, quæ & tuis ſint inſtituta præceptis, & Beati Magni feſtivitas glorioſa commendet. Per.

POST COMMVN.

Tua Sancta ſumentes, quæſumus, Domine, ut Beati Magni nos foveant continuata præſidia. Per.

L. IN NATL. SANCTI Ruffi. VI. Kal. Septemb.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & Beati Ruffi interceſſionibus confidentes, nec minis adverſantium, nec ullo conturbemur incurſu. Per.

SECRETA.

Interceſſio, quæſumus Domine, Sancti tui Ruffi munera noſtra commendet; noſque in ejus veneratione tuæ [2] majeſtati reddat acceptos. Per.

POST COMMVN.

Sumentes gaudia ſempiterna de participatione Sacramenti, & feſtivitate B. Martyris tui Ruffi, ſuppliciter deprecamur; ut quæ ſedula ſervitute, donante te, gerimus, dignis ſenſibus tuo munere capiamus. Per Dominum.

LI. IN NATL. SANCTI [3] Hermis. V. Kal. Septemb.

Sancti nos, quæſumus Domine, Hermis natalitia votiva lætificent, & ſuæ beneficiis interceſſionis adtollant. Per Dominum.

SECRETA.

Munera noſtra, quæſumus Domine, propitiatus adſume; & ut digne tuis famulemur Altaribus, Sancti tui nos Hermis interceſſione cuſtodi. Per.

POST COMMVNION.

Exultet, quæſumus Domine, populus tuus in Sancti tui commemoratione Hermis; & cujus votivo lætatur officio, ſuffragio relevetur optato. Per.

LII.

(1) Sancti Magni *officium abeſt a noſtris Gregorianis exemplis. De eo pluribus agunt Baronius in Martyrolog. ad hanc diem, Menardus not. 460 ad Greg. Sacram. Ughellius Tom. VII, pag. 1190 uſque ad 1204. Bollandiani, Tillemontius Tom. III, pag. 132 & 704. ac duabus illam proxime ſequentibus. Inſuper videantur, quæ paucis ab hinc annis in publicum prodiere, Acta paſſionis atque tranſlationis S. Magni Epiſcopi Tranenſis. Ad noſtrum hunc Sacram. locum quod adtinet, obſervare poſſumus neque in officii titulo, neque in orationibus aliquam occurrere* Andreæ, *aut* Sociorum *in martyrio mentionem.*

(2) *Mſ.* majeſtatis, *ſed male.*

(3) *In Gregorianis paſſim legitur*, Sancti Hermetis; *at in Kal. Frontonis & in Capitul. Evangel. Thomaſiano* Natal. S. Hermes. *Vide Thomaſium in prælaudato Capitulari Tom. V pag. 490, not.* (A)

Digitized by Google

LII. IN DIE PASSIONIS
[a] Sancti Johannis Baptiſtæ.
[1] IIII. Kal. Septemb.

SAncti Johannis Baptiſtæ & Martyris tui, Domine quæſumus, veneranda feſtivitas, ſalutaris auxilii nobis præſtet effectum. Per.

Perpetuis nos Domine Sancti Johannis Baptiſtæ tuere præſidiis, & quanto fragiliores ſumus, tanto magis neceſſariis adtolle ſuffragiis. Per.

SECRETA.

Munera tibi, Domine, pro Sancti Martyris Johannis Baptiſtæ paſſione [2] deferimus, quia [b] dum finitur in terris, factus eſt cæleſti ſede [c] perpetuus. Per.

POST COMMVN.

Conferat nobis, Domine, Sancti Johannis [d] utrumque ſolemnitas; ut magnifica Sacramenta, quæ ſumpſimus [e] ſignificata veneremur, & in nobis potius ædita gaudeamus. Per Dominum.

LIII. IN NATL. SANCTI
[3] Priſci. Kal. Septemb.

OMnipotens ſempiterne Deus, fortitudo certantium, & Martyrum palma, ſolemnitatem hodierni diei propitius intuere; & Eccleſiam tuam continua fac celebritate lætari; & interceſſione Beati Martyris Priſci omnium intercedentium vota proficias. Per.

SECRETA.

Ejus tibi precibus, Domine quæſumus, grata reddatur oblatio, pro cujus eſt feſtivitate immolanda. Per.

POST COMMVN.

Præſta, quæſumus, Domine, ut Sacramenti tui participatione vegetati, Sancti quoque Martyris Priſci precibus adjuvemur. Per.

LIIII.

a. Citat ex Sacramentorum libro Beda in Marcum cap. xxvI juxta antiquos, ſed vI juxta recentiores.

b. *Quia dum.* Apud Menardum, *qui dum*.

c. *Perpetuus. Per.* Apud Menardum *perpetuus; quæſumus ut ejus obtentu nobis proficiant ad ſalutem. Per.*

d. *Utrumque ſolemnitas*. Apud Menardum ita etiam habetur: ſed apud Pamelium, *beata ſolemnitas*.

e. *Significata veneremur, & in nobis potius ædita gaudeamus*. Apud Pamelium idem legitur: ſed apud Menardum habetur, *digne veneremur, & nobis ſalutaria ſentiamus*.

(1) *Adlegatur liber Sacramentorum ab Adone die xxIV Februarii pro Natali S. Joannis Baptiſtæ* xxxI *Kal. Septembris, dicens his verbis:* Quarto Kalendas Septembris in Emeſa civitate Phœnicia provinciæ, natale Sancti Joannis Baptiſtæ, quo die decollatus.

(2) *P.* deferimus, quæſumus ut ejus obtentu nobis proficiant ad ſalutem. Per Dominum.

(3) *Mſ.* Sancti Priſcæ.

LIIII. IN NATIVITATE [1] Sanctæ Mariæ. VI. Id. Septemb.

ADjuvet nos, quæſumus Domine, Sanctæ Mariæ glorioſa interceſſio cujus etiam diem, quo felix ejus eſt inchoata nativitas, meminimus. Per.

SECRETA.

Suſcipe, Domine quæſumus, hoſtias placationis & laudis, quas tibi offerimus pro Nativitate Beatæ & glorioſæ ſemperque Virginis Dei Genitricis Mariæ; & ſanctis ejus interceſſionibus cunctis nobis proficiant ad ſalutem. Per.

POST COMMVN.

Adeſto, quæſumus, Domine fidelibus tuis, ut quæ ſumpſerunt fideliter, & mente ſibi & corpore Beatæ Mariæ interceſſione cuſtodiant. Per.

ITEM ALIA.

Sumptis, Domine, Sacramentis, intercedente Beata & glorioſa ſemperque Virgine Dei Genitrice Maria, ad redemptionis æternæ, quæſumus, proficiamus augmentum. Per.

LV. IN NAT. SANCTI Gurgoni. V. Id. Septemb. [a*]

SAnctus, Domine, Gurgonius ſua nos interceſſione lætificet, & pia faciat ſolemnitate gaudere. Per Dominum.

Grata ſit tibi, Domine, noſtræ ſervitutis oblatio, qua Sanctus Gurgonius Martyr intervenit. Per.

Familiam tuam, Deus, ſuavitas illa contingat & vegetet, qua in Martyre tuo Gurgonio Chriſti tui bono jugiter odore paſcatur. Per Dominum.

LVI. IN EXALTATIONE Sanctæ Crucis. XVIII. Kal. Octob.

DEus, qui nos hodierna die Exaltatione Sanctæ Crucis annua ſolemnitate lætificas; præſta, ut cujus myſterium in terra cognovimus, ejus redemptionis præmia conſequamur. Per.

SECRETA.

Devotas, Domine, humilitatis noſtræ preces & hoſtias miſericordiæ tuæ [2] præcedat auxilium; & ſalutem quam per Adam in [3] Paradiſo ligni clauſerat temerata præſumptio, Ligni rurſum fides aperiat. Per Dominum.

POST COMMVN.

Adeſto familiæ tuæ, quæſumus, clemens & miſericors Deus [b] in adverſis & proſperis preces exaudias; & nefas adverſariorum per auxilium Sanctæ Crucis digneris conterere, ut portum

a* In coronatione Caroli Calvi anno DCCCLXIX facta Metis v. Kal. Septembris orationes fuerunt de S. Gorgonio Martyre; ſed aliæ ab his. Vide in ejuſdem coronationis hiſtoria tom. II. Operum Hincmari Remenſis.

b. *In adverſis*. Apud Pamelium, *ut in adverſis*.

(1) *Ex hoc loco colligere poſſumus Feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Galliarum Eccleſias noviſſe ante Caroli Magni & Ludovici Pii ætatem. Vide Baronium in Martyrol. & Jo. Frontonem ad locum præſentem.*

(2) *P.* comitetur auxilium.

(3) *M.* in paradiſi ligno *& quidem rectius*.

rum ſalutis tuæ [1] valeant adprehendere. Per.

LVII. IN NATL. SANCTORVM Corneli, & Cypriani. Item XVIII. Kal. Octob.

BEatorum Martyrum pariterque Pontificum Corneli, & Cypriani nos, Domine quæſumus, feſta tueantur, & eorum commendet oratio veneranda. Per.

SECRETA.

Plebis tuæ, Domine, munera benignus intende, quæ [2] majeſtati tuæ pro Sanctorum Martyrum Corneli, & Cypriani ſolemnitatibus ſunt dicata. Per.

POST COMMVN.

Sacro munere vegetatos Sanctorum Martyrum Corneli, & Cypriani natalitia nos tibi, Domine quæſumus, commendet oratio. Per Dominum.

LVIII. IN NATL. SANCTORVM Coſmæ, & Damiani. V. Kal. Octob.

MAgnificet te, Domine, Sanctorum Coſmæ, & Damiani beata ſolemnitas, [a] quia & illis gloriam ſempiternam; [b] opem nobis ineffabili providentia contuliſti. Per.

SECRETA.

In tuorum, Domine, pretioſa morte juſtorum, Sacrificium illud offerimus, de quo Martyrium ſumpſit omne principium. Per.

POST COMMVN.

Sit nobis, Domine, Sacramenti tui certa ſalvatio, [3] quæ Beatorum Martyrum tuorum Coſmæ, & Damiani meritis imploratur. Per Dominum.

LVIIII. ORATION. IN SANCTI [4] Archangeli Michahelis. III. Kal. Octob.

DA nobis omnipotens Deus, Beati Archangeli Michahelis [c] eo tenus honore proficere; ut cujus in terra gloriam prædicamus, precibus adjuvemur in cælis. Per.

Beati Archangeli Michahelis interventione ſuffulti, ſupplices te, Domine, deprecamur; ut quos honore proſequimur, contingamus & mente. Per.

Perpetuum nobis, Domine, tuæ miſerationis præſta ſubſidium, quibus & Angelica præſtitiſti ſuffragia non deeſſe. Per.

SECRETA.

Munus populi tui Domine, quæſumus, dignanter adſume, quod non noſtris meritis, ſed Sancti Archangeli Michahelis deprecatione ſit gratum. Per.

POST COMMVN.

Adeſto plebi tuæ miſericors Deus; & ut

a. *Quia &*. Apud Pamelium, *qua &*. b. *Opem nobis.* Apud Pamel. *& opem nobis.*
c. *Eo tenus*. Apud Pamel. legitur, *eatenus*.

(1) *M, & P.* valeat *ſingulari numero*.
(2) *Mſ.* Majeſtate tua.
(3) *M, & P.* quæ cum cum beatorum (*M.* martyrum) tuorum Coſmæ & Damiani meritis imploratur. Per.
(4) *O* Angeli Michaelis, *R.* Dedicatio Baſilicæ Sancti Angeli.

& ut gratiæ tuæ beneficia potiora percipiat, Beati Michahelis Archangeli fac ſupplicem deprecationibus ſublevari. Per.

LX. ORAT. IN IEIVNIO Menſis Septimi.

PRæſta, quæſumus, Domine fidelibus tuis, ut jejuniorum venerandа ſolemnia & congrua pietate ſuſcipiant; & ſecura devotione [1] percurrant. Per.

Deus, qui te ſinceris aſſeris manere pectoribus, da nobis tua gratia tales exiſtere, in quibus habitare digneris. Per.

SECRETA.

Deus, qui de his terræ fructibus tua Sacramenta conſtare voluiſti, præſta quæſumus, ut opem nobis & præſentis vitæ conferas & futuræ. Per.

POST COMMVNION.

Salutari tuo munere, Domine, ſatiati, ſupplices te deprecamur, ut cujus lætamur guſtu, renovemur effectu. Per Dominum.

IN SEXTA FERIA Menſis ſeptimi.

Inchoata jejunia Domine, quæſumus, benigno favore proſequere; & ſicut ab alimentis in corpore, ita a vitiis jejunemus in mente. Per.

SECRETA.

Hujus te Domine, muneris oblatione placemus; & perpetuæ vitæ participes hujus operatione reddamur. Per.

POST COMMVN.

Cæleſtis Menſæ, quæſumus Domine, ſacroſancta libatio corda noſtra purget ſemper & paſcat. Per.

IN XII. LECTIONES die Sabbati.

Tribue, quæſumus, Domine fidelibus tuis, [2] ut jejunio Menſis Septimi convenienter aptentur; & ſuſcepta ſolemniter caſtigatio corporalis, ad fructum cunctarum tranſeat animarum. Per.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui ſe, adiligendo carnem, ab alimentis abſtinet, ſectando juſtitiam, culpa jejunet. Per Dominum noſtrum.

Deus humanæ ſalutis operator, da nobis exercere jejunia congruenter, quibus noſtræ ſubſtantiæ ſempiterna remedia providiſti. Per.

Suſcipe, Domine, preces populi [3] ſupplicantis, & noſtri vota jejunii, Salutaris tui perfice Sacramentum. Per.

Omnipotens tua Domine prompta mente laudantes, jejunia tibi ſacrata deferimus; ut dum ingrati animi de perceptis exiſtimus, efficiamur percipiendis fructibus gratiores. Per Dominum.

Deus, qui tribus pueris mitigaſti flammas igneas, concede quæſumus; ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

SECRETA.

Hæc hoſtia, Domine quæſumus, & vincula noſtræ iniquitatis abſolvat, & tuæ nobis miſericordiæ dona conciliet. Per.

POST

(1) *Mſ. mendoſe illic ait*, procurant.
(2) *Rurſus mendoſe Mſ. ibi ait*, & jejunium.
(3) *Mſ.* ſupplicantes, & noſtris vota jejuniis.

POST COMMUN.

Perficiant in nobis, Domine quæſumus, tua Sacramenta, quod continent; ut quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus. Per.

AD POPULUM.

Auxiliare Domine populo tuo, ut ſacræ devotionis proficiens incrementis, & tuo ſemper munere gubernetur; & ad redemptionis æternæ pertineat, te docente, conſortium. Per Dominum.

LXI. IN NATL. SANCTORUM Marcelli, & Apulei. Non. Octob.

Sanctorum tuorum nos, Domine, Marcelli, & Apulei beata merita proſequantur, & ſuo ſemper perficiant amore ferventes. Per.

SECRETA.

Majeſtatem tuam nobis, Domine quæſumus, hæc hoſtia reddat immolanda placatam, tuorum digna poſtulatione Sanctorum. Per.

POST COMMUNIONEM.

Sacramentis, Domine, muniamur acceptis; & Sanctorum tuorum Marcelli, & Apulei, contra omnes nequitias inruentes, armis cæleſtibus protegamur. Per Dominum noſtrum.

LXII. IN NATL. SANCTORUM Quatuor Coronatorum [1] Coſtiani, Claudi, Caſtori, Simproniani. VI. Id. Novembris.

Annua Martyrum tuorum, Domine, vota recurrimus, majeſtatem tuam ſuppliciter deprecantes; ut cum temporalibus incrementis proſperitati æternæ Coronatorum capiamus augmentis. Per.

[a]

Hoſtias tibi, Domine, pro Martyrum tuorum Coronatorum commemoratione deferimus, ſupplicantes, ut indulgentiam nobis pariter conferant & ſalutem. Per.

POST COMMUNIONEM

Sanctorum tuorum Coronatorum, quæſumus Domine, ſemper nos lætificent feſta, & majeſtati tuæ perpetua placatione commendent. Per.

LXIII. IN [b] NATL. SANCTÆ Cæciliæ. XI. Kal. Decemb.

Sanctæ Martyræ tuæ Cæciliæ ſupplicationibus tribue nos foveri, ut cujus venerabilem ſolemnitatem prævenimus obſequio, ejus interceſſionibus commendemur. Per Dominum.

SECRETA.

Suſcipe Domine ſacrificium placationis & laudis, quod nos interveniente Sancta tua Cæcilia, cujus feſtivitatem prævenimus, & perducat ad veniam, & in perpetuam gratiarum conſtituat actionem. Per.

a. *Adde* SECRETA. b. VIGIL.

(1) Coſtiani, *fortaſſe legendum eſſet* Nicoſtrati.

POST COMMVN.

Libantes, Domine, menſæ tuæ beata myſteria, quæſumus, ut Martyræ interventione Sanctæ Cæciliæ, & præſentis nobis miſericordiam conferat & æternam. Per.

LXIIII. ITEM IN NATL. Ejuſdem. X. Kal. [a] Octob.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui eligis infirma mundi, ut fortia quæque confundas; da nobis in feſtivitate ſanctæ Martyræ tuæ Cæciliæ congrua devotione gaudere; [1] ut & potentiam tuam in eiuſdem paſſione percipiamus auxilium. Per.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ut ſicut de Sanctæ Cæciliæ feſtivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur [b] effectu. Per Dominum.

Creſcat, Domine, ſemper in nobis ſanctæ jocunditatis affectus, & Beatæ Cæciliæ Martyræ tuæ veneranda feſtivitas augeatur. Per Dominum.

SECRETA.

[c] Quæſumus, virtutum cæleſtium Domine, ut ſacrificia pro Sanctæ Cæciliæ ſolemnitate delata, deſiderium nos [d] temporalem doceant habere contemptum; & ambire dona faciant cæleſtium gaudiorum. Per.

POST COMMVN.

Hæc nos, Domine, gratia tua, quæſumus, ſemper exerceat, ut divinis inſtauret noſtra corda myſteriis, & Sanctæ Cæciliæ Martyræ tuæ commemoratione lætificet. Per.

LXV. IN NATL. SANCTI Clementis. VIIII. Kal. Decembr.

Natalem Beati Clementis Sacerdotis & Martyris tui natalitia veneranda, quæſumus Domine, Eccleſia tua devota ſuſcipiat; & fiat magnæ glorificationis amore devotior. Per.

SECRETA.

Sacrificium tibi, Domine, laudis offerimus pro Sancti celebritate Clementis, ut propitiationem tuam, quam noſtris operibus non meremur, pii ſuffragatoris interceſſionibus adſequamur. Per.

POST COMMVN.

Beati Clementis, Domine, natalitio fidelibus tuis munere ſuffragetur; & qui tibi placuit, nobis imploret auxilium. Per Dominum noſtrum.

LXVI. IN NATL. SANCTÆ Felicitatis. Item VIIII. Kal. Dec.

Interceſſio nos, quæſumus Domine, Sanctæ Felicitatis Martyræ tuæ votiva conſoveat; ut ejus ſacrata natalitia & temporaliter frequentemus, & conſpiciamus æterna. Per.

SE-

a. Decemb. *b. Effectu* : in Miſſali Rom. *affectu*.

c. Quæſumus virtutum cæleſtium Domine. Ambroſiana Miſſa apud Pamel. habet, *Tribue quæſumus, virtutum cæleſtium Deus*.

d. Temporalem. Ambroſiana Miſſa, *temporale*.

(1) *Ex Thomaſ. in Orationali Tom. II, pag. 517 mendoſus hic locus emendandus legendo*, ut & potentia tua &c.

Digitized by Google

SECRETA.

Munera tibi, Domine, pro Sanctæ Felicitatis glorioſa commemoratione deferimus, [a] quæ nobis hujus ſolemnitas effectu [1] & confeſſione dedicavit [b] & ſanguine. Per.

POST COMMVN.

Præſta Domine, quæſumus, ut Sacramenti tui participatione vegetati, Sanctæ Felicitatis quoque Martyris precibus adjuvemur. Per.

LXVII. IN NATALE Sanctorum Martyrum Saturnini, Criſanti, Mauri, Dariæ, & aliorum. III. Kal. Decembr.

Beatorum Martyrum, Domine, [2] Saturnini, & Criſanti adſit oratio, ut quos obſequio veneramur, pio jugiter experiamur auxilio. Per.

SECRETA.

Populi tui, Domine quæſumus, tibi grata ſit hoſtia, quæ natalitiis Sanctorum Martyrum tuorum Saturnini, & Criſanti ſolemnitatibus immolatur. Per.

POST COMMVN.

Myſteriis, Domine, repleti ſumus, votis & gaudiis, præſta, quæſumus, ut per interceſſionem Sanctorum Martyrum tuorum Saturnini, & Criſanti, quæ corporaliter agimus, ſpiritaliter conſequamur. Per Dominum.

LXVIII. IN VIGL. SANCTI Andreæ. III. Kal. Decembr.

Vere nos miſericors Deus, & Beati Andreæ Apoſtoli tui, cujus natalitia prævenimus, ſemper guberna præſidiis. Per.

SECRETA.

Apoſtolicæ reverentiæ culmen offerimus, ſacris myſteriis imbuendum, præſta Domine, quæſumus, ut Beati Andreæ ſuffragiis, cujus natalitia præimus, hic plebs tua ſemper & ſua vota depromat, & deſiderata percipiat, Per Dominum,

VD Reverentiæ tuæ dicato jejunio gratulantes, quo Apoſtolica Beati Andreæ merita deſideratis prævenimus officiis, & ad eandem celebrandam ſolemniter præparemus. Per.

POST COMMVN.

Purificent ſemper & muniant tua Sacramenta nos, Domine; & Beati Andreæ Apoſtoli tui interceſſione ad perpetuæ ducant ſalvationis effectum, Per.

V 2 LXVIIII.

a. *Quæ nobis hujus ſolemnitas effectu*. Apud Pamel. *obſecrantes, ut quæ nobis hujus ſolemnitatis effectum*.

b. *Et ſanguine*. Apud Pamel. additur, *miſerationis quoque tuæ continuum imploret auxilium*.

(1) *Mſ.* & confeſſionem dedicavit & ſanguinem.

(2) Saturnini, *atque* Chryſanti *ſolum in hujus Officii orationibus mentio fit, nulla* Mauri, Dariæ, *&* aliorum: *quod obſervatu dignum videtur. Conferantur quæ ad hunc locum adnotata ſunt Thomaſio in Capitul. Evang. Tom. v. pag. 508. not.* (a)

LXVIIII. ITEM IN NATL. Ejuſdem. Pr. Kal. Decembr.

MAjeſtatem tuam, Domine, [1] ſuppliciter exoramus, ut ſicut Eccleſiæ tuæ Sanctus Andreas Apoſtolus extitit Prædicator & Rector, ita [2] ſit pro nobis perpetuus ſuffragator. Per Dominum noſtrum.

Beatus Andreas pro nobis, Domine, quæſumus, imploret Apoſtolus, ut & noſtris reatibus abſoluti, cunctis etiam periculis eruamur. Per.

SECRETA.

Sacrificium noſtrum tibi, Domine quæſumus, Beati Andreæ [3] precatio ſancta conciliet; [a] & ut cujus honorem ſolemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per.

VD Qui Eccleſiam tuam [b] in [4] Apoſtolis tribuiſti conſiſtere fundamentis. De quorum Collegio Beati Andreæ ſolemnia celebrantes, tua Domine præconia non tacemus. Et ideo cum.

POST COMMVN.

Beati Andreæ Apoſtoli tui, Domine quæſumus, interceſſione nos adjuva; pro cujus ſolemnitate percipimus tua ſancta lætantes. Per Dominum.

LXX. IN OCTABAS Sancti Andreæ Apoſtoli. VII. Id. Decembr.

PRotegat nos, Domine, ſæpius Beati Andreæ Apoſtoli repetita ſolemnitas; ut cujus patrocinia ſine intermiſſione recolimus, perpetua defenſione ſentiamus. Per.

SECRETA.

Indulgentiam nobis præbeant hæc munera, quæſumus Domine, largiorem, quæ venerabilis Andreæ ſuffragiis offeruntur. Per Dominum.

POST COMMVN.

Adjuvet familiam tuam, tibi [5] Domine ſupplicando, venerandus Andreas Apoſtolus [6] tuus; & pius interventor [c] efficiat; qui tui nominis extitit prædicator. Per Dominum.

LXXI. IN NATL. SANCTI Thomæ Apoſtoli. XII. Kal. Jan.

DA nobis, quæſumus, Domine Beati Apoſtoli Thomæ ſolemnitatibus gloriari; ut ejus ſemper & patrociniis ſublevemur, & fidem congrua devotione ſectemur. Per.

SECRETA.

Debitum, Domine, noſtræ reddimus ſervitutis, ſuppliciter exorantes; ut

a. *Et ut cujus honorem*. Apud Pamel. & Menard. legitur, *ut cujus honore.*

b. *In Apoſtolis*. Apud Menard. in Nat. S. Thomæ, *in Apoſtolicis.*

c. *Efficiat*. Apud Menardum in Vig. S. Andreæ legitur, *efficiatur*.

(1) *M.* ſupplices.

(2) *M, O, P, R.* ita apud te ſit pro nobis perpetuus interceſſor.

(3) *P* prædicatio.

(4) *Et Codices O, atque R, eo in loco habent in* Apoſtolicis.

(5) O, Domino.

(6) O, P, R. *omittunt vocem* tuus. *Cætera ex iiſdem Codicibus O, R & ex noſtro hocce Sacramentario emendanda Pameliana exemplaria, quæ hoc in loco omittunt diſtinctionem atque voculam* &.

ut ſuffragiis Beati Apoſtoli Thomæ in nobis tua munera tuearis, cujus honorando confeſſionem, laudis [a] tui hoſtias immolamus. Per.

POST COMMUN.

Conſerva Domine, populum tuum; & quem Sanctorum tuorum præſidiis non deſinis adjuvare, perpetuis tribue gaudere remediis. Per.

LXXII. ORAT. IN NATL. plurimorum Sanctorum.

EXaudi Domine populum tuum Sanctorum tuorum tibi patrocinio ſupplicantem; ut temporalis vitæ nos tribuas pace gaudere, & æternæ reperire ſubſidia. Per.

SECRETA.

Preces Domine tuorum reſpice oblationeſque fidelium; ut & tibi grata ſint perpetuo feſtivitate Sanctorum, & nobis conferant tuæ propitiationis auxilium. Per.

POST COMMUN.

Sanctorum tuorum Domine interceſſione placatus, præſta quæſumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua ſalvatione capiamus. Per.

LXXIII. ITEM ALIA Miſſa.

PRæſta Domine, quæſumus, ut ſicut Sanctorum tuorum nos natalitia celebranda non deſerunt, ita jugiter ſuffragiis comitentur. Per.

Adeſto Domine populo tuo cum Sanctorum patrocinio ſupplicanti, ut quod propria fiducia non præſumit, ſuffragantium meritis [b] conſequatur. Per Dominum.

SECRETA.

Salutari ſacrificio, Domine, populus tuus ſemper exultet; [1] quo & debitus honor ſacris Martyribus exhibetur, & ſanctificationis tuæ munus adquiritur. Per.

POST COMMUNIO.

Et natalitiis Sanctorum, Domine, & Sacramenti munere vegetati, quæſumus, ut bonis, quibus per tuam gratiam nunc fovemur, perfruamur æternis. Per.

LXXIIII. ITEM ALIA Miſſa.

SAncti tui, quæſumus Domine, jugiter nobis a te & veniam poſtulent & profectum. Per.

Deus, qui nos & Sanctorum Martyrum ſolemnitatibus, & Confeſſorum gloria circumdas & protegis; præſta nobis, eorum ſemper & imitatione proficere, & emundatione fulgere. Per.

SECRETA.

Hæc hoſtia, Domine quæſumus, ſolemniter immolanda pro tuorum commemoratione juſtorum, conſcientias noſtras ſemper & mundet & protegat. Per.

POST

a. *Tui*. Apud Menardum, *tibi*.

b. *Conſequatur*. Ita emendavimus ex Pamelio, cum male in exemplari legatur, *conſequamur*.

(1) *Mſ.* quod.

Digitized by Google

POST COMMUNIO.

Votiva, Domine, dona percipimus, quia Sanctorum nobis precibus & præſentis, quæſumus, vitæ pariter & æternæ tribue conferre præſidium. Per Dominum noſtrum.

LXXV. ITEM ALIA Miſſa.

FAc nos Domine, quæſumus, Sanctorum tuorum ſemper feſta ſectari, quorum ſuffragiis protectionis tuæ dona ſentimus. Per.

SECRETA.

Fiat, Domine quæſumus, hoſtia ſacranda placabilis, pretioſi celebritate martyrii; quæ & peccata noſtra purificet, & Sanctorum tibi vota conciliet famulorum. Per.

POST COMMUN.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut Sanctorum tuorum cæleſtibus myſteriis celebrata ſolemnitas, indulgentiam nobis tuæ propitiationis adquirat. Per Dominum.

LXXVI. ITEM ALIA Miſſa.

MAjeſtati tuæ nos, Domine, Martyrum ſupplicatio beata conciliet; ut qui inceſſabiliter actibus noſtris offendimus, juſtorum precibus expiemur. Per.

Martyrum tuorum nos, Domine, ſemper feſta lætificent; & quorum celebramus meritum; [1] expiemur auxilium. Per.

SECRETA.

Accepta tibi ſit, Domine, ſacratæ plebis oratio pro tuorum honore Sanctorum; quorum meritis ſemper cœpiſſe in tribulatione agnoſcit auxilium, Per.

POST COMMUN.

Jugiter nos, Domine, Sanctorum tuorum vota lætificent; & patrocinia nobis Martyrum ipſæ ſemper feſtivitates exhibeant. Per.

LXXVII. ITEM ALIA Miſſa.

MAgnificantes, Domine, clementiam tuam, ſuppliciter exoramus; ut qui nos Sanctorum tuorum frequentibus facis natalitiis intereſſe, perpetuis tribuas gaudere conſortiis, Per Dominum.

Da nobis omnipotens Deus in Sanctorum tuorum te ſemper commemoratione laudare; quia refovere curabis, quos in honore tuo perſeverare concedis. Per.

SECRETA.

Accepta tibi ſit in conſpectu tuo Domine, noſtræ devotionis oblatio; & eorum nobis fiat ſupplicatione ſalutaris, pro quorum ſolemnitate defertur. Per.

POST COMMUN.

Ad defenſionem fidelium Domine, quæſumus, dexteram tuæ majeſtatis extende; & ut perpetua pietatis protectione muniantur, interceſſio pro his non deſit Martyrum continuata Sanctorum. Per.

LXXVIII.

(1) *Thomaſ. in Orationali Tom. II, pag. 522*, experiamur auxilium.

LXXVIII. ITEM ALIA Miſſa.

FRaterna nos, Domine, Martyrum tuorum corona lætificet; quæ & fidei noſtræ præbeat incitamenta virtutum, & multiplici nos ſuffragio conſoletur. Per.

Præſta, quæſumus, Domine, ut ſicut nobis indiſcreta pietas horum Martyrum Beatorum individuæ charitatis præbet exemplum; ſic ſpiritum gratiæ tuæ, quo jugiter muniamur, ſemper imploret. Per.

SECRETA.

Iterata myſteria, Domine, pro Sanctorum Martyrum devota mente tractamus, quibus nobis & præſidium creſcit & gaudium. Per.

POST COMMVN.

Cæleſti munere ſaginati, quæſumus Domine Deus noſter, ut hæc nobis dona Martyrum tuorum duplicatio beata ſanctificet. Per.

LXXVIIII. ITEM ALIA Miſſa.

DOmine Deus noſter multiplica ſuper nos gratiam tuam; & quorum celebramus glorioſa certamina, tribue ſubſequi in ſancta profeſſione victoriam. Per.

SECRETA.

Suſcipe Domine, quæſumus, munera populi tui pro Martyrum feſtivitate Sanctorum; & ſincero nos corde fac eorum natalitiis intereſſe. Per.

POST COMMVN.

Sacramenti tui, Domine, quæſumus, ſumpta benedictio corpora noſtra menteſque ſanctificet; & perpetuæ miſericordiæ nos præparet aſcribendos. Per Dominum.

LXXX. ORAT. de Adventu Domini.

EXcita[1] Domine potentiam tuam, & veni; & quod Eccleſiæ tuæ uſque in finem ſæculi promiſiſti, clementer operare. Per.

Excita Domine potentiam tuam, & magna nobis virtute ſuccurre; ut per auxilium gloriæ tuæ, quod noſtra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Per.

SECRETA.

Placare Domine, quæſumus, humilitatis noſtræ precibus & hoſtiis; & ubi nulla ſuppetunt ſuffragia meritorum, [2] tuæ nobis indulgentiæ ſuccurre præſidiis. Per.

VD Deus, Cui proprium eſt ac ſingulare, quod bonus es, & nulla unquam a te es commutatione diverſus; propitiare ſupplicationibus noſtris, & Eccleſiæ tuæ miſericordiam tuam, [3] quam confitentur, oſtende; manifeſtans plebi tuæ Vnigeniti tui mirabile Sacramentum: ut in univerſitate nationum[4] perficiatur, quod per Verbi

(1) *O, & R.* Excita Domine, quæſumus, potentiam tuam &c. *Porro ſatis aperte conſtat præſens Miſſæ Officium ſpectare ad primam Adventus Dominicam.*

(2) P. tuis nobis ſuccurre præſidiis. Per.

(3) *M.* quam deprecatur.

(4) *Ita prorſus in Cod. Remenſi apud Menardum notis 644, & duabus proxime inſequentibus. At Cod. S. Eligii ait*: ut in univerſitate nationum conſtet eſſe perfectum, quod Vatum oraculis fuit ante promiſſum: percipiantque dignitatem adoptionis, quos exornat confeſſio veritatis. Per quem.

Verbi tui Euangelium promiſiſti : & habeat plenitudo adoptionis , quod pertulit teſtificatio veritatis . Per Chriſtum Dominum .

POST COMMVN.

Repleti cibo [a] ſpiritali alimoniæ , ſupplices te deprecamur , omnipotens Deus ; ut hujus participatione myſterii doceas nos terrena deſpicere , & amare cæleſtia : atque omni nexu mortiferæ cupiditatis exutos , regno perpetuæ libertatis conſortes efficias . Per Dominum.

LXXXI. ITEM ALIA Miſſa . [1]

EXcita Domine , [2] quæſumus , corda noſtra ad præparandas Vnigeniti tui vias ; ut per ejus adventum purificatis tibi ſervire mentibus mereamur . [3] Per .

Præveniat nos , quæſumus omnipotens Deus , tua gratia ſemper & ſubſequatur ; ut [b] cum adventum Vnigeniti tui , quem ſummo cordis deſiderio ſuſtinemus , & præſentis vitæ ſubſidia & futuræ etiam conſequamur . Per .

Conſcientias noſtras , quæſumus , omnipotens Deus cotidie viſitando purifica ; [4] ut, veniente Domino Filio tuo , paratam ſibi in nobis inveniat manſionem . Per .

Fac nos , quæſumus Domine Deus noſter pervigiles atque ſolicitos adventum expectare Chriſti Filii tui Domini noſtri ; ut dum venerit pulſans, non dormientes peccatis , ſed vigilantes & in ſuis inveniat laudibus exultantes . [5] Per.

SECRETA.

Sacrificium tibi Domine celebrandum placatus intende ; quod & nos a vitiis noſtræ conditionis emundet , & tuo nomini reddat acceptos . Per .

POST COMMVN.

Sumptis muneribus, Domine , quæſumus , ut cum frequentatione myſterii creſcat noſtræ ſalutis effectus . Per .

LXXXII. ITEM ALIA Miſſa . [6]

PRæcinge , quæſumus , Domine Deus noſter lumbos mentis noſtræ divina tua virtute [c] potentium ; ut veniente Domino noſtro Jeſu Chriſto Filio tuo , digni inveniamur æternæ vitæ convivio , & vota cæleſtium dignitatum ab ipſo percipere mereamur . [7] Per .

Adjuva Domine fragilitatem plebis tuæ , ut ad votivum magnæ feſtivitatis effectum , & corporaliter gubernata percurrat ; & ad perpetuam gratiam devota mente perveniat . Per .

SECRETA,

Grata tibi ſint , Domine , munera , quibus

a. *Spiritali* . Apud Menard. in hebdomada III ante Nat. Domini , *ſpiritalis* .
b. *Cum adventum* . Apud Pamel. *per adventum* .
c. *Potentium* . Apud Pamel. *potenter* .

(1) *Scilicet pro ſecunda Adventus Dominica* .
(2) *M , O . P . R. vocem* quæſumus *ibi omittunt* .
(3) *Iidem mox laudati Codices, vel* Qui tecum vivit *&c. vel* Qui vivis & regnas .
(4) *Prælaudata veterum membrana* , ut veniens Jeſus Chriſtus filius tuus Dominus noſter, paratam *&c.*
(5) *M , & P .* Qui tecum vivit *&c.*
(6) *Tertia videlicet Adventus Dominica* .
(7) *M , & P.* Qui tecum vivit *&c.*

quibus myſteria celebrantur noſtræ libertatis & vitæ. Per.

POST COMMVN.

Animæ noſtræ, quæſumus omnipotens Deus, hoc potiantur deſiderio, ut a tuo Spiritu inflammentur; ut ſicut * lampadas divino munere ſatiati, ante conſpectum venientis Chriſti Filii tui velut clara lumina fulgeamus. Per.

LXXXIII. ITEM ALIA Miſſa.[1]

FEſtina, quæſumus, ne tardaveris Domine, & præſidium nobis tuæ pietatis impende; ut opportunis conſolationibus ſubleventur, qui in tua miſeratione confidunt. Per.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus hanc gratiam plebi tuæ, adventum Vnigeniti tui cum ſumma vigilantia expectare; ut, ſicut ipſe auctor noſtræ ſalutis docuit, velut fulgentes lampadas in ejus occurſum noſtras animas præparemus. Per.

Voci noſtræ, quæſumus, Domine aures tuæ pietatis accomoda, & cordis noſtri tenebras lumine tuæ viſitationis inluſtra. Per.

SECRETA.

Sacrificiis præſentibus Domine, quæſumus, intende placatus; ut & devotioni noſtræ proficiant & ſaluti. Per.

POST COMMVN.

Da, quæſumus, omnipotens Deus cunctæ familiæ tuæ hanc voluntatem in Chriſto Filio tuo Domino noſtro venienti in operibus juſtis aptos occurrere; & ejus dexteræ ſociati, regnum mereantur poſſidere cæleſte. Per.

LXXXIIII. ITEM ALIA Miſſa.[2]

PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut redemptionis noſtræ ventura ſolemnitas, & præſentis nobis vitæ ſubſidia conferat, & æternæ vitæ beatitudinis præmia largiatur. Per Dominum.

Excita, quæſumus, Domine potentiam tuam, & veni;[1] ut ii, qui in tua pietate confidunt, ab omni citius adverſitate liberentur. Per.

Exultemus, quæſumus Domine Deus noſter, omnes recti corde in unitate fidei congregati; ut veniente Salvatore noſtro Filio tuo, immaculati occurramus illi in ejus Sanctorum comitatu. Per eundem Dominum.

Fac nos Domine, quæſumus, mala noſtra toto corde reſpuere; ut veniente Filio tuo Domino noſtro, bona ejus capere valeamus. Per.

b. *Lampadas*. Apud Menard. hebd. quinta ante Nat. Domini. *lampades*.

(1) *Quarta porro Adventus* Dominica.

(2) *Quinta Adventus Dominica; quod hujus membranæ adeo proprium non eſt, ut nec aliæ inveniantur priſcæ ætatis chartæ, quinque ante* Natale *Domini, ſive Adventus, Dominicas numerantes. Amalarius lib.* III *de Offic.* Eccleſ. *cap.* XL, *initio narrat in libris Miſſarum, qui ſuo tempore* antiqui *habebantur, ſcriptum reperiri* Hebdomada quinta ante Natalem Domini. *Rei ratio, ni fallimur, oritur a veteri apud* Gallos *potiſſimum Eccleſiæ more, jejunium ante Chriſti Domini Nativitatem inchoandi ſtatim poſt Feſtum S. Martini: quod pluribus evincit Menardus not. 540 ad Greg.* Sacram. *Sane Gregorius Turonenſis lib.* 10 *Hiſtoriæ narrat Perpetuum Turon. Epiſcop. inſtituiſſe ut a* depoſitione domni Martini uſque Natale Domini terna in ſeptimana jejunia *ſervarentur*.

(1) *Lege*, ut hi.

SECRETA.

Devotionis noſtræ tibi, Domine quæſumus, hoſtia jugiter immoletur; quæ & ſacri peragat inſtituta myſterii, & ſalutare tuum nobis mirabiliter operetur. Per Dominum.

POST COMMUN.

Preces populi tui, quæſumus, Domine clementer exaudi; ut qui de adventu Unigeniti tui ſecundum carnem, lætantur, in ſecundo cum venerit in majeſtate ſua, præmium æternæ vitæ percipiant. Per.

[1] Indignos, quæſumus, Domine famulos tuos, quia actionis propriæ culpa contriſtat, Unigeniti tui nos adventu lætifica. Per Dominum.

Quæſumus, omnipotens Deus, preces noſtras reſpice, & tuæ ſuper nos viſcera pietatis impende; ut qui ex noſtra culpa adfligimur, Salvatore noſtro adveniente, reſpiremus. Per.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui ſub peccati jugo ex debito deprimimur, expectata Unigeniti tui nova nativitate liberemur. Per.

Excita Domine potentiam tuam, & veni, ut tua propitiatione ſalvemur. Per.

Feſtina ne tardaveris Domine Deus noſter, & a diabolico furore nos potenter libera. Per.

Porrige nobis Domine dexteram tuæ venerationis, & veni; & peccata noſtra propitiatus abſolve. Per.

Deus, qui proſpicis, quia ex noſtra pravitate adfligimur, concede propitius, ut ex tua viſitatione conſolemur. Per Dominum.

Feſtinantes, omnipotens Deus, in occurſum Filii tui Domini noſtri, nulla impediant opera actus terreni; ſed cæleſtis ſapientiæ eruditio faciat nos ejus eſſe conſortes. Per Dominum.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut Filii tui ventura ſolemnitas, & præſentis nobis vitæ remedia conferat, & præmia æterna concedat. Per.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut quia pro peccatis noſtris meremur affligi, per adventum Filii tui a cunctis adverſitatibus liberemur. Per.

Deus, qui nos redemptionis noſtræ annua expectatione lætificas, præſta ut Unigenitum Filium tuum, quem Redemptorem læti ſuſcipimus, venientem quoque Judicem ſecuri videamus. Per.

LXXXV. ORAT. ET PRECES Menſis Decimi. Feria IIII.

Deus, qui conſpicis quia in tua pietate confidimus, concede propitius, ut de cæleſti ſemper protectione gaudeamus. Per.

Subveniat nobis, Domine, miſericordia tua; & ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis te mereamur veniente ſalvari. Per.

SECRETA.

Eccleſiæ tuæ Domine munera placatus adſume; quæ & miſericors offerenda tribuiſti, & in noſtræ ſalutis potenter

(1) *Illinc ſequentes* Orationes *in exemplis Gregorianis diſtinguuntur ab Officio ultima Adventus Dominica, atque inſcribi ſolent*: Aliæ Orationes de Adventu Domini, *cui inſcriptioni Codex S. Eligii addit* quotidianis diebus. *Thomaſius vero in Orationali tom. 11, pag. 484 docet eaſdem Orationes uſui fuiſſe univerſis Officiis ſive Matutinis, ſive Veſpertinis.*

tenter efficias tranſire myſterium. Per.

VD Referentes gratiarum de præteritis [a] devotionem, promptius quæ ventura ſunt, præſtanda confidimus; nec eſt nobis ſeminum deſperanda fœcunditas, cum pro ſupplicationibus noſtris annua devotione venerandus etiam [1] Matris Virginis fructus ſalutaris intervenit Chriſtus Dominus noſter. Quem laudant.

POST COMMVN.

Tuorum nos Domine largitate donorum, & temporalibus adtolle præſidiis, & converſatione tibi placeat, & ſecura deſerviat. Per Dominum.

AD POPVLVM.

Eſto Domine plebi tuæ ſanctificator & cuſtos, & Beatæ Mariæ munita præſidiis, & converſatione tibi placeat, & ſecura deſerviat. Per Dominum.

IN SEXTA FERIA.

Hujus nobis parſimoniæ, quæſumus, Domine præbe menſuram; ut quod licentiæ carnis auferimus, ſalutarem nobis fructum acquirat. Per.

Deus, qui noſtram conſpicis ſemper infirmitatem deſtitui, adventus tui nos viſitatione cuſtodi. Per.

Adeſto, quæſumus, omnipotens Deus, atque in cunctis actionibus noſtris & aſpirando, nos præveni, & adjuvando cuſtodi. Per.

SECRETA.

Præſta Domine, quæſumus, ut dicato muneri congruentem noſtræ devotionis offeramus affectum. Per.

POST COMMVN.

Refecti vitalibus alimentis, quæſumus Domine, ut quod tempore noſtræ mortalitatis exequimur, immortalitatis tuæ munere conſequamur. Per.

AD POPVLVM.

Reſpice Domine, quæſumus, propitius ad plebem tuam; & quam divinis tribuis proficere Sacramentis, ab omnibus abſolve peccatis. Per Dominum noſtrum.

SABBATO IN XII.
Lectiones.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & præſentis vota jejunii, placita tibi devotione exhibere concede. Per.

Converte nos Deus Salutaris noſter; & ut nobis jejunium corporale proficiat, mentes [2] noſtra cæleſtibus inſtitue diſciplinis. Per.

Deus, qui pro animarum expiatione noſtrarum, ſacri jejunii inſtituta mandaſti, fragilitati noſtræ adjumenta concede, & effectum cæleſtium mandatorum benignus inſpira. Per Dominum.

Miſerationum tuarum, Domine quæſumus, præveniamur auxilio, & in hujus ſolemnitate jejunii, omnium tibi ſit devotio grata fidelium. Per.

Preces populi tui, quæſumus, Deus clementer exaudi; ut qui juſte pro peccatis noſtris adfligimur, pietatis tuæ viſitatione conſolemur. Per.

a. Devotionem. *leg.* devotionum.

(1) *Mſ.* Matri Virgine.

(2) *Lege* noſtras.

POST BENEDIC.[1]

Deus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium, concede, quæſumus, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

SECRETA.

Eccleſiæ tuæ Domine munera [a] ſanctifica, concede, ut per hæc veneranda myſteria Pane cæleſti refici mereamur. Per.

POST COMMVNION.

Proſint nobis, Domine, ſumpta myſteria; pariterque nos & a peccatis exuant, & præſidiis tuæ propitiationis adtollant. Per.

AD POPVLVM.

Veniat, Domine quæſumus, populo tuo ſupplicanti tuæ benedictionis infuſio, quæ diabolicas ab eodem repellat inſidias, quæ fragilitatem mundet & protegat, quæ inopem ſuſtentet & foveat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

INCIPIT

Explicit Liber Secundus de Natalitiis Sanctorum Martyrum. XXXXX.

a. *Sanctifica concede*. Apud Menard. *ſanctifica & concede*.

(1) *Id eſt poſt Canticum* Benedicite omnia opera Domini Domino.

A ✠ Ω

INCIPIT LIBER TERTIVS
ORATIONES ET PRECES
CVM CANONE
PRO DOMINICIS DIEBVS.(1)

I. Deus, qui diligentibus te bona inviſibilia præparaſti, infunde cordibus noſtris tui amoris affectum, ut te in omnibus & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ (2) omne deſiderium ſuperant, conſequamur. Per Dominum noſtrum.

COL.

Deus, qui in Sanctis habitas, & pia corda non deſeris, libera nos a terrenis deſideriis & cupiditate carnali; ut nullo in nobis regnante peccato, tibi ſoli Domino liberis mentibus ſerviamus. Per.

SECRETA

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris; & has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus adſume; ut quod ſinguli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad ſalutem. Per.

POST COMMVNION.

Quos cæleſti Domine [a] donæ ſatiaſti, præſta quæſumus, ut a noſtris mundemur occultis, & ab hoſtium liberemur inſidiis. Per Dominum.

II. ITEM ALIA MISSA.

Deus virtutum, (3) cujus eſt totum, quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis; & præſta

a. Donæ. *leg.* dona.

* *Donæ ſatiaſti*. Apud Pamelium Dominica ſexta poſt Pentecoſten, *dono ſatiaſti.*

(1) *Ordine nimirum ſe excipiunt eum poſt Pentecoſten, quæ in Gregorianis inſcribuntur Dominica* I, II, III, *&c. Prætereundum hoc loco non eſt, noſtrum Sacramentarium in præſentia incipere ab eo Officio, quod in Gregorianis adſcribitur vel* VI *Dominicæ poſt Pentecoſten, ut præ ſe fert Codex S. Eligii, vel* VII, *uti viſitur apud Pamelium & in Codicibus* O, *atque* R. *Quæ deinde ſequuntur officia tam in noſtro quam in Gregorianis ordine conſentanea reperiri: & dum in Gregorianis* XXIV *ſaltim numerantur poſt Pentecoſten Dominicæ, in noſtro* XVI *tantum leguntur. Numerorum ſeries ſingulis officiis præmiſſa dubitare non ſinit Codici aliquid excidiſſe. quare aut inſigne hic agnoſcamus neceſſe eſt, diſcrimen Gelaſiani ritus a Gregorianis; aut veteris librarii ſingularem oſcitantiam.*

(2) *Mſ* omni deſiderio.

(3) *Iuxta illud Jacobi cap.* 1, ℣. 17. πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι.

[a] præſta ut & nobis religionis augmentum: [b] quæ ſunt bona nutrias; [c] ac vigilantia ſtudium, quæſumus, nutrita cuſtodias. Per.

Da nobis Domine, quæſumus, ut in tua gratia veraciter confidentes, & quæ digna ſint poſtulemus, & jugiter poſtulata ſumamus. Per.

SECRETA.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris; & has populi tui oblationes benignus adſume: [d] ut nullius ſit irritum votum, & nullius vacua poſtulatio, præſta; ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per.

POST COMMVN.

Repleti ſumus, Domine, muneribus tuis, tribue quæſumus, ut eorum & mundemur [e] affectu, & muniamur auxilio. Per.

III. ITEM ALIA MISSA.

Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, te ſupplices exoramus; ut noxia cuncta ſubmoveas, & omnia nobis profutura concedas. Per.

Cuſtodi nos Domine, quæſumus, in tuo ſervitio conſtitutos, ut quibus famulatum eſſe vis ſincere, propitius largire quod præcepiſti. Per.

SECRETA.

Deus, qui legalium differentias hoſtiarum unius Sacrificii perfectione ſanxiſti, accipe [f] ſacrificium devotis tibi famulis; & pari benedictione ſicut munera Abel juſti, ſanctifica: ut quod ſinguli obtulerunt ad majeſtatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad ſalutem. Per.

POST COMMVN.

[g] Cotidiani Domine, quæſumus, [1] munere Sacramenti, perpetuæ nobis tribue ſalutis augmentum. [h] Per Dominum.

IIII. ITEM ALIA MISSA.

Largire nobis Domine, quæſumus, ſemper [2] ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt, propitius, & agendi; ut qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundum te [i] quærere valeamus. Per.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut viam tuam devota mente currentes, ſubripientium delictorum laqueos evadamus. Per.

SE-

a. *Præſta ut & nobis*. Apud Pamelium Dominica ſexta poſt Pentecoſten habetur, *præſta in nobis*.
b. *Quæ ſunt*. Apud Pamelium, *ut quæ ſunt*.
c. *Ac Vigilantia ſtudium quæſumus*. Apud Pamelium, *ac vigilanti ſtudio quæ ſunt*.
d. *Ut nullius*. Apud Pamelium Dominica VII. poſt Pentecoſt. *& ut nullius*.
e. *Affectu*. Apud Pamel. legitur, *effectu*.
f. *Sacrificium devotis*. Apud Pamel. Domin. VIII. poſt Pentec. *ſacrificium a devotis*.
g. Cotidiani. *leg.* Cotidianis. h. Per Dominum. *leg.* Per D. noſtrum.
i. *Quærere*. Apud Pamelium Dominica IX. poſt Pentec. legitur, *vivere*.

(1) *Mſ.* munera.
(2) *Spiritum cogitandi petit Eccleſia juxta B. Pauli doctrinam dicentis epiſt. II ad Corinth. cap. III, ℣. 5:* οὐχ' ὅτι ἱκανοί ἐσμεν ἀφ' ἑαυτῶν λογίσασθαί τι ὡς ἐξ ἑαυτῶν, ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ.

Digitized by Google

SECRETA.

Suſcipe munera, quæſumus, Domine, quæ tibi de tua largitate deferimus; ut hæc ſacroſancta myſteria, gratiæ tuæ operante virtute, præſentis vitæ nos converſatione ſanctificent, & ad gaudia ſempiterna perducant. Per.

POST COMMVN.

Sit nobis, Domine, reparatio mentis & corporis cæleſte myſterium; ut cujus exequimur actionem, ſentiamus [a] affectum. Per.

V. ITEM ALIA MISSA.

PRæſta, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus, ut inter hujus vitæ caligines non ignorantia fallente mergamur; nec præcipiti ſtudeamus voluntate peccare: ſed cui fiduciam ſperandæ pietatis indulges, optatæ miſericordiæ præſta benignus effectum. Per.

Pateant aures miſericordiæ, Domine, precibus ſupplicantium; [b] ut & petentibus deſiderata concedas, fac tibi eos, quæſumus, placita poſtulare. Per.

SECRETA.

Concede nobis hæc, quæſumus, Domine frequentare myſteria; quia quotiens hujus Hoſtiæ commemoratio [c] celebratur, opus noſtræ Redemptionis [d] exercetur. Per.

POST COMMVN.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut quos divinis reparare non deſinis Sacramentis, tuis non deſtituas benignus auxiliis. Per.

VI. ITEM ALIA MISSA.

DEus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miſerando manifeſtas, multiplica ſuper nos gratiam tuam; ut ad tua promiſſa currentes, cæleſtium bonorum facias eſſe conſortes. Per.

SECRETA.

Tibi, Domine, ſacrificia dicata reddantur, quæ ſic ad honorem nominis tui deferenda tribuiſti; ut eadem remedia fieri noſtra præſtares. Per.

POST COMMVN.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut quos divinis reparare non deſinis Sacramentis, tuis non diſtituas benignus auxiliis. Per.

VII. ITEM ALIA MISSA.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ & merita ſupplicum excedis & vota, effunde ſuper nos miſericordiam tuam; ut dimittas quæ conſcientia metuit, & adiicias quod oratio non præſumit. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, a quo ſolo ſancta deſideria, recta conſilia,

a. *Affectum*. Apud Pamel. ibidem, *effectum*.
b. *Ut & petentibus*. Apud Pamel. Domin. x. poſt Penteceſten, *& ut petentibus*.
c. Celebratur. *leg.* celebratum. d. Exercetur. *leg.* exercitum.

filia, & juſta ſunt opera, da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt pacem; ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & tempora ſint tua protectione tranquilla. Per.

SECRETA.

Reſpice Domine quæſumus noſtram propitius ſervitutem; ut quod offerimus ſit tibi munus acceptum, ſit noſtræ fragilitatis ſubſidium. Per.

POST COMMUN.

Sentiamus, Domine quæſumus, tui perceptione Sacramenti ſubſidium mentis & corporis; ut in utroque ſalvati, cæleſtis remedii plenitudine gloriemur. Per.

GII. ITEM ALIA MISSA.

Omnipotens ſempiterne Deus, per quem cœpit eſſe quod non erat, & factum eſt viſibile, quod latebat, ſtultitiam noſtri cordis emunda: & quæ in nobis ſunt vitiorum ſecreta, purifica; ut poſſimus tibi, Domine, pura mente ſervire. Per.

Omnipotens & miſericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne & laudabiliter ſerviatur; tribue, quæſumus, nobis, ut [a] a promiſſionibus tuis ſine offenſione curramus. Per.

SECRETA.

Hoſtias, quæſumus, Domine [b] propitius inte, quas ſacris Altaribus exhibemus; ut nobis indulgentiam [c] largiaris, tuo nomini dent honorem. Per.

POST COMMUN.

Vivificet nos, quæſumus Domine, hujus participatio ſancta myſterii; & pariter nobis expiationem tribuat & munimen. Per.

GIII. ITEM ALIA MISSA.

Omnipotens ſempiterne Deus da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum; & ut mereamur adſequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus fac nos tibi ſemper & devotam gerere voluntatem & [d] majeſtati tuæ ſincero corde ſervire. Per.

SECRETA.

Oblatio nos, Domine, tuo nomini dicata purificet; & de die in diem ad cæleſtis vitæ transferat actionem. Per.

POST COMMUN.

Sumptis, Domine, cæleſtibus Sacramentis, ad redemptionis æternæ, quæſumus, [e] proficiat augmentum. Per.

X. ITEM

a. *A promiſſionibus tuis*. apud Pamelium Dominica XIII poſt Pentecoſt. *ad promiſſiones tuas*. b. *Propitius inte.* Apud Pamelium ibidem. *intende*.

c. *Largiaris*. Apud Pamelium ibidem, *largiendo*.

d. *Majeſtati tuæ*. Ita correximus ex Pamelio Dominica poſt Aſcenſa Domini, cum perperam in exemplari legatur, *majeſtatem tuam*.

e. *Proficiat*. Apud Pamelium Dominica XIV poſt Pentecoſten legitur *proficiamus*.

Google

X. ITEM ALIA MISSA.

CVſtodi Domine, quæſumus, Eccleſiam tuam propitiatione perpetua: & quia ſine te labitur [1] humana mortalitas, tuis ſemper auxiliis & abſtrahatur a noxiis, & ad ſalutaria dirigatur. Per.

Præſta nobis miſericors Deus, ut placationem tuam promptis mentibus exoremus; & peccatorum veniam conſequentes, a noxiis liberemur incurſibus. Per.

SECRETA.

Concede nobis Domine, quæſumus, ut hæc hoſtia ſalutaris & noſtrorum fiat purgatio delictorum, & tuæ propitiatio poteſtatis. Per.

SECRETA.

Purificent nos, Domine, Sacramenta, quæ ſumpſimus, & a cunctis efficiant vitiis abſolutos. Per.

POST COMMVN.

Sancta tua nos, Domine, ſumpta vivificent, & miſericordiæ ſempiternæ præparent expiatos. Per.

XI. ITEM ALIA MISSA.

ECcleſiam tuam, Domine, miſeratio continuata mundet & muniat: & quia ſine te non poteſt ſalva conſiſtere, tuo ſemper munere gubernetur. Per.

Da, quæſumus, Domine hanc mentem populo tuo; ut quia ad te placandum neceſſitate concurrit, majeſtati tuæ fiat etiam voluntate devotus. Per.

SECRETA.

Tua nos, Domine, Sacramenta cuſtodiant, & contra diabolicos tueantur ſemper incurſus. Per.

POST COMMVN.

Mentes noſtras & corpora poſſedeat, Domine, quæſumus, doni cæleſtis operatio: ut non noſter ſenſus in nobis, [a] ſed jugiter [b] ejus præveniant effectus. Per.

XII. ITEM ALIA MISSA.

FAc nos Domine, quæſumus, prompta voluntate ſubjectos, & ad ſupplicandum tibi noſtras ſemper excita voluntates. Per.

Fac nos Domine, quæſumus, tuis obedire mandatis; quia tunc nobis proſpera cuncta prævenient, ſi totius vitæ ſequamur auctorem. Per.

SECRETA.

Munda nos Domine ſacrificii præſentis effectu; & perfice miſeratus in nobis, ut ejus mereamur eſſe participes. Per.

a. *Sed*. Ita correximus ex Pamelio Domica XVI poſt Pentecoſten, cum perperam in exemplari legatur, *ſunt*.

b. *Ejus præveniant*. Apud Pamelium ibidem, *avi præveniat*.

(1) P. univerſa mortalitas.

Digitized by Google

POST COMMVN.

Purifica Domine, quæſumus, mentes noſtras benignus, & renova cæleſtibus Sacramentis; ut conſequenter & corporum præſens pariter & futurum capiamus auxilium. Per.

XIII. ITEM ALIA MISSA.

DA, quæſumus, Domine populo tuo diabolica vitare contagia, & te ſolum, [1] Domine, puro corde ſectari. Per.

Cuſtodi nos omnipotens Deus, ut tua dextera gubernante, nec noſtra nobis prævaleant nec aliena peccata. Per.

SECRETA.

Majeſtatem tuam, Domine, ſuppliciter deprecamur, ut hæc ſancta quæ gerimus, & præteritis nos delictis exuant & futuris. Per.

POST COMMVN.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut divino munere ſatiati & ſacris myſteriis innovemur & moribus. Per.

XIIII. ITEM ALIA MISSA.

DIrigat corda noſtra, Domine quæſumus, tuæ miſerationis operatio, quia tibi ſine te placere non poſſumus. Per.

Tuis Domine, quæſumus, adeſto ſupplicibus; & inter mundanæ pravitatis inſidias fragilitatem noſtram ſempiterna pietate proſequere. Per.

SECRETA.

Deus, qui nos per hujus ſacrificii veneranda commercia Vnius ſummæque Divinitatis participes efficiſti, præſta quæſumus, ut ſicut tuam cognoſcimus veritatem; [2] ſic eam dignis moribus & mentibus aſſequamur. Per.

POST COMMVN.

Gratias tibi referimus, Domine, ſacro munere vegetati, tuam miſericordiam deprecantes, ut dignos ejus nos participatione perficias. Per.

XV. ITEM ALIA MISSA.

OMnipotens & miſericors Deus univerſa nobis adverſantia [a] propitiationis exclude; ut mente & corpore pariter expediti, quæ tua ſunt liberis mentibus exequamur. Per.

Da, quæſumus, omnipotens Deus, [3] ſic noſtram veniam promereri, ut noſtros corrigamus exceſſus; ſic fatentibus relaxare delictum, ut coerceamus in ſuis pravitatibus obſtinatos. Per.

SE-

a. *Propitiationis*. Apud Pamelium legitur Domin. xx poſt Pentecoſten, *propitiatus*.

(1) *M*, *P*, & *R*. Et te ſolum Dominum: *O*, *vero* & te ſolum Deum. (2) *M*. & eam. (3) *M*. ſic nos ſacris muneribus tuam veniam promereri.

SECRETA.

Hæc munera, quæſumus Domine, quæ oculis tuæ majeſtatis offerimus, ſalutaria nobis eſſe concede. Per.

POST COMMVNIONEM.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut [1] munus divinum, quod ſumpſimus, ſalutari nobis proſit effectu. Per.

XVI. ITEM ALIA MISSA.

LArgire, quæſumus, Domine fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem; ut pariter ab omnibus mundentur offenſis, [a] tibi mente deſerviant. Per.

Delicta noſtra Domine, quibus adverſa dominantur, abſterge; & tua nos ubique miſeratione cuſtodi. Per.

SECRETA.

Cæleſtem nobis præbeant hæc myſteria, quæſumus Domine, medicinam; & vitia noſtri cordis expurgent. Per.

POST COMMVN.

Auxilientur nobis, Domine, ſumpta myſteria; & ſempiterna protectione confirment. Per.

a. *Tibi*. Apud Pamelium Domin. xxi poſt Pentecoſten, *& ſecura tibi*.

(1) *Mſ.* ut munere divino.

by Google

INCIPIT [1] CANON ACTIONIS

SVrſum [a] corda. ℟. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt.

Et

(1) Canon Actionis *vocatur noſtro in Sacram. quod nunc temporis vulgo* Canon Miſſæ *dicitur. In veterum chartis &* Canon *dicebatur &* Actio, *&* Preces *&* Orationes *&* Secretum Miſſæ. *Primam illam Canonis adpellationem ante Gregorii M. tempora uſitatam fuiſſe demonſtrant illius epiſtolæ, quarum illa quæ eſt ad Jo. Epiſcopum Syracuſanum, lib. IX duodecima juxta recentiorem illius Pontificis Operum editionem, habet:* Quia orationem dominicam poſt Canonem dici ſtatuiſtis. *Denominationis hujuſce rationem Walafridus Strabo cap. XXII de rebus Eccleſ. eſſe docet, quod in eo* eſt legitima & Regularis Sacramentorum confectio: *& regula quidem firma nec mutationi obnoxia aut interpolationi, quod Canonis voce Eccleſiam ſignificare voluiſſe retur Clariſ. Card. Bona Rerum Liturg. lib. II, cap. XI, num. I; nec immerito, ait ſiquidem Vigilius in Epiſt. ad Euthetium, ſive potius ad Profuturum, (uti nobis detexit doctus Baluzius in ſua nova Conc. Collect. pag. 1463, & in notis ad Gratianum) ait, inquam:* Ordinem quoque Precum, in celebritate Miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtivitate ſignificamus habere diviſum: *quæ de Miſſæ Canone interpretari debere & ipſe epiſt. contextus monet, & commune Scriptorum ſuffragium.*

Actio *inſuper vocabatur a majoribus noſtris Miſſæ Canon; unde noſtris hiſce in liturgicis libris ſæpe illud occurrit* Infra vel Intra Actionem. *In Catal. Roman. Pontif. a Bollandiſtis vulgata in Prolegom. tom. I Aprilis de S. Xiſto primo ejus nominis Pontifice legitur:* Hic conſtituit, ut Infra Actionem Sacerdotis, incipiens populus hymnum decantaret, Sanctus, Sanctus &c. *In Hiſt. Trevirenſi tom. XII D'Acheriani Spicilegii legitur:* Juſſus eſt Miſſam celebrare, & Canonem, qui ſecreta vel Actio dicitur, ſicut cetera, excelſa voce decantare. *Et Walaf. Strab. prælaudato nuper cap.* Actio dicitur ipſe Canon, quia in eo Sacramenta conficiuntur Dominica. *Plura de hac adpellatione videſis apud eruditiſſimum Carolum Du-Freſne.*

Ad hæc Preces *dictum invenimus eumdem* Canonem. *Vigilii locum ſatis apertum ſupra retulimus, ubi Profuturum monet Miſſarum partes pro Feſtorum varietate diverſas eſſe ea excepta, qua ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrare conſuevimus: hanc partem eidem epiſtolæ adjungens ait:* quapropter & ipſius canonicæ Precis textum direximus ſubter adjectum, quem Deo propitio ex apoſtolica traditione accepimus. *Vigilio in illius nominis uſurpatione præiverat Cyprianus, cujus conferatur liber de Unitate Eccleſiæ. Præiverat & Innocent. I. in Epiſt. ad Decentium cap. II, ubi ait.* De nominibus vero recitandis, antequam Precem Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda ſunt, ſua oratione commendet, quam ſuperfluum ſit, & ipſe pro tua prudentia recognoſcis, ut cujus hoſtiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen inſinues, quamvis illi incognitum ſit nihil. *Patet porro hoc in loco* Precem *dici Miſſæ* Canonem. *Socrates etiam eodem ſenſu ea voce uti videtur in Hiſt. Eccl. lib. VII, cap. XXV,* ἐν ταῖς εὐχαῖς, in Precibus, *Joannis tyranni mentionem fieri præcepiſſe Atticum narrans,* ὡς ἂν τῶν ἄλλων ἐπισκόπων τῶν κεκοιμημένων εἴωθεν γίνεσθαι. Sicut aliorum quoque Epiſcoporum, qui fato functi erant, mentio fieri ſolebat. *Poſt Vigilium invenitur & Greg. Mag. in ea, quam ſuper indicavimus epiſtola, memoratis ibidem verbis ſubdens:* Orationem Dominicam idcirco mox poſt Precem dicimus.

Præterea Canon Miſſæ *ab Auguſtino num. 16 epiſt. CXLIX. nov. edit.* Orationes *vocatur, ubi diſtinguit inter* Precationes, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici: *&* Orationes cum benedicitur aut ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur.

Poſtremo Secretum Miſſæ *vocatum olim fuiſſe eam Miſſæ partem patet ex hoc canone, quem XI eſſe conſtat Concil. Eboracenſis an. MCXCV celebrati, in quo legitur:* Quia Secretum Miſſæ frequenter invenitur, aut Scriptorum falſitate, aut librorum vetuſtate corruptum, ita ut legi diſtincte non poſſit: archidiaconorum ſollicitudo provideat, ut in ſingulis Eccleſiis ad verum & probatum exemplar Canon Miſſæ cum omni diligentia corrigatur.

His igitur variis appellationibus a veteribus uſurpatis, & a recentioribus jam obſervatis, a Card. Bona potiſſimum & Du-Cangio indicatis locis, ut & ab Jo. Mabill. Liturg. Gallic. lib. I, cap. IV, num. 3. & II, alteram addit noſter heic Sacramentorum Liber ex duplici conflata, qua dicitur Canon Actionis.

(a) *Præfationis illud eſt initium, de qua videantur, quæ perdocte collegit Menardus not. 15. & aliis eam proxime inſequentibus.*

VD [1] Et juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates; Cæli, cælorumque Virtutes, ac Beata Syrafin ſocia exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras voces ut admitti jubeas, deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cæli & terra gloria tua. Oſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Oſanna in excelſis.

TE [2] igitur, clementiſſime Pater, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum ſupplices rogamus & petimus; uti accepta habeas & † benedicas hæc † dona, hæc † munera, hæc † ſancta Sacrificia † inlibata. In primis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua Sancta Catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum una cum famulo tuo Papa noſtro *Illo*, & Antiſtite noſtro *Illo* Epiſcopo [3]. Memento Domine famulorum famularumque tuarum & omnium circumadſtantium. Quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio: [4] qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro ſe, ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ; [a] tibi reddunt vota ſua æterno Deo vivo & vero. [5] Communicantes & memoriam venerantes in primis glorioſæ ſemper Virginis Mariæ Genitricis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti,

a. Tibi. Apud Pamel. legitur, *tibique*.

(1) *Obſerva omitti illic verba,* Vere dignum, *quod & in ſuperioribus viſitur ſæpe: eadem omittit in Gregoriana exempla Cod. O.*

(2) Te igitur &c. *Initium* Canonis Actionis. *Illius auctorem Greg. M. epiſt. ſupra memorata facit Scholaſticum quemdam, hoc eſt virum doctrina præſtantem: eo enim nomine cenſebantur olim viri docti; unde Hieronymus de Viris Illuſtribus ait:* Serapion Epiſcopus ob elegantiam ingenii cognomen Scholaſtici meruit. *Eum fuiſſe Vocomium Caſtellani Mauritaniæ oppidi Epiſcopum volunt aliqui, de quo Gennadius de Viris Illuſt. cap. LXXVIII ait, ipſum compoſuiſſe* Sacramentorum egregium volumen: *alii Muſæum Maſilienſis Eccleſiæ presbyterum, quod idem Gennad. cap. LXXIX de illo itidem adfirmet compoſuiſſe* Sacramentorum egregium & non parvum volumen. *Alii Gelaſium Pontificem; alii Gregorium Magnum, de quibus videri poterit Card. Bona lib. II Rerum Liturg. cap. XI, num. II. Verum illis omnibus antiquiorem eſſe certo colligunt eruditi, quos inter præclari ſunt Bona & Menardus not. 24, quod illius loca quædam referantur ab Ambroſio & Optato Milevitano. Noſtra ſententia iidem refutantur & Vigilii teſtimonio ſuperius a nobis relato not.* (1) *pag.* 172, *quo diſerte adfirmatur* Miſſæ Canonem *ab Apoſtolorum traditione fluxiſſe.*

(3) *Deſunt verba*, & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus, *quæ & in aliis veterum membranis deſiderari notatum eſt Card. Bona num. IV, capitis citati, atque Menardo not. 34. Illis adnumeretur & noſtra R. Eadem verba in Canone ſupervacanea eſſe vult Micrologus cap. XIII, quod* ordo ſtatim in ſequenti verſu, ubi dicitur, Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, nobis concedit, ut omnium virorum commemoremus quoſcumque voluerimus. *Noſtrarum tamen rerum Scriptoribus ea Micrologi opinio non probatur.*

(4) *O & P*, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, *ut in Miſſali Romano, quo in loco particula vel disjunctiva, copulandi vim habet, quod & apud probatæ latinitatis Scriptores ſæpe evenire comperto eſt omnibus. Ceterum eadem verba* pro quibus tibi offerimus *non ſolum deſiderantur in præſenti noſtro* Canone Actionis, *ſed deſiderantur præterea in Cod. R, & in aliis pleriſque veterum Codicibus: & illa ſupervacare contendit Micrologus loco nuper memorato. De iiſdem verbis ad marginem Pameliani exempli hæc ſibi notaverat noſter Thomaſius:* Hæc verba Canonis deſunt in Codice membranaceo, qui eſt liber Sacramentorum S. Gregorii, & ſcriptus videtur ſæculo IX; extatque in Eccleſia Aquilejenſi. *Conſule Card. Bona num. V cap. cit. & Menardum not. 36.*

(5) *Vide eximium Card. Bona cap. XII lib. II Rer. Litur.*

Digitized by Google

Chriſti, ſed & Beatorum Apoſtolorum ac Martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreæ, Jacobi, Johannis, Thomæ, .. [a] .. Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Taddei, Lini, Cleti, Clementis, Xyſti, Corneli, Cypriani, Laurenti, Chriſogoni, Johannis, & Pauli, Coſmæ, & Damiani.... [b] . . & Eleutherii.... [c] . . & omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibuſque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Hanc igitur oblationem Servitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, ut placatus accipias [1] dieſque noſtros in tua pace diſponas; atque ab æterna damnatione nos eripi, & in Electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæſumus, [2] benedictam, aſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris; ut nobis Corpus & Sanguis fiat dilectiſſimi Filii tui Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti. Qui pridie quam pateretur, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas: [d] elevatis oculis in cælum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, [e] dedit Diſcipulis ſuis dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes: Hoc eſt enim Corpus meum. Simili modo poſtea quam cœnatum eſt, accipiens & hunc præclarum Calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, item tibi gratias agens, benedixit, dedit Diſcipulis ſuis dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes: Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, Myſterium Fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur [f] in remiſſione peccatorum. Hæc quotieſcumque feceritis, in Mei memoriam facietis. Vnde & [g] memores ſumus, Domine, nos tui ſervi, ſed & plebs tua ſancta Chriſti Filii tui Domini Dei noſtri [3] tam beatæ Paſſionis, nec non & ab inferis Reſurrectionis, ſed & in cælos glorioſæ Aſcenſionis: offerimus præclaræ Majeſtati tuæ de tuis donis ac datis Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam, Panem ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ. Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicuti accepta

a. Linea abraſa. b. Dionyſii, Ruſtici.

c. Hilarii, Martini, Auguſtini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti.

d. *Elevatis*. Apud Pamelium, *& elevatis*.

e. *Dedit*. Apud Pamelium, *deditque*.

f. *In remiſſione*. Apud Pamelium, *in remiſſionem*.

g. *Memores ſumus*. Apud Pamelium, *memores*.

(1) *Ea verba addidiſse Gregorium Magnum narrant Joannes Diaconus atque Anaſtaſius.*

(2) Benedictam *ideſt* conſecratam; *notum eſt vocem benedicere ſape a majoribus ad denotandum conſecrare uſurpari conſuevisse: cujus rei teſtimonia bene multa tibi ſuffiest in ſuperioribus noſter hic liber, ubi de ſacris Ordinibus agit.* Sequentium *proxime quod attinet verborum interpretationem vide apud Menardum.*

(3) *Alexandro I Pontifici illud adſcribitur in libro Pontificali, in quo legitur de eo:* Hic paſſionem Domini miſcuit in precatione Sacerdotum, quando Miſſæ celebrantur. *Quo autem ſenſu illius libri recenſita mox verba accipere debeamus, docet clariſ. Baronius ad ann.* CXXXII, *num.* 3 I.

cepta habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit [a*] Summus Sacerdos tuus Melchiſedech, [1] ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam. Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri [b*] per manus Angeli tui in ſublime Altare tuum in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ; ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti & gratia repleamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. [2]

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus, partem aliquam ſocietatis donare digneris cum tuis Sanctis Apoſtolis & Martyribus, cum Johanne, Stephano, Matthia, Barnaban, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, [3] Agatha, Lucia, Agnem, Cæcilia, Anaſtaſia, & cum omnibus Sanctis tuis; intra quorum nos conſortia non [c] æſtimator [4] meriti, ſed veniæ, quæſumus, largitor admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Per quem hæc omnia Domine ſemper bona [5] creas, ſanctificas, vivificas, benedicis, & præſtas nobis. Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor & gloria per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

ORE-

a* Vide Quæſt. veteris & novi Teſtam. inter Opera S. Auguſtini, quæſt. CIX, quarum Auctor ſcribebat anno circiter CCCLXX Romæ. Vide Labbè de Script. Eccl. tom. I, pag. 136.

b* De Conſecr. diſt. II cap. *Quid Sanguinis* ex S. Gregorio. Vide Alcuinum, & S. Thomam in IV, diſt. XI, in expoſit. textus.

c. *Æſtimator meriti, ſed veniæ*. Ita correximus ex Pamelio cum perperam in exemplari ponatur, *æſtimarum meritis, ſed veniam*.

(1) *Anaſtaſius in Sancto Leone Magno narrat, ipſum conſtituiſse, ut* intra Actionem Sacrificii diceretur, Sanctum Sacrificium, immaculatam hoſtiam. *An vero integram hanc orationem incipiens ab illo,* ſupra quæ, propitio &c. *an ſola verba ab Anaſtaſio relata addi in Canone juſserit ille Pontifex, diſputatur inter eruditos: e quibus videndus Pamelius tom. primo Liturgicorum pag. 572, & Card. Bona Rer. Lit. lib. II, cap. XIII, num. III. Ad hujus poſtremi opinionem accedere Thomaſium noſtrum conjicimus, quod in præſenti loco adlegaverit teſtimonium Auctoris Quæſt. veteris & novi Teſtamenti, in quo teſtimonio Orationis hujus veſtigium haud obſcurum occurrit.*

(2) *Defunctorum commemoratio deſideratur, quam ſe nec invenisse narrat hoc loco clariſ. Menard. in Cod. S. Eligii. An id ſuffragari ullo modo poſſit ſtatuentibus mortuorum memoriam poſt Conſecrationem in Miſsæ* Sacrificio, *omnium primum fieri præcepiſse Pelagium II, aliorum potius quam meum volo eſse judicium. Illud eſt omnibus comperto, vetuſtiſſimorum Patrum teſtimoniis conſtare, longe ante Gelaſii Pontificis tempora Eccleſiam conſuevisse in ſancto Sacrificio defunctorum memoriam habere. Ea teſtimonia collegerunt plurimi, & præcipue Menardus, not. 70, Card. Bona cap. prælaudato, & Dionyſius a S. Martha animadverſione ſua ad allegatam mox Menardi notam. Illud præterea notum eſt, non omnibus Eccleſiis, Mozarabæ potiſſimum atque Gallicanæ, commune fuiſſe mortuorum commemorationem in Diptychis una ſimul facere ante Conſecrationem, imo & ante ipſum Canonem. An aliquid Gallicani ritus præſens hicce locus indicet, vel minime, adſerere, quamdiu firma deerunt rationes, non audeo. In Miſſa Illyrici & vivorum & mortuorum poſt Conſecrationem fit commemoratio.*

(3) *Nomina virginum Agathæ, Luciæ, Agnetis, Cæciliæ, Anaſtaſiæ Actioni Canonis addidiſse Greg. Mag. ſcribit S. Aldelmus Epiſcop. Sebirburnenſis cap. XXV lib. de Virginitate.*

(4) meriti, *ſubintellige* mali, mala *enim* merita *nomen eſt, quo non raro a veteribus* peccata *deſignantur.*

(5) *In Cod. Aquilejenſi, juxta ſuperiorem not. (4) pag. 273. a Thomaſio obſervato, heic habetur* creans.

OREMUS.

Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati [1] audemus dicere. Pater noſter, qui es in cælis. Sed libera nos a malo.

Libera nos, quæſumus, Domine ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris; & intercedente pro nobis Beata & glorioſa ſemperque Virgine Dei Genitrice Maria, & ſanctis Apoſtolis tuis Petro, & Paulo, atque Andrea [2], da propitius pacem in diebus noſtris; ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, & a peccatis ſimus liberi ſemper, & ab omni perturbatione ſecuri. Per.

Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Poſt hæc [3] *commonenda p̄. plebs pro jejuniis* [a] *Quarti, Septimi, & Decimi Menſis temporibus ſuis, ſive pro Scrutiniis, vel Aurium* [b] *apertione, ſive orandum pro infirmis, vel adnunciandum Natalitia Sanctorum.*

Poſt hæc communicat Sacerdos cum Ordinibus ſacris [4] *cum omni populo.*

POST COMMUNIONEM.[5]

Quos cæleſti Domine alimento ſatiaſti, Apoſtolicis intercellionibus ab omni nos, quæſumus, adverſitate cuſtodi. Per Dominum.

Læti, Domine, ſumpſimus Sacramenta cæleſtia, intercedente pro nobis Beata & Glorioſa ſemperque Virgine Dei Genitrice Maria, ad vitam nobis proficiaut ſempiternam. Per.

Augeatur in nobis, Domine quæſumus, tuæ virtutis operatio, ut divinis vegetati Sacramentis, ad eorum promiſſa capienda tuo munere præparemur. Per.

Omnipotens Deus fac nobis tibi ſemper devotam gerere voluntatem; [c] majeſtati tuæ ſincero corde famulari. Per.

Myſteria nos, Domine, ſancta purificent, & ſuo munere tueantur. Per.

Quos tantis Domine largiris uti myſteriis, quæſumus, ut effectibus nos eorum veraciter aptare digneris. Per.

Menſa tua nos, Deus, a delectationibus terrenis expediat, & cæleſtibus

a. Jejuniis. *leg.* jejunii. *b.* Apertione. *leg.* apertio.
c. *Majeſtati*. In Miſſali Rom. & *majeſtati*.

(1) *S. Hieronymus lib.* III *adverſus Pelagianos ait*: Sic docuit (*Chriſtus Jeſus*) Apoſtolos ſuos, ut quotidie in corporis illius Sacrificio credentes AUDEANT loqui: Pater noſter &c. *Unde hujus præfationis Dominicæ Orationi præmiſſæ ſe prodit antiquitas. Præmittendi autem, reverentiam fuiſſe cauſſam tradit S. Cyprianus lib. de Oratione.*

(2) *Illic pro arbitrio Sacerdotis licebat addere Sanctorum, quorum voluerit, nomina. Ibidem reperiuntur tam in editis, quam in mſſ. Codicibus nomina Sanctorum, qui Eccleſiæ Patroni venerantur. Vide Microlog. cap.* XIII.

(3) *Confer quæ occurrunt ſupra ad pag.*100, *ad num.*LXXXII, *& ad not.* (1) *Inſuper & quæ habentur pag.*127.

(4) cum omni populo, *juxta priſcum Eccleſiæ morem, quo in publica Miſſa ſacrum Chriſti Corpus omnes adſtantes ſumebant; de quo more paſſim agunt Scriptores, & præcipue eximius Card. Bona.*

(5) *Orationes, quæ heinc ſequuntur in noſtro Codice, ex illis ſunt de quibus pauca adnotavimus not.* (10) *ad ſuperiorem pag.*3, *quæ* ad Complendum *in Gregorianis exemplis, & a* Walafrido Strabone *de reb. Eccl. non longe a fine cap.* XXII, *vocantur. Una, aliquando etiam duæ, in ſingulis Miſſæ Officiis ſuo in loco reperitur in veteri noſtra membrana. Cur autem in præſenti multas in unum repræſentaverit libri auctor me latet.*

ſtibus ſemper inſtruat alimentis. Per.

Tui nobis, Domine, communio Sacramenti & purificationem conferat, & tribuat unitatem. Per.

Tua ſancta nobis, omnipotens Deus, & indulgentiam præbeant, & auxilium perpetuæ defenſionis impendant. Per.

Tua nos, Domine, medicinalis operatio & a noſtris perverſitatibus clementer expediat, & tuis faciat ſemper inhærere mandatis. Per.

Purificent ſemper & muniant tua Sacramenta nos, Deus, & ad perpetuæ ducant ſalvationis effectum. Per Dominum noſtrum.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut [a] munus divinum, quod ſumpſimus, ſalutari nobis proſit effectu. Per.

ITEM BENEDICTIONES ſuper populum [1] *poſt Communionem*.

DOmine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, de abundantia miſericordiarum tuarum famulos & famulas tuas præſta locupletes, præſta [2] ſecuros: ut confirmati benedictionibus tuis, abundent in omni gratiarum actione, teque perpetua exultatione benedicant. [3] Per.

Gregem tuum Paſtor bone placatus intende; & oves quas pretioſo Sanguine

a. *Ut munus divinum*. Sic emendavimus, quia perperam legitur in exemplari, *ut munere divino*.

(1) *Obſerva voces* ſuper populum poſt Communionem, *unde agnoſcimus has* Benedictiones *non eſſe illius generis, quod fuſe expenditur a Menardo notatione* 100 *ad Greg. Sacram. & a Card. Bona c.* XVI *lib.* II *Rer. Liturg. Illa porro* Benedictio *ab Epiſcopo adſtanti populo olim largiebatur ante ſacram Communionem abſoluta Oratione* Libera nos, *antequam Sacerdos diceret*: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. *Et de ea cap.* XLIV *Concil. Agathenſe ait*: Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut pœnitentem in Eccleſia benedicere Presbytero penitus non licebit. *At* Benedictiones *præſenti loco in noſtri Sacramentarii recenſione occurrentes, idem omnino ſunt ac* Orationes ſuper populum: *quas eo nomine donatas antiquitus fuiſſe liquet ex cap.* XLVII *ejuſdem Concilii Agathenſis, quod ait*: Miſſas die Dominico ſecularibus totas tenere ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante BENEDICTIONEM Sacerdotis egredi populus non præſumat. *Hoc in Canone* benedictio *eſt* Oratio ſuper populum, *quod, uti doctum virum decet, poſt Micrologum cap.* XXI, *declarat clariſ. Card. Bona num.* III, *citati capit. Amalarius etiam lib.* III, *ſub initium capitis* XXXVI *ultimam in Miſſa orationem* benedictionem *vocari innuit his verbis*: Hunc morem tenet Sacerdos, ut poſt omnia Sacramenta conſummata, BENEDICAT populo, atque ſalutet. Deinde revertitur ad orientem, ut ſe commendet Domini Aſcenſioni: Dicitque Diaconus; Ite Miſſa eſt. *Idem obſervari poteſt & in Rabano Mauro lib.* I *de Inſtit. Cleric. cap.* XXXIII, *ajente*: Poſt communionem ergo, & poſt ejuſdem nominis canticum, (*poſt antiphonam nimirum, quæ ad Communionem vocatur*) data BENEDICTIONE a Sacerdote ad plebem, diaconus prædicat Miſſæ officium eſſe peractum, dans licentiam abeundi. *Clarius Walafridus Strabo de Reb. Eccl. cap.* XXII *ait*: Statutum eſt Aurelianenſi Concilio (*dicere debuiſſet* Agathenſi) ut populus ante BENEDICTIONEM Sacerdotis non egrediatur de Miſſa. Quæ BENEDICTIO intelligitur ultima Sacerdotis oratio. *Quæ igitur hoc in loco noſtri Sacramentarii* benedictiones *dicuntur*, orationes *ſunt* ſuper populum; *quæ heic ponuntur quemadmodum & ſuperiores* poſt Communionem *orationes. Harum diſtinctionem a* Benedictionibus, *ſive ab* Orationibus ſuper populum *præ oculis non habuit clariſ. Card. Bona, quum num.* IV *cap.* nn *lib.* II *Rer. Lit. ſcripſit* benedictionem *ab Amalario, Rabano Mauro & Walafrido in prælaudatis eorum teſtimoniis diſerte memoratam, eſſe illam orationem*, quæ Poſtcommunio vocatur: *conſtat porro eſſe ab illa longe diverſam. Vide quæ diximus ſupra ad pag.* 5, *not.* (1).

(2) *Mſ.* ſecurus.

(3) *Ea clauſula* Per Dominum &c. *ſuperiori in nota dicta confirmat, Benedictio enim Epiſcopalis quæ ante Communionem dabatur ejuſmodi clauſula non concluditur: conſtabat tribus vel etiam quatuor capitulis ſive precationibus, quibus ſingulis populus reſpondebat* Amen: *Deinde concludebatur benedicendi formula*, Benedictio Dei Patris & Filii &c. *Vide edita a Pamelio atque Menardo Sacramentaria, & eximium Card. Bona cap.* XVI *lib.* II. *Rer. Liturg. atque inferius poſitum noſtrum* Miſſale Gothicum.

Digitized by Google

guine redemiſti, diabolica non ſinas incurſione lacerari. Per.

Benedic Domine hanc familiam tuam in cæleſtibus, & reple eam donis tuis ſpiritalibus; concede eis charitatem, gaudium, pacem, patientiam, bonitatem, manſuetudinem, ſpem, fidem, continentiam; & repleti omnibus caſtitatem donis tuis deſiderantes, ad te pervenire mereantur. Per Dominum noſtrum.

Benedicat vos Deus omni benedictione cæleſti, ſanctoſque puros efficiat in conſpectu ſuo; ſuperabundent in vos divitiæ gloriæ ejus; verbo veritatis inſtruat; & Euangelio ſalutis erudiat; omniumque Sanctorum charitate locupletet. Per.

Plebis[1] tuæ, quæſumus, Domine ad te ſemper corda converte; & quam tantis facis patrociniis adjuvari, perpetuis non deſinas gubernare præſidiis. Per.

Propitiare populo tuo Deus, ut a ſuis pravitatibus liberatus, & toto tibi corde deſerviat, & ſub tua ſemper protectione conſiſtat. Per.

Tuere, quæſumus, Domine familiam tuam; & ſpiritalibus inſtrue diſciplinis. Per Dominum noſtrum.

Familia tua, Deus, & ad celebranda principia ſuæ redemptionis deſideranter occurrat, & ejus dona perſeveranter adquirat. Per.

Fideles tuos Domine, quæſumus, corpore pariter & mente purifica, ut tua inſpiratione compuncti, noxias delectationes vitare prævaleant; atque, ut earum non capiantur inlecebris, tua ſemper ſuavitate paſcantur. Per.

Propitiare Domine populo tuo, & ab omnibus abſolve peccatis, ut quod noſtris offenſionibus promeremur, tua indulgentia repellatur. Per.

Adeſto Domine ſupplicibus tuis, & nihil de ſua conſcientia præſumentibus, ineffabili miſeratione ſuccurre; ut quod non habet fiducia meritorum, tua conſecret largitas invicta donorum. Per Dominum noſtrum.

Da, quæſumus, Domine populo tuo & mentem qua tibi devotus exiſtat, & intellectum quo juſta depoſcat, & propitiationem tuam, qua pie deſiderantibus quæ ſint profutura proficiat. Per.

Plebem nomini tuo ſubditam Domine propitius intuere; eique conſolationes tuas jugiter per cæleſtem gratiam dignanter operare. Per.

Familiam tuam Domine pervigili protectione conſerva, & perpetuis defende præſidiis; ut, omni ſemper inordinatione ſecluſa, tua jugiter providentia dirigatur. Per.

Reſpice Domine propitius plebem tuam, & toto tibi corde ſubjectam præſidiis invictæ pietatis attolle. Per.

XCII. ORAT. COTIDIANIS diebus[2] ad Miſſas.

PErpetua, quæſumus, Domine pace cuſtodi, quos in te ſperare donaſti. Per Dominum noſtrum.

Adeſto nobis miſericors Deus, & tuæ pietatis in nobis propitius dona concede. Per.

SE-

(1) *Mſ. Plebi tuæ.*

(2) *Exiſtimo intelligendum eſſe quotidianis diebus per hebdomadam: ſex ſunt totidem hebdomadæ diebus convenientes. Extant eadem Miſſæ & apud Pam. in Cod. Grimoldi Abbatis, & in Mſ. Codicibus O. & R.*

SECRETA.

Munera Domine tibi dicata, quæſumus, ſanctifica, & per eadem nos placatus intende. Per. [a]

Myſteria ſancta nos, Domine, & ſpiritalibus expleant alimentis, & corporalibus tueantur auxiliis. Per.

XGIII. ITEM ALIA MISSA.

EXaudi nos miſerator & miſericors Deus, & continentiæ ſalutaris propitius nobis dona concede. Per.

Plebis tuæ Deus ad te corda converte, ut tuo munere talis exiſtat, cui tu perpetua beneficia largiaris. Per.

SECRETA.

Myſtica nobis, Domine, proſit oblatio, quæ nos & a reatibus noſtris expediat, & perpetua ſalvatione confirmet. Per Dominum.

POST COMMVNIONEM.

Sancta tua nos, Domine quæſumus & a peccatis exuant [1], & a cæleſtis vitæ vigore confirment. Per.

XX. ITEM ALIA Miſſa.

QVæſumus, omnipotens Deus, ut plebs tua toto tibi corde deſerviens, & beneficia tua jugiter mereatur & pacem. Per.

Miſerere noſtri Deus, & tuæ nobis pietatis effectus potenti bonitate largire. Per.

SECRETA.

Suſcipe Domine, quæſumus, hoſtiam redemptionis humanæ, & ſalutem nobis mentis & corporis operare placatus. Per.

POST COMMVNIONEM.

Tui nobis, Domine, communio Sacramenti & purificationem conferat, & tribuat unitatem. Per.

XXI. ITEM ALIA Miſſa.

REge noſtras Domine propitius voluntates, ut nec propriis iniquitatibus implicentur, nec ſubdantur alienis. Per.

Da famulis tuis Deus indulgentiam peccatorum, conſolationem vitæ, gubernationemque perpetuam; qua tibi fideliter ſervientes, ad tuam jugiter miſericordiam pervenire mereantur. Per.

SECRETA.

Tua Sacramenta nos, Deus, circumtegant, & reforment, ſimulque nobis temporale remedium conferant & æternum. Per.

POST COMMVN.

Tua ſancta nobis, omnipotens Deus, quæ ſumpſimus & indulgentiam præbeant, & auxilium perpetuæ defenſionis impendant. Per Dominum.

Z 2 XXII.

a. POST COMMVN.

(1) O., *P.*, R. & cæleſtis vitæ, *expuncta præpoſitione* a, *qua porro ſuperabundare videtur*,

XXII. ITEM ALIA Miſſa.

COmprime Domine, quæſumus, noxios ſemper incurſus, & ſalutarem temporibus noſtris propitius da quietem. Per.

Tu Domine ſemper a nobis omnem remove pravitatem, & ad tuam nos propitius converte juſtitiam. Per.

SECRETA.

In tuo conſpectu Domine, quæſumus, [1] talia noſtra munera efficiant, quæ & [a] placare te valeant, & nos tibi placere perficiant. [b]

POST COMMUNIONEM.

Tua nobis, Domine, medicinalis operatio, & a noſtris perverſitatibus clementer expediat, & ad ea quæ ſunt recta, perducat. Per.

XXIII. ITEM ALIA Miſſa.

AB omnibus nos defende, quæſumus, Domine ſemper adverſis, & continuis tuere præſidiis. Per.

Conſerva populum tuum Deus, & tuo nomini fac devotum; ut divinis [2] ſubjectus officiis & temporalis viriliter & æternæ [3] donæ perficiat. Per.

SECRETA.

Hæc nos oblatio, Deus, mundet & renovet, gubernet & protegat. Per.

POST COMMUN.

Cæleſtibus, Domine, paſti deliciis quæſumus, ut ſemper [c] eadem, quo veraciter vivemus, adpetamus. Per.

Adſit, Domine, fidelibus tuis ſacræ benedictionis effectus, qui mentes omnium ſpiritali vegetatione diſponat, ut pro opera pietatis tuæ muneribus impleantur. Per.

XXIIII. ORAT. ad Proficiſcendum in itinere. [4]

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famuli tui *Illius* in ſalutis tuæ proſperitate diſpone; ut inter omnes [5] vitæ hujus varietates tuo ſemper protegatur auxilio. Per.

Deus, qui diligentibus te, miſericordiam tuam ſemper impendis, & a ſervientibus tibi in nulla es regione longinquus; dirige viam famuli tui *Illius* in voluntate tua, ut te protectore, & te perduci, per juſtitiæ ſemitas ſine offenſione gradiatur. Per.

Exaudi Domine preces noſtras; & profectioni famuli tui *Illius* miſericordiam tuam, qui ſemper es ubique prætende, ut ab omnibus adverſitatibus tua opitulatione defenſus, juſtorum deſideriorum potiatur effectibus. Per.

SECRETA.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & has oblationes, quas tibi offerimus pro famulo tuo *Illo* benignus

a. Placare. *leg.* placere. *b*. Per.
c. *Eadem, quo*. In Miſſali Romano. *eadem, per quæ*.

(1) *Iidem Codices*, talia noſtra ſint munera, quæ & placare &c.
(2) *Mſ.* Subjecti. (3) *Sic in Mſ.*
(4) *In noſtris Gregorianis inſcriptio illa ita ſe habet*: Miſſa pro iter agentibus.
(5) *Gregor. eadem exempla*, via & vitæ.

Digitized by Google

nignus adſume;[1] ut viam illius & præcedente gratia tua, dirigas, & ſubſequente, comitari digneris; ut de actu atque incolumitate [2] ſecundum miſericordiæ tuæ præſidia gaudeamus. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem Domine famuli tui *Illius*, quam tibi offert ob deſiderium animæ ſuæ, commendans tibi Deo iter ſuum, placatus ſuſcipias deprecamur: cui tu Domine Angelum pacis mittere digneris Angelum tuum ſanctum; ſicut miſiſti famulo tuo Tobiæ Raphael Angelum, qui eum ſalvum atque incolumem perducat uſque ad loca deſtinata: iterato tempore opportuno, omnibus rite perfectis, reduci eum faciat in tua ſancta Eccleſia; & lætus tibi & nomini tuo gratias referat. Per.

ITEM INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem Domine famuli tui *Illius*, quam tibi offert pro ſalute famuli tui *Illius*, placatus ſuſcipias deprecamur. Pro quo Majeſtati tuæ fundimus preces; ut cum confirmata pacis fœdera, cum omni gaudio ad nos quantotius facias remeare. Per. Quam obl.

POST COMMUN.

Deus infinitæ miſericordiæ, & majeſtatis immenſæ, quem nec ſpatia locorum, nec intervalla temporum ab his quos tueris, [3] abjungunt; adeſto famulis tuis in te ubique fidentibus, & per omnem, quam [4] acturi ſunt, viam, dux eis & comes eſſe dignare: nihil illis adverſitatis noceat, nihil difficultatis obſiſtat; cuncta eis ſalubria, cuncta ſint proſpera; [5] ut ſub ope dexteræ tuæ, quidquid juſto [6] expetierunt deſiderio, celeri conſequantur effectu. Per.

ITEM ALIA.

Deus qui ad vitam ducis, & confitentes in te paterna protectione cuſtodis, quæſumus, ut præſenti famulo tuo a nobis egredienti Angelicum tribuas comitatum: ut ejus auxilio protectus, nulla mali concutiatur formidine, nullo comprematur adverſitatis angore: [a] nullis inruentis inimici moleſtetur inſidiis; ſed ſpatiis neceſſarii itineris proſpero greſſu peractis, propriiſque locis feliciter reſtitutus, univerſos reperiat ſoſpites, ac debitas exolvat tuo nomini grates. Per.

XXV. ITEM ORATIONES ad iter agentibus.

Deus veræ beatitudinis auctor atque largitor, dirige nos in eam, quam immaculati ambulant viam: ut teſtimonia legis tuæ piis cordibus exquirentes, perſeveremus & diligere, quod præcipiunt, & deſiderare, quo ducunt. Per.

Deus, qui Sanctorum tuorum dirigis greſſus, a nobis iniquitatis viam, & noſtri tua lege miſerere, ut non obliti judicia tua, viam mandatorum dilatato corde curramus. Per.

XXG.

a. Nullis. *leg.* nullus.

(1) *R.* & viam.
(2) ejus *addunt ibi noſtra Greg. exempla*.
(3) *M.* disjungunt. *P.* adjungunt.
(4) *Greg. exemp.* ituri ſunt.
(5) *Eadem exemp.* & ſub ope.
(6) *Eadem rurſus*, expetierint.

XXG. ORAT. PRO Charitate.

DEus, qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe, da cordibus noſtris inviolabilem Charitatis effectum; ut deſideria de tua inſperatione concepta, nulla poſſint tentatione mutari. Per.

Deus, qui [a] juſtitiam tuam eligis, in cordibus credentium digito tuo ſcribis, da nobis Fidei, [b] & Spei, Charitatiſque augmentum; & ut mereamur adſequi, quod promittis, fac nos amare, quod [c] præcepiſti. Per.

SECRETA.

Deus, qui nos ad imaginem [d] tuam Sacramentis renovas & præceptis, perfice greſſus noſtros in ſemitis tuis; ut Charitatis donum, quod feciſti a nobis ſperari, per hæc quæ offerimus facias ſacrificia adprehendi. Per.

POST COMMUN.

Libera nos Domine ab omni malo, propitiuſque concede, ut quæ nobis poſcimus relaxari, ipſi quoque proximis remittamus. Per.

XXGI. ITEM ALIA Miſſa.

DEus largitor pacis, & amator Charitatis, da ſervis tuis veram cum tua voluntate concordiam; ut ab omnibus, quæ nos pulſant, tentationibus liberemur. [e] Per Dominum noſtrum.

Deus, qui cum omnes creaturas diligens feceris, in eam indulgentiam hominem, ut etiam illum ab impietatibus [f] redimeres, condidiſti; da ſervis tuis hunc Charitatis affectum, ut bona pro malis rependere tuo incitentur exemplo. Per.

SECRETA.

His Domine ſacrificiis, quæſumus, concede placatus, ut qui propriis oramus abſolvi delictis, non gravemur externis. Per.

POST COMMUNIONEM.

Spiritum nobis Domine tuæ Charitatis infunde, ut quos uno cæleſti Pane ſatiaſti, una facias pietate concordes. Per.

AD POPULUM.

Da Eccleſiæ tuæ Domine, non ſuperbe ſapere, [g] tibi placita humilitate proficere, ut proterva deſpiciens, & matura quæque deſiderans exerceat libera Charitate. Per.

Confirma Domine, quæſumus, tuorum corda fidelium, & gratiæ tuæ virtute conrobora; ut & in tua ſint ſupplicatione devoti, & mutua dilectione ſinceri. Per.

XXGII.

a. *Juſtitiam tuam eligis*. apud Pamelium, *juſtitiam tuæ legis.*
b. *Et ſpei charitatiſque*. apud Pamelium, *ſpei & charitatis*.
c. *Præcepiſti*. apud Pamelium, *præcipis*.
d. Tuam. *leg.* tuam tuam; e. Per Dominum N. *leg.* Per.
f. *Redimeres*. Ita correximus quia perperam in exemplari legitur, *redemeris*.
g. *Tibi*. In Miſſali Rom. *ſed tibi*.

XXGII. ORAT.
in Tribulatione.

INeffabilem miſericordiam tuam Domine nobis clementer oſtende, ut ſimul nos & a peccatis exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, eripias. Per.

Parce Domine parce peccantibus; & ut ad propitiationem tuam poſſimus accedere,[1] ſpm nobis tribue corrigendi. Per.

SECRETA.

Quæſumus, Domine noſtris placare muneribus, quo tu eadem tribuis, ut placeris. Per.

POST COMMVNIONEM.

Sumpti Sacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat, & noxia ſemper a nobis cuncta depellat. Per.

XXGIII. ITEM ALIA Miſſa.

ADeſto Domine fidelibus tuis, & quibus ſupplicandi[2] tribuis miſeratus affectum, concede benigniſſime conſolationis auxilium. Per.

Da nobis, quæſumus, Domine de tribulatione lætitiam; ut qui diu pro noſtris peccatis affiximur, intervenientibus Sanctis tuis, celerius in tua miſericordia reſpiremus. Per.

SECRETA.

Suſcipe, quæſumus, Domine preces populi tui cum oblationibus hoſtiarum; & tua myſteria celebrantes ab omnibus defende periculis. Per.

POST COMMVNIONEM.

Vivificet nos, Domine, ſacra participationis infuſio, & perpetua protectione defendat. Per Dominum noſtrum.

XXX. ITEM ALIA Miſſa.

PArce Domine, parce peccatis noſtris; & quamvis inceſſabiliter delinquentibus continua pœna debeatur, præſta quæſumus, ut quod ad perpetuum meremur exitium, tranſeat ad correptionis auxilium. Per.

Memor eſto Domine fragilitatis humanæ; & qui juſte verberas peccatores, parce propitiatus afflictis. Per.

SECRETA.

Propitiare Domine, populi tui propitiatus muneribus; ut hac oblatione placatus, & indulgentiam nobis tribuas, & poſtulata concedas. Per.

POST COMMVNIONEM

Vitia cordis humani hæc, Domine quæſumus, medicina compeſcat, quæ mortalitatis noſtræ venit curare languores. Per Dominum noſtrum.

XXXI. ITEM ALIA Miſſa.

DOmine Deus, qui ad hoc iraſceris, ut ſubvenias; ad hoc minaris, ut parcas; lapſis manum porrige, & laborantibus multiplici miſeratione

(1) *Intellige illic* Spiritum; *ita compendiariam ejus loci notam interpretatur noſter Thomaſ. in Orationali, tom.11, pag.540, col.2.*

(2) *Mſ.* tribues.

tione ſuccurre; & qui per te redempti ſunt, ad ſpem vitæ æternæ tua moderatione ſerventur. Per.

Adeſto Domine invocationibus noſtris, & non ſit a nobis clementiæ tuæ longinqua miſericordia: ſana vulnera, remitte peccata, ut nullis iniquitatibus a te ſeparati, tibi ſemper adhærere poſſimus. Per.

SECRETA.

Sacrificia, Domine, tibi cum Eccleſiæ precibus immolanda, quæſumus, corda noſtra purificent, & indulgentiæ tuæ nobis dona concilient, & de adverſis proſpera ſentire perficiant. Per.

POST COMMVNION.

Cæleſtis doni benedictione percepta, ſupplices te, Deus omnipotens deprecamur, ut hoc idem & Sacramenti cauſa ſit nobis & ſalutis. Per.

XXXII. ITEM ALIA Miſſa.

OMnipotens & miſericors Deus, qui peccantium non vis animas perire ſed culpas, contine, quam meremur, iram; &, quam precamur, effunde clementiam, ut mœrore in gaudium per tuam miſericordiam transferamus. Per.

Deus refugium pauperum, ſpes humilium, ſaluſque miſerorum, ſupplicationes populi tui clementer exaudi; ut quos juſtitia verberum fecit afflictos, abundantia remediorum faciat conſolatos. Per.

SECRETA.

Suſcipe Domine propitiatus hoſtias, quibus & te [a] placare voluiſti, & nobis ſalutem potenti pietate reſtitui. Per.

POST COMMVNION.

Quos munere Domine cæleſti reficis, divino tuere præſidio; ut tuis myſteriis perfruentes, nullis ſubdamur adverſis. Per.

XXXIII. ITEM ALIA Miſſa.

DEus, qui offenſionibus ſervorum tuorum & juſte iraſceris, & clementer ignoſcis, præſta ſupplicibus indulgentiam peccatorum; ut reparato ſtatu tibi ſubditæ libertatis, & correptio ab iniquitate, & ceſſatio fiat a verbere. Per.

Parce Domine, parce ſupplicibus: da propitiationis auxilium, qui præſtas etiam per ipſa flagella remedium: nec hæc tua correptio, Domine, ſit negligentibus major cauſa pœnarum, ſed fiat eruditio paterna correptis. Per.

SECRETA.

Oblationibus Domine, placare ſuſceptis; & ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Per.

POST COMMVNIONEM.

Sit nobis, quæſumus Domine, medicina [1] mentes & corporibus; quod de ſancti Altaris tui benedictione percipimus; ut nullis adverſitatibus perfruamur,

a. *Placare*. Apud Menardum, *placari*.

(1) *Lege* mentis, *vel* mentibus, *ut ſibi oratio conſtet*.

Digitized by Google

fruamur, qui tanti remedii participatione munimur. Per.

XXXIIII. ITEM ALIA Miſſa.

DEus infinitæ miſericordiæ, & bonitatis immenſæ, propitiare iniquitatibus noſtris; & omnibus animarum noſtrarum medere languoribus, ut miſerationum remiſſione percepta, ſemper in tua benedictione lætemur. Per.

SECRETA.

Tuere nos Domine divinis propitius Sacramentis; & ut his congrue famulemur, eorum præſta potenter effectum. Per.

POST COMMVNIONEM.

Muniat, quæſumus Domine, fideles tuos ſumpta vivificatio Sacramenti; & a vitiis omnibus expeditos, in ſancta faciat [1] devotione currentes. Per.

XXXV. ITEM ALIA Miſſa.

DEus, ſub cujus oculis omne [a] contrepidat, & omnes conſcientiæ paveſcunt, propitiare [b] omnium gemituum, & cunctorum medere vulneribus; ut ſicut nemo noſtrum liber a culpa eſt, ita nemo ſit alienus a venia. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui timore ſentiris, dilectione coleris, confeſſione placaris, miſericordiam tuam effunde ſupplicibus; ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium tuum, ſed indulgentiam ſentiamus. Per.

SECRETA.

Sacrificia nos, Domine, celebranda purificent, & cæleſtibus imbuant inſtitutis. Per.

POST COMMVNIONEM.

Præſta Domine, quæſumus, ut terrenis [2] affectibus [c] expiati, ad ſuperni plenitudinem Sacramenti, cujus libavimus ſancta, tendamus. Per.

XXXG. ITEM ALIA Miſſa.

DEus humilium conſolator, & fidelium fortitudo, propitius eſto ſupplicibus; [3] ut humana fragilitas, quæ per ſe proclivis eſt ad labendum, per te ſemper muniatur ad ſtandum; & quæ per ſe prona eſt ad offenſam, per te ſemper reparetur ad veniam. Per.

Suſcipe miſericors Domine ſupplicum preces; & ſecundum multitudinem indulgentiarum tuarum ab omnibus nos abſolve peccatis: ut ad omnia pietatis opera, te parcente, reparemur; & quos venia feceris innocentes, auxilio facias efficaces. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

a. *Contrepidat*. apud Menardum, *cor trepidat*.
b. *Omnium gemituum*. apud Menardum, *omnium doloribus gementium*.
c. Expiati. *leg.* expiatis.

(1) *M.* faciat eſſe. (2) *P.* effectibus. (3) *M.* & da ut.

SECRETA.

Hæc Hoſtia, Domine quæſumus, & ab occultis Eccleſiam tuam reatibus ſemper expediat, & manifeſtis convenienter expurget. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

POST COMMVNIONEM.

Purificent nos, Domine, Sacramenta, quæ ſumpſimus, & a cunctis efficiant vitiis abſolutos. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

XXXVII. ITEM ALIA Miſſa.

SI iniquitates noſtras obſervaveris Domine, quis ſuſtinebit? precamur ergo clementiam tuam, ut ubi nulla fiducia ſuppetit actionum, gratia tua copioſa reſplendeat; & cum delicta remittit indignis, & cum beneficia præſtat immeritis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Miſericors & miſerator Domine, [a] æqui nos parcendo ſuſtentas, & ignoſcendo ſanctificas, da veniam peccatis noſtris: & Sacramentis cæleſtibus ſervientes ab omni culpa liberos eſſe concede. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

SECRETA

Hoſtias tibi Domine placationis offerimus; ut & delicta noſtra miſeratus abſolvas, & nutantia corda tu dirigas. Per Dominum noſtrum Jeſum.

POST COMMVNIONEM.

Supplices te rogamus, [1] Deus, ut quos tuis reficis Sacramentis, [b] & tibi placitis moribus dignanter informes. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

ORAT. IN NATL. PRESBYTERI [2] qualiter ſibi Miſſ. debeat celebrare.

DEus, cujus arbitrio omnium ſæculorum ordo decurrit, reſpice propitius ad me famulum tuum, quem ad ordinem Presbyterii promovere dignatus es; & ut tibi mea ſervitus placeat, tua in me miſericorditer dona conſerva. Per.

Domine Deus noſter verax promiſſor, propitiare operi tuo, & mihi famulo tuo ſervienti tibi tribuas perſeverantem in tua voluntate famulatum; ut diebus noſtris ut merito & numero populus tibi ſerviens augeatur. Per.

SVPER OBL.

Perfice Domine, quæſumus, benignus in nobis, ut quæ ſacris myſteriis profitemur, piis actionibus exequamur. Per.

[3] Hanc igitur oblationem Domine ſervitutis meæ, quam tibi offero ego famulus tuus & Sacerdos pro eo quod me eligere dignatus es in ordinem Presbyterii; ut Sacrificiis tuis ac divinis Altaribus deſervirem: pro hoc reddo

a. *Æqui nos*. apud Menardum, *qui nos*.
b. *Et tibi*. apud Menardum, *tibi*.

(1) *M.* omnipotens Deus.
(2) *Scilicet in anniverſario die Ordinationis; vel etiam quoties libuerit ſingularis illius beneficii memoriam recolere, & gratum Deo Sacrificium reddere. In Gregorianis exemplis hoc Miſſa Officium inſcribitur,* Miſſa ſpecialis Sacerdotis. (3) *Oratio illa inſcribi debet:* Infra, *vel* Intra Actionem, *quod hoic veterem Librarium omiſiſſe conſtat.*

reddo tibi vota mea Deo vero & vivo, majeſtatem tuam ſuppliciter implorans; ut opera manuum tuarum in me ipſo cuſtodias, & idoneum me [a] pro omnia miniſtrum tuæ voluntatis efficias. Per.

POST COMMUN.

Munerum tuorum, Domine, [b] largitate ſumentes, ſupplices deprecamur, ut quibus donaſti hujus Miniſterii ſervitutem, exequendi gratiæ tuæ tribuas facultatem. Per Dominum.

XXXVIII. ORAT. TEMPORE (quod abſit) mortalitatis.

DEus, qui non mortem ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, populum tuum, quæſumus, ad te converte propitius; ut dum tibi devotus extiterit, iracundiæ flagella amoveas. Per.

Populum tuum, quæſumus omnipotens Deus ab ira tua ad te confugientem paterna recipe pietate; ut qui tuæ majeſtatis flagella formidant, de tua mereantur venia gratulari. Per.

SECRETA.

Subveniat nobis, Domine quæſumus, ſacrificii præſentis operatio; quæ nos & ab erroribus univerſis potenter abſolvat, & a totius eripiat perditionis incurſu. Per.

POST COMMUNIONEM.

[c] Tui nos, Domine quæſumus, tua ſancta ſumentes, & ab omni propitius iniquitate defende. Per.

XXXVIIII. ITEM ALIA Miſſa.

ECcleſiæ tuæ, quæſumus, omnipotens Deus placatus intende conventum; & miſericordia tua nos potius, quam ira præveniat: quia ſi iniquitates noſtras obſervare volueris, nulla poterit creatura ſubſiſtere: ſed admirabili pietate, qua nos feciſti, ignoſce peccantibus, ut opera manuum tuarum non facias interire. Per.

Exaudi Domine preces noſtras, & ne velis cum ſervis tuis adire judicium; quia ſicut in nobis nulla juſtitia reperitur, de qua præſumere valeamus; ita te fontem pietatis agnoſcimus, a quo & a peccatis noſtris nos [1] ablui; & a neceſſitatibus liberari confidimus. Per.

SECRETA.

Per hæc, quæſumus, veniat Domine Sacramenta noſtræ redemptionis effectus, qui nos & ab humanis retrahat ſemper exceſſibus, & ad ſalutaria cuncta perducat. Per.

POST COMMUNIONEM.

Hujus operatio nos, Domine, Sacramenti, quæſumus, purificet ſemper & muniat. Per.

 XL.

a. *Pro omnia*. apud Pamelium, *per omnia*.
b. *Largitate*. apud Pamelium, *largitatem*.
c. *Tui nos*. apud Menardum, *Tuere nos*.

(1) *Apud Menard.* abſolvi.

XL. ITEM ALIA Miſſa.

DEus, cujus miſericordia cæleſtium quoque virtutum indigent poteſtates, & in cujus conſpectu nullus eſt hominum abſque ſorde & pœna peccati: delicta populi tui, quæſumus, averte propitiatus, ut quos propriæ conſcientiæ reatus accuſat, bonitatis tuæ patientia faciat veniam promereri. Per Dominum noſtrum.

Deus, cujus tanta eſt excellentia pietatis, ut uno peccatore converſo, maximum gaudium facias in cælis [1] habere: reſpice in exigua populi portione, ut, omni vexatione depulſa, hæreditas tua in numero augeatur, & devotione [2] perficiat. Per.

SECRETA.

Protegat nos, Domine quæſumus, hoſtia ſalutaris: & quæ ad honorem tui nominis immolatur, nobis proſit ad veniam. Per.

POST COMMVNIONEM.

Sancta tua nos, Domine, ſumpta vivificent, & miſericordiæ ſempiternæ præparent expiatos. Per Dominum noſtrum.

XLI. ITEM ALIA Miſſa.

EXaudi Domine, quæſumus, populum tuum de tua miſericordia malorum ſuorum veniam ſupplicantem: & quia potens es peccata dimittere, ſupplicia, quæ noſtris meremur operibus, potentia tuæ pietatis averte. Per.

Iram tuam, quæſumus, Domine a populo tuo miſeratus averte, quam noſtris quidem meremur operibus, ſed humana fragilitate ſuſtinere non poſſumus: illa nos itaque contine pietate, quam præſtare ſoles indignis. Per.

SECRETA.

Concede nobis Domine, quæſumus, ut hæc hoſtia ſalutaris & noſtrorum fiat purgatio delictorum, & tuæ propitiatio poteſtatis. Per.

POST COMMVN.

Plebem nomini tuo ſubditam Domine propitius intuere; eique tuas conſolationes jugiter per cæleſtem gratiam dignanter operare. Per.

XLII. ORAT. pro Mortalitate animalium.

DEus, qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus ſolatia ſubrogaſti, ſupplices te rogamus; ut ſine quibus non alitur humana conditio, noſtris facias uſibus non perire. Per Dominum.

Deus, qui humanæ fragilitati neceſſaria providiſti, miſericors, adminicula jumentorum, quæſumus eadem, miſeris conſulendo, non ſubtrahas: & quorum noſtris meritis ſævit interitus, tua, nobis parcendo, clementia ceſſare jubeas vaſtitatem. Per.

SE-

(1) *Rectius M.* haberi.

(2) *Idem M.* proficiat.

SECRETA.

Sacrificiis Domine placatus oblatis, opem tuam noſtris temporibus clementer impende. Per.

POST COMMVN.

Benedictionem tuam Domine populus fidelis accipiat; qua corpore ſalvatus ac mente, & congruam tibi ſemper exhibeat ſervitutem, & propitiationis tuæ beneficia ſemper inveniat. Per.

Averte Domine, quæſumus, a fidelibus tuis cunctis miſeratus errores; & ſævientium morborum depelle perniciem, ut quos merito flagellas devios, foveas tua miſeratione correctos. Per.

XLIII. ORAT. de Sterilitate.

SEmpiternæ pietatis tuæ abundantiam, Domine, ſupplices imploramus; ut nos beneficiis, quibus non meremur, anticipans, benefacere cognoſcaris indignis. Per.

Da nobis, quæſumus, Domine piæ ſupplicationis effectum, & peſtilentiam famemque propitiatus averte: ut mortalium corda cognoſcant & te indignante, talia flagella producere, & te miſerante ceſſare. Per.

SECRETA.

Deus, qui humani generis utramque ſubſtantiam præſentium munerum &[1] alimento vegetas, & renovas Sacramento; tribue, quæſumus, ut eorum & corporibus noſtris ſubſidium non deſit & mentibus. Per.

POST COMMVN.

Guberna, quæſumus, Domine temporalibus adjumentis, quos dignaris æternis informare myſteriis. Per Dominum noſtrum.

XLIIII. ORAT. AD PLVVIAM poſtulandam.

DEus, in quo vivimus, movemur, & ſumus, pluviam nobis tribue congruentem; ut præſentibus ſubſidiis ſufficienter adjuti, ſempiterna fiducialius appetamus. Per.

Terram tuam Domine, quam[2] videmus noſtris iniquitatibus tabeſcentem, cæleſtibus aquis infunde, atque inriga beneficiis gratiæ ſempiternæ. Per.

Delicta[3] Domine, quæſumus, miſeratus abſolve; & aquarum ſubſidia præbe cæleſtium, quibus terrena conditio vegetata ſubſiſtat. Per Dominum noſtrum.

SECRETA.

Oblatis Domine placare muneribus, & opportunum tribue nobis pluviæ ſufficientis auxilium. Per.

POST COMMVN.

Tuere nos Domine, quæſumus, tua ſancta ſumentes, & ab omnibus propitius abſolve peccatis. Per.

XLV.

(1) *Mſ.* alimentum.
(2) *P.* vidimus.
(3) *M*, *P*. Delicta fragilitatis noſtræ, Domine, quæſumus, miſeratus &c.

XLV. ITEM ALIA Miſſa.

OMnipotens ſempiterne Deus, cujus munere elementa omnia recreantur, reminiſcere miſerationum tuarum: & ſalutiferos imbres humano generi concede propitius, quatenus fœcunditatis tuæ alimoniis omnis terra lætetur. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, petimus divinam clementiam tuam, ut faciem totius terræ [1] largioribus ymbribus inrigare digneris; aureſque ſalubres tribuas, atque ægris reſtituas priſtinam ſanitatem: & animæ, quæ promiſſiones tuas ſitiunt, de tua ſemper charitate abundantia repleantur. Per.

Deus, qui ad mutandam aeris qualitatem operis cælum nubibus, & paras terræ pluviam, aperi fontem benignitatis tuæ: & terram ſqualidam & ariditatem pulveream læto imbre fœcunda; ut recipiſſe nos veniam peccatorum, ceſſante jam correptione, lætemur. Per.

SECRETA.

Placare Domine muneribus ſemper acceptis, & [2] diuturna [a] tempora diffuſis nubibus ſiccitatem. Per.

POST COMMUN.

Precibus populi tui Domine, quæſumus, placatus adſpira; ut veniam tribuas humanis exceſſibus, & opem miſeris benignus [b] impende. Per Dominum noſtrum.

Da nobis Domine, quæſumus, pluviam ſalutarem, & aridam terræ faciem fluentis cæleſtibus dignanter infunde. Per.

XLVI. ORAT. ad Poſcendam ſerenitatem.

AD te nos Domine clamantes exaudi, & aeris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus; ut qui pro peccatis noſtris juſte adſligimur, miſericordia tua præveniente, clementiam ſentiamus. Per.

Deus, qui fidelium precibus flecteris, & humilium confeſſione placaris, converſis ad te propitiare ſupplicibus: & quos feciſti iram intelligere [3] caſtigantes, fac miſericordiam ſentire parcentis. Per.

Deus, qui omnium rerum tibi ſervientium [c] natura per ipſos [d] modos aeris ad cultum tuæ majeſtatis inſtituis, tranquillitatem nobis miſericordiæ tuæ, remotis largire terroribus; ut cujus iram expavimus, clementiam ſentiamus. Per.

SECRETA.

Præveniat nos, quæſumus Domine, gratia tua ſemper & ſubſequatur: & has oblationes, quas pro peccatis noſtris nomini tuo conſecrandas [e] deſeremus, benignus adſume; ut per inter-

a. *Tempora*. apud Menardum, *tempera*.
b. *Impende*. apud Menardum, *impendas*.
c. *Naturá*. apud Menardum, *naturam*.
d. *Modos*. apud Menardum, *motus*.
e. *Deferemus*. apud Menardum, *deferimus*.

(1) *Mſ.* Largiuris. (2) *M.* & diuturnam. (3) *Lege*, caſtigantis.

terceſſionem Sanctorum tuorum cunctis nobis [a] perficiant ad ſalutem. Per.

POST COMMVN.

Plebs tua, Domine, capiat ſacræ benedictionis augmentum; & copioſis beneficiorum tuorum ſublevetur auxiliis, quæ tantis interceſſionum deprecationibus adjuvatur. Per.

XLVII. ORAT.
[b] poſt tempeſtatem & fulgura.

Magnificentiam tuam Domine precamur, ſuppliciter implorantes; ut quia nos eminentibus periculis exuiſti, a peccatis quoque benignus abſolvas: ut & beneficia nobis majora concedas, & tuis nos facias parere mandatis. Per.

A domo tua, quæſumus Domine, ſpiritales Nequitiæ pellantur, & [c] aerearum diſcedat malignitas Poteſtatum. Per.

d

Offerimus, Domine, laudes & munera, pro conceſſis beneficiis gratias referentes, & pro concedendis ſemper ſuppliciter deprecantes. Per.

POST COMMVN.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos & caſtigando ſanas, & ignoſcendo conſervas, præſta ſupplicibus tuis: ut & [e] tranquillitatis hujus optatæ [1] conſolationi lætemur; [f] & dona tuæ pietatis ſemper utamur. Per.

XLVIII. ORAT. PRO HIS
[2] qui Agape faciunt.

Oremus dilectiſſimi nobis omnipotenti Deo pro Filio noſtro *Illo*, qui recolens divina mandata de juſtis laboribus ſuis victum indigentibus ſubminiſtrat: quatenus hæc devotio ipſius, ſicut nobis eſt neceſſaria, ita ſit Deo ſemper accepta. Per.

OREMVS.

Sanctum ac venerabilem retributorem bonorum operum Dominum deprecamur pro Filio noſtro *Illo*, qui de ſuis juſtis laboribus victum indigentibus adminiſtrat: ut Dominus cæleſti ſua miſericordia terrenam eleemoſynam compenſet, & ſpiritales divitias largiatur: tribuat ei magna pro parvis, pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus ſempiterna. Per.

XLVIIII.

a. Perficiant. *leg*. proficiant.
b. *Poſt tempeſtatem*. apud Menardum, *ad repellendam tempeſtatem*.
c. Aerearum. *leg*. aeriarum. *d*. SECRETA.
e. *Tranquillitatis*. apud Pamelium, *tranquillitatibus*.
f. *Dona*. apud Pamelium, *dono*.

(1) P. conſolationis.

(2) qui Agape faciunt, *hoc eſt pauperes conviviis reficiunt & eleemoſynis. Hujus generis eſſe Agapen hoc loco memoratam produnt ipſæ per ſe orationes: illis conſentiunt documenta Patrum atque Conciliorum, de quibus videndus doctus Du-Cangius ad* vocem Agape, eleemoſyna, refectio pauperum &c. *Videatur & Suicerus in voce* Ἀγάπη. *Hi duo Scriptores uti conſtat & veterum de Agape teſtimonia recenſent, & Agapis genera varia diſtinguunt.*

Digitized by Google

XLVIIII. ITEM ORAT. ad Miſſas.[1]

DEus, qui poſt Baptiſmi Sacramentum ſecundum ablutionem peccatorum eleemoſynis indidiſti, reſpice propitius ſuper famulum tuum *Illum*, cujus operibus tibi gratiæ referuntur: fac eum præmio beatum, quem feciſti pietate devotum. Per.

Deus, qui homini ad tuam imaginem facto etiam ſpiritalem alimoniam præparaſti, concede Filio noſtro famulo tuo *Illo*, qui in pauperes tuos tua ſeminat dona, ut verius metat ſuorum operum fructus; & largitatis hodiernæ compenſatio iſtius perpetua conferatur: recipiatque pro parvis magna, pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus ſempiterna.

SECRETA.

Deus, qui tuorum corda fidelium per eleemoſynam dixiſti poſſe mundari, præſta quæſumus; ut hujus conſortiis Sacramenti, ut ad conſcientiæ ſuæ fructum non gravare ſtudeant miſeros ſed juvare. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem Domine famuli tui *Illius*, quam tibi offert ob juſtis eleemoſynis ſuis, quod in pauperes tuos operatur, placatus ſuſcipias deprecamur. Pro quo majeſtati tuæ ſupplices fundimus preces; ut adjicias ei tempora vitæ, ut per multa curricula annorum lætus tibi in pauperes tuos hæc operetur; atque annua tibi vota perſolvat. Per Chriſtum. Quam oblationem.

POST COMMVNIONEM.

Omnipotens ſempiterne Deus reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum *Illum*, qui in pauperes tuos operatur: virtute cuſtodi, poteſtate tuearis, ut per multa curricula annorum lætus tibi in pauperes tuos hæc operetur. Per Dominum noſtrum.

L. MISSA IN MONASTERIO.[2]

OMnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulos tuos ſpiritum gratiæ ſalutaris: & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per.

Fac quæſumus Domine famulos tuos toto ſemper ad te corde concurrere; tibi ſubdita mente ſervire; tuam miſericordiam ſuppliciter implorare; & tuis jugiter beneficiis gratulari. Per.

Famulos tuos, quæſumus, Domine placatus intende: pariterque eos & a peccatis abſolve propitius, & a cunctis eripe benignus adverſis. Per Dominum noſtrum.

SECRETA.

Hoſtias Domine famulorum tuorum placatus intende; & quas in honore nominis tui devota mente celebrant, proficere ſibi ſentiant ad medelam. Per.

Per

a. Per:

(1) *Pro eo ſane celebratas, qui Agape pauperibus alendis paraverat.*

(2) *O, & R.* In Monaſterio Monachorum.

VD Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui dum Confeſſores tuos tanta pietate glorificas, ut nullum apud te ſanctum propoſitum doceas eſſe ſine præmio: quanto magis duriora certamina ſuſtinentes ad tuæ quoque retributionis munus invitas? Et ideo.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem Domine famulorum tuorum, quam tibi offerunt ob devotionem mentis ſuæ, pius ac propitius clementi vultu ſuſcipias: tibique ſupplicantes libens protege, dignanter exaudi, & æterna eos protectione conſerva; ut ſemper in tua religione lætantes, inſtanter in ſanctæ Trinitatis fide Catholica perſeverent: nobis hæc quoque [a] unanimiter & crebre petentibus ipſe præſtabis omnipotens Deus. [b] Per.

POST COMMUNIONEM.

Quos cæleſti recreas munere, perpetuo Domine comitare præſidio: & quos fovere non deſinis, dignos fieri ſempiterna redemptione concede. Per.

LI. ITEM ORAT. Monachorum.

TU famulis tuis, quæſumus, Domine bonos mores placatus inſtitue: tu in eis quod tibi placitum ſit, dignanter infunde; ut & digni ſint, & tua valeant beneficia promereri. Per.

Reſpice, quæſumus, Domine famulos tuos; & in tua miſericordia confidentes, cæleſti protege benignus auxilio. Per.

Da famulis tuis, quæſumus, Domine in tua fide & ſinceritate conſtantiam; ut in charitate divina firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur. Per.

Famulos tuos, quæſumus Domine, tua ſemper gratia benedicat; & inculpabiles ad vitam perducat æternam. Per.

Famulos tuos, quæſumus, Domine benignus intende; & eis dignanter pietatis tuæ impende cuſtodiam. Per.

Famulis tuis, quæſumus, Domine ſperata concede, & ab omnibus eos culpis excuſa. Per.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & famulos tuos aſſidua protectione conſerva: ut qui tibi jugiter famulantur, continua remuneratione ditentur. Per.

LII. INCIPIT ACTIO Nuptialis. [1]

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris; & inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinaſti, benignus adſiſte, ut quod, te auctore,

a. Unanimiter. *leg.* unianimiter.

b. Per. *leg.* Per Chriſtum.

(1) *Ex Codice Remenſi, quem multa Gelaſiani ritus retinere nobis conſtat, edidit & Menardus ad calcem Gregoriani ſui Sacramentarii. Edidit præterea ex hiſce noſtris Sacramentorum libris, & ex Codicibus Remenſi atque Gellonenſi Martenius de antiq. Eccl. Ritibus lib.* 1, *cap.* 1x, *art.* v. Actionem Nuptialem *Menardus not.* 1134 *bene interpretatur* celebritatem Nuptiarum, *quæ juxta veterum morem fit inter Miſſarum ſollemnia: nec verum attingit Du-Cangius, vir cæteroquin doctus, quum ad vocem* Actio, Canon Miſſæ, *Menardum* [illegible] *ob cauſſam notat, quod* Actionem *ſcilicet* Nuptialem *eſſe docuerit Miſſarum ſollemnia, in quibus Nuptiæ benedicuntur, non vero Miſſæ Canonem. Licet enim apud veteres Canon ille non raro* Actio *vocitaretur, uti ſupra vidimus ad pag.* 172, *not.* (1) *nil tamen prohibet, quominus eadem vox alio ſignificatu uſurpata & apud veteres ſit. Sane quæ hæc & in Remenſi, atque Gellonenſi vetuſtiſſimis codicibus inſcribitur* Actio Nuptialis, *Miſſæ Officium eſt.*

Digitized by Google

auctore, jungitur, te auxiliante, ſervetur. [a]

Quæſumus, omnipotens Deus inſtituta providentiæ tuæ pio favore comitare; & quos legitima ſocietate connectis, longæva pace cuſtodi. Per.

SECRETA.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hanc oblationem [1] famularum tuarum *Illarum*, quam tibi offerunt pro famula tua *Illa*, quam ad ſtatum maturitatis & ad diem nuptiarum perducere dignatus es, placidus ac benignus adſume; ut quod tua diſpoſitione expeditur, tua gratia compleatur. Per.

VD Qui fœdera nuptiarum blando concordiæ jugo & inſolubili pacis vinculo nexuiſti; ut multiplicandis adoptionum filiis ſanctorum connubiorum fœcunditas pudica ſerviret. [2] Tua enim, Domine, providentia, tuaque gratia ineffabilibus modis utrumque diſpenſat: ut quod Generatio ad mundi ædidit ornatum, [3] Regeneratio ad Eccleſiæ perducat augmentum.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem [4] famularum tuarum *Illi* & *Illas*, quam tibi offerunt pro famula tua *Illa*, quæſumus, Domine placatus accipias: pro qua majeſtatem tuam ſupplices exoramus: ut ſicut eam ad ætatem nuptiis congruentem pervenire tribuiſti, ſic eam conſortio maritali tuo munere copulatam, deſiderata ſobole gaudere perficias; atque [5] ad optatam ſeriem cum ſuo conjuge provehas benignus annorum: [6] dieſque noſtros.

INFRA ACTIONEM.
Ad [7] Trē. vel Annualem

Nupt.

Hanc igitur oblationem Domine famulorum tuorum *Illi*, & *Illas*, quam tibi offerunt ob diem Trigeſimum conjunctionis ſuæ, *vel* Annualem, quo die eos jugali vinculo ſociare dignatus es, placatus ſuſcipias deprecamur: ob hoc igitur reddunt tibi vota ſua Deo vero & vivo, pro quibus tremendæ pietati tuæ ſupplices fundimus preces: ut pariter bene & pacifici feneſcant, & videant filios filiorum ſuorum uſque in tertiam & quartam progeniem; & te benedicant omnibus diebus vitæ ſuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Quam oblationem tu Deus.

[b] *Percompleis Canonem plenariam: & di-*

a. Per.

b. *Percompleis Canonem plenariam*. apud Menard. *Percomples Canonem plenarium.*

(1) famularum tuarum, *ita apud Menardum; & Martenius habet* famulorum tuorum Ill.

(2) *M.* Tua enim Domine, providentiæ tuæ gratia.

(3) *M.* generatio, *quod tamen ut mendoſum in adnotationibus reprobat vir doctus.*

(4) *M.* famularum tuarum illarum, quæſumus, Domine, placatus &c.

(5) *M.* ad oblatam ſeriem: *quod quum corruptum agnoſcat, vult eſſe legendum* ad lætam. *Sed veterum monumenta virorum interpretationibus præſtare neceſſe eſt.*

(6) *Rurſus vitium occurrit in Menardiano Remenſi Codice: heic enim ſubjicit:* Per Chriſtum Dominum noſtrum. Quam oblationem tu Deus:

(7) *Lege* Ad trigeſimum *diem*, *vel* annualem &c. *& obſerva cum Menardo majorum pietatem, qui trigeſimum & anniverſarium Matrimonii diem celebrabant oblatione Sacrificii incruenti, & ejuſdem ſacri myſterii participatione.*

Digitized by Google

& dicis Orationem Dominicam, [1] *& ſic eam benedicis bis verbis*.

INCIPIT ORATIO.

[2] Deus, qui mundi creſcentis [a] exordio multiplicata prole benedicis, propitiare ſupplicationibus noſtris: & ſuper hanc famulam tuam opem tuæ benedictionis infunde; ut in jugali conſortio affectu compari, mente conſimili, ſanctitate mutua copulentur. Per.

[3] INCIPIT BENEDICTIO.

Pater mundi conditor, naſcentium genitor, multiplicandæ originis inſtitutor; qui Adæ comitem tuis manibus addidiſti, cujus ex oſſibus oſſa creſcentia parem formam admirabili diverſitate ſignarent: hinc ad totius multitudinis incrementum conjugalis thori juſſa conſortia; quo totum inter ſe ſæculum conligarent, humani generis fœdera nexuerunt. Sic enim tibi, Domine, placitum, ſic neceſſarium fuit, [b] ut quia longe eſt & infirmius, quod homine ſimilem quem quod tibi Deo feceras additus fortiore ſexus infirmior: ut unum efficeris ex duobus; & pari pignore ſoboles mixta maneret tunc per ordinem flueret [c] dejeſta poſteritas, & priores ventura ſequerentur: nec ullum ſibi finem in tam brevi termino quamvis eſſent caduca proponerent. Ad hæc igitur [4] datæ ſint leges inſtituta venturæ: quapropter hujus famulæ tuæ [5] pat. rudimenta ſanctifica: ut bono & [6] proſpero ſociata conſortio, legis æternæ [7] juſſa cuſtodiat; memineritque, Domine, non tantum ad licentiam conjugalem, ſed ad obſervantiam fidei [8] Sanctorum pignorum diligatam: [d]* fidelis & caſta nubat in Chriſto, imitatrixque ſanctarum permaneat fœminarum. Sit amabilis, ut Rachel, viro ſuo; ſapiens, ut Rebecca; longæva & fidelis, ut Sarra. Nihil ex hac [9] ſubſitivus ille auctor prævaricationis uſurpet: nexa fidei mandatiſque permaneat fœminarum, ſerviens Deo vero: devota muniat infirmi-

a. Exordio multiplicata prole. Apud Menardum, *exordium multiplicata prole*.

b. Ut quia longe eſt &c. Menardus in obſervationibus ſuis hanc benedictionem ita caſtigandam cenſet, *ut quia longe eſt infirmius quod homini ſimile, quam quod tibi Deo feceras, additur fortior ſexus infirmiori, ut unum efficeres ex duobus*.

c. dejeſta. apud Menard. *egeſta*: apud quem vide caſtigationes hujus orationis mendoſiſſimæ.

d. Vide Capitularia edita a Baluzio Tom II, pag. 115.

(1) *Apud Martene*: & ſic cantas benedictionis orationem his verbis. *Conſtat heinc nuptialem benedictionem fieri conſueviſſe abſoluta ſtatim Oratione Dominica. Veterum Patrum teſtimonia & Eccleſiæ antiquiſſimum ritum matrimonium benedicendi produnt paſſim ſacrarum rerum ſcriptores, & ad præſentem locum Menardus*.

(2) *Notatum prælaudato ſæpe Menardo hanc orationem, licet aliquanto prolixiorem, reperiri in Capitulis Caroli Calvi, ubi ſunt benedictiones nuptiales Judith filiæ Caroli Calvi, & Hermintrudis Reginæ*.

(3) *Loco illius inſcriptionis in Cod. Remenſi legitur*, Item oratio.

(4) *Menardus ita mendoſum locum caſtigat*: data ſunt legis inſtituta venturæ: *ideſt, legis novæ, quæ connubii vincula ad perfectiorem ſtatum adduxit*.

(5) *Men. atque Martene ibi legunt*, Pater.

(6) *Men.* & bene proſpero.

(7) *Idem Men.* jura.

(8) *Men. vult ſibi eſſe legendum*: & ad Sanctorum pignoram educationem diligentem ſe eſſe ligatam.

(9) *Men. & Mart.* ſubdolus ille.

Digitized by Google

firmitatem ſuam robore diſciplinæ uni thoro juncta contactus vitæ illicitos fugiat. Sit verecunda, gravis, pudore venerabilis, doctrinis cæleſtibus erudita: ſit fœcunda in ſobole, ſit probata & innocens: & ad Beatorum requiem uſque ad cæleſtia regna perveniat. Per.

Poſt hæc dicis: Pax vobiſcum. *Et ſic eos communicas. Deinde poſtea quam communicaverint*, *dicis ſuper eos*[1] *Bened. his verbis*.

Domine ſancte Pater omnipotens [2] æterne Deus, iteratis precibus, te ſupplices exoramus pro quibus apud te[3] ſupplicator eſt Chriſtus: [4] conjunctiones famulorum tuorum fovere digneris: benedictiones tuas excipere mereantur; [a] & filiorum ſucceſſibus fœcundentur: nuptias eorum [b] ſicuti primi hominis confirmare dignare. Avertantur ab eis inimici omnes inſidiæ: ut[5] ſanctitatem Patrum etiam in ipſo conjugio imitentur; qui providentia tua, Domine, conjungi meruerunt. Per.

ITEM POST COMMVNIONEM.

Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, ut quod noſtro miniſtratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per.

LIII. ORATIO IN NATALE genuinum.[6]

Omnipotens ſempiterne Deus totius conditor creaturæ, preces noſtras clementer exaudi: & annos famuli tui *Illius*, quem de maternis viſceribus in hac vita[7] prodere juſſiſti, proſperos plurimoſque largire; ut omnem tibi exigat placiturus ætatem. Per Dominum noſtrum.

Deus, qui ſæculorum omnium curſum ac momenta temporum regis, exaudi nos propitius, & concede; ut famuli tui *Illius*, cujus hodie natalem[8] divinæ celebramus conſecratione myſterii, longævam ei largiaris ætatem: quatenus fidei ejus augmento, multiſque annorum curriculis hæc ſolemnitatis devotio perſeveret. Per.

SECRETA.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hanc oblationem famuli tui *Illius*, quam tibi offert ob diem natalis ſui genuinum, quo die cum de maternis viſceribus in hunc mundum naſci juſſiſti, placidus ac benignus adſume. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem Domine famuli

a. & . *leg. ut*. *b.* ſicuti. *leg.* ſicut.

(1) Bened. *benedictionem*.

(2) *Voces* æterne Deus *omittuntur in Cod. Rem. deinde loco* iteratis precibus *habetur*, iteratis ritibus.

(3) *Idem Rem.* ſupplicatus.

(4) *Menardus retur ibi eſſe legendum*, ut conjunctionem: *ſicut & paullo inferius*, ut benedictiones.

(5) *Quum mendoſe ſcriptum invenerit in ſuo Rem. Codice Menardus*, ut ſanctitatem Patrem, *vult eſſe legendum*, ut ſanctitatum Patrem. *At longe melius ex noſtra membrana, charta Remenſis emendatur*:

(6) *Ex ſubſequentibus proxime orationibus liquet* Natale genuinum *diem vocari, quo quis e matris utero eſt in mundi lucem eductus. Obſerva majorum pietatem beneficii a Deo nobis conlati memoriam renovandi, & peculiari Miſſæ officio colendi natalitium diem. Vide Thomaſ. in Orationali Tom.* II. *pag.* 552.

(7) prodire. *Thomaſ. loc. cit.*

(8) *Legendum fortaſſe*, divini.

famuli tui *Illius*, quam tibi offert ob diem natalis ſui celebrans genuinum, quo die cum de maternis viſceribus in hunc mundum naſci juſſiſti ad te cognoſcendum Deum verum & vivum, placatus ſuſcipias deprecamur: ob hoc igitur reddit tibi vota ſua Deo vivo & vero; pro quo majeſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut adjicias ei annos & tempora vitæ: ut per multa curricula annorum lætus tibi hæc ſua vota perſolvat, atque ad optatam perveniat ſenectutem, & te benedicat omnibus diebus vitæ ſuæ. Per.

POST COMMVNIONEM.

Deus vita fidelium, timentium te ſalvator & cuſtos, qui famulum tuum *Illum* ad hanc diem natalis ſui genuini, exemto anno, perducere dignatus es; gratiam in eo vitæ protectoris augmenta, & dies ejus annorum numeroſitate multiplica: ut, te annuente, per felicem provectus ætatem, ad principatum cæleſtium gaudiorum pervenire mereatur. Per.

LIIII. ORAT. AD MISS. pro ſterilitate Mulierum.

DEus, qui emortuam vulvam Sarræ ita per Abrahæ ſemen fœcundare dignatus es, ut ei etiam contra ſpem ſoboles naſceretur; preces famulæ tuæ *Illius* pro ſua ſterilitate deprecantis propitius reſpice: & ei juxta tenorem præcedentium Patrum & fœcunditatem tribuas; & filium, quem donaveris, benedicas. Per.

Deus qui famulum tuum Iſaac pro ſterilitate conjugii ſui te deprecantem exaudire, & conceptum Rebeccæ donare dignatus es; preces famulæ tuæ *Illius* pro percipienda prole benignus exaudi; ut firmamentum ſpei, quod in tua miſericordia poſuit, ea ex [1] percepto munere, quod poſtulat, confirmetur. Per.

Deus qui opprobrium ſterilitatis a Rachel auferens, dum anxietate prolem quæreret, meruit fœcundari, concede propitius; ut famula tua *Illa* in earum fœminarum, quæ tibi placuerunt, ſortem fœcunditatis accipiat; & quod fideliter a tua pietate depoſcit, obtineat. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui continuum etiam poſt futuram ad te precem gemitum Annæ, dum eam fœcundares, in gaudium convertiſti, deſiderium famulæ tuæ *Illius* ut fœcundetur, propitius perfice: & ad laudem [a] gloriæ ab ea opprobrium ſterilitatis benignus averte. Per.

Deus, cujus occulto conſilio ideo Heliſabeth ſterilis uterus extitit, ut quandoque Angelica potius voce fœcundaretur, concede propitius; ut ſicut illa in Judaico populo Præcurſorem [2] Domine, ita famula tua *Illa* in filio, qui ad credulitatem tibi hujus populi pure deſerviat, fœcundetur. Per.

Deus, qui [3] anxietate ſterilium pie reſpiciens, in eis fœcunditatem etiam in ſua deſperatione mirabiliter operaris, concede propitius; ut famula tua *Illa* de percipienda ſobole, quod per ſe

a. Gloriæ ab ea. *leg.* gloriæ tuæ ab ea.

(1) *Mſ.* præcepto.

(2) *Lege* Domini. *Thomaſ. in Orationali Tom.* 1. *pag.* 551.

(3) *Legendum* anxietatem *ut oratio ſibi conſtet: Thomaſ. loco mox citato.*

ſe non valet, ſervi tui Gregorii mereatur precibus obtinere. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui maternum affectum nec in ipſa ſacra ſemper Virgine Maria, quæ Redemptorem noſtrum genuit, denegaſti, concede propitius; ut ejuſdem Dei Genitricis [1] precis famula tua *Illa* eſſe genitrix mereatur. Per.

SECRETA.

Suſcipe Domine preces noſtras cum muneribus hoſtiarum, quas pro famula tua *Illa* clementiæ tuæ ſupplici mente deferimus: ut quia affectum filiorum maxime in matrum viſceribus indidiſti; mœrorem infœcunditatis ab ea ſubmoveas; & ad concipiendam ſobolem miſericorditer benedicas. [a] Per Dominum.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ, quam tibi offerimus pro famula tua *Illa*, quæſumus, Domine, ut placatus ſuſcipias: pro qua majeſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut orationem ejus exaudias; & ejus uterum vinculum ſterilitatis abſolvens, & prolem, in qua nomen tuum benedicatur, concedas: dieſque noſtros.

POST COMMVNIONEM.

Cæleſtis vitæ munus accipientes, quæſumus, omnipotens Deus, quod pro famula tua *Illa* deprecati ſumus, clementer a tua pietate exaudiri mereatur. Per.

LV. BENED. VIDVAE,
quæ fuerit caſtitatem profeſſa.

Conſolare Domine hanc famulam tuam viduitatis languoribus conſtrictam, ſicut conſolare dignatus es Sarapthenam viduam per Heliam Prophetam: concede ei pudicitiæ fructum, ut antiquarum non meminerat voluptatum: neſciat etiam incentiva deſideria, ut ſoli tibi ſubdat propria colla: quo poſſit pro laboribus tantis ſexageſimum gradum percipere munus delectabile ſanctitatis. Per.

LVI. ORAT.
pro Pace.

Deus, a quo ſancta deſideria, [2] & recta ſunt conſilia, & juſta ſunt opera, da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut & corda mandatis tuis dedita, &, hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla. Per.

Deus conditor mundi ſub cujus arbitrio [3] omnium ſæculorum ordo decurrit, adeſto propitius invocationibus noſtris, & tranquillitatem pacis præſentibus concede temporibus: ut in laudibus miſericordiæ tuæ inceſſabili exultatione lætemur. Per.

Deus in te ſperantium fortitudo, conſerva in populis tuis quod es dignatus operare, potentes miſericordiæ tuæ oſtende virtutem; ut qui ſuperba impe-

a. Per Dominum. *leg.* Per.

(1) *Potius legerem* precibus, *vel* prece, *uti habet loco prælaudato Thomaſius.*

(2) *Voculam* & *expungunt eo loci noſtra Gregoriana exemplaria, ut & proxime ſubſequens verbum* ſunt; *quod poſtremum omittit & Thomaſ. noſter loco nuper memorato pag.* 543.

(3) *Vocem* omnium *omittit Menardus; & pro* decurrit *paullo inferius ait* decurritur.

impetimur hoſtium feritate, tua mereamur pace gaudere. Per.

SECRETA.

Deus, qui credentes in te [a] populis nullis ſinis [b] nocere terroribus; dignare [c] precibus & hoſtiis dicatæ tibi plebis ſuſcipere: ut pax a tua pietate conceſſa [1] Romanos fines ab omni hoſte faciat eſſe ſecuros. Per.

POST COMMUNIONEM.

Deus auctor pacis & amator, quem noſſe, vivere; cui ſervire, regnare eſt; protege ab omnibus impugnationibus ſupplices tuos: [d] ut qui defenſione tua fidemus, nullius hoſtilitatis arma timeamus. Per.

Deus, qui miſericordiæ tuæ [2] potentis [e] auxilium & proſpera tribuis, & adverſa depellis; univerſa obſtacula, quæ ſervis tuis adverſantur, expugna: ut remoto terrore bellorum, & libertas ſecura, [f] Religio ſit quieta. Per.

LVII. ORAT. TEMPORE Belli.

Deus, qui [g] conteres bella, & impugnatores in te ſperantium [h] potentiæ tuæ defenſionis expugnas, auxiliare implorantibus miſericordiam tuam; ut omnium gentium feritate compreſſa, indefeſſa te gratiarum actione laudemus. Per.

Deus Regnorum omnium Regumque dominator, qui nos & percutiendo ſanas, & ignoſcendo conſervas; prætende nobis miſericordiam tuam, ut tranquillitate pacis, tua poteſtate [i] firmati, ad remedia correctionis utamur. Per Dominum noſtrum.

Deus cujus Regnum eſt omnium ſæculorum, ſupplicationes noſtras clementer exaudi; & [3] Romanorum [k] Regum tibi ſubditum protege Principatum, ut in tua virtute fidentes, & tibi placeant, & ſuper omnia regna præcellant. Per.

SECRETA.

Sacrificium Domine, quod immolamus, intende, [4] ut ab omni nos exuat bellorum nequitia; & in [5] tuæ protectionis ſecuritate conſtituat, Per.

POST COMMUNIONEM.

Sacroſancti Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti refectione vege-

a. *Populis*. apud Menardum, *populos*.
b. *Nocere*. apud Pamel. & Menard. *concuti*.
c. *Precibus & hoſtiis*. Apud Pamelium, & Menardum, *preces & hoſtias*.
d. *Ut qui defenſione tua fidemus*. Apud Menardum, *ut qui in defenſione tua fidimus.*
e. *Auxilium*. Apud Menard. *auxilio*.
f. *Religio*. apud Menard. *& Religio*.
g. *Conteres*. apud Menardum, *conteris*.
h. *Potentiæ*. apud Menardum, *potentia*.
i. *Firmati*. apud Menard. *firmata*. k. Regum. *leg.* Regnum.

(1) *M, O, P, R.* Chriſtianorum fines *loco illius,* Romanos fines.
(2) *Cod, O.* prætendis auxilium.
(3) *M, O, R. &* Chriſtianorum regnum.
(4) *O.* intende propitius.
(5) *Idem O.* & in tua.

Digitized by Google

vegetati, ſupplices te rogamus omnipotens Deus; ut hoc remedio [1] ſingulari ab omnium peccatorum nos [2] contagione purifices, & a periculorum munias incurſione cunctorum. Per.

LVIII. ITEM ALIA Miſſa.

CОntere, quæſumus, Domine hoſtes populi tui; & delicta noſtra, quorum merito nobis dominantur, emunda: ut cum, te placito, puritatem mentibus noſtris [3] infunderis, largiaris & pacem. Per.

Hoſtium noſtrorum, quæſumus, Domine elide ſuperbiam, & dexteræ tuæ virtute proſterne. Per Dominum noſtrum.

Omnipotens Deus [4] Romani nominis inimicos virtute, quæſumus, tuæ comprime Majeſtatis; ut populus tuus & fidei integritate lætetur, & temporum tranquillitate ſemper exultet. Per.

SECRETA.

Hujus Domine, quæſumus, virtute myſterii, & a noſtris mundemur occultis, & ab inimicorum liberemur inſidiis. Per.

POST COMMUNIONEM.

Vivificet nos, [5] quæſumus, Domine, participatio tua ſancta [a] myſteriis; & pariter nobis expiationem tribuat & munimen. Per.

LVIIII. ITEM ALIA Miſſa.

DEus qui Regnis omnibus [6] æternis dominaris imperio, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ: & Romani Regni adeſto Principibus, ut tua [7] tranquillitatem clementer tua ſint ſemper virtute victores. Per.

Propitiare Domine in te ſperantibus populis; [8] & a cuſtodia Romani nominis dexteram tuæ protectionis oſtende: ut Regnum majeſtati tuæ deditum, tua ſemper ſit virtute defenſum. Per.

Deus, qui ſub tuæ majeſtatis arbitrio omnium regnorum contines poteſtatem, Romani Imperii propitiare Principibus; ut qui tua expectant protectione defendi, omnibus ſint hoſtibus fortiores. Per.

SECRETA.

Suſcipe Domine propitius hoſtias, quibus & te [b] placare voluiſti, & nobis ſalutem [c] potenti pietate reſtitui. Per.

POST COMMUN.

Adeſto Domine populis qui ſacra myſteria contigerunt; ut nullis periculis

a. *Myſteriis*. apud Menardum, *myſterii*.
b. *Placare*. apud Menardum, *placari*.
c. Potenti. *leg.* potentie.

(1) P. ſalutari.
(2) *Rurſus P.* contagine.
(3) *Thomaſ. in Orat. Tom.* 11, *pag.* 542, inſuderis.
(4) O, *P*, *R*. Chriſtiani.
(5) *Vocem* quæſumus *P. omittit*.
(6) *Thomaſ. loc. cit.* æterno.
(7) *Lege* tranquillitate. *Thomaſ. eodem loco*.
(8) & ad cuſtodiam. *Thomaſ. ibidem*.

Digitized by Google

riculis affligantur, qui te protectore confidunt. Per.

bus enutriens alimentis, a cunctis hoſtibus redde ſecuros. Per.

LX. ITEM ALIA Miſſa.

Deus, qui providentia tua cæleſtia ſimul & terrena moderaris, propitiare [1] Romanis rebus & Regibus; ut omnis hoſtium fortitudo, te pro nobis pugnante, frangatur. Per.

Deus ſervientium tibi fortitudo, Regnorum, propitius [a] Romani nominis eſto Principibus: ut quorum tibi [b] ſubjector eſt humilitas, eorum ubique excellentior ſit poteſtas. Per.

Deus cujus Regnum nulla ſæcula prævenerunt, nulla concludunt, ſupplicationes noſtras clementer exaudi: & Romanorum [c] Regum tibi ſubditum protege Principatum, ut in tua virtute fidentes, omnibus ſint hoſtibus fortiores. Per.

SECRETA.

Propitiare Domine [d] preces & hoſtias famulorum tuorum, & propter nomen tuum [2] Romani Imperii defende Rectores: ut ſalus ſervientium tibi [e] Principatuum, pax tuorum poſſit eſſe populorum. Per.

POST COMMUN.

Protege Domine famulos tuos ſubſidjis [3] pacis: & corporis & ſpiritali-

LXI. ITEM ALIA Miſſa.

Deus in te ſperantium ſalus, & ſervientium fortitudo, ſuſcipe propitius preces noſtras; & Romani Imperii adeſto Rectoribus, ut tuis conſiliis inſpirati, tua opitulatione muniti, adverſum omnia reſiſtere ſibi arma prævaleant. Per.

Deus & temporalis vitæ auctor & æternæ, miſerere ſupplicum in tua protectione fidentium: ut per virtutem brachii tui omnibus, qui nobis adverſantur, revictis, nec in terrenis nec a cæleſtibus poſſimus excludi. [f]

Omnipotens ſempiterne Deus miſerere ſupplicum in tua protectione fidentium; & propter gloriam nominis tui barbarum Gentium comprime feritatem: ut dexteræ tuæ virtute defenſi, liberis tibi mentibus ſerviamus. Per.

SECRETA.

Deus, qui ſubjectas tibi glorificas poteſtates, ſuſcipe propitius oblationes noſtras: & Romanis [4] viris adde Principibus, ut qui ſe dextera tua [5] expedint protege; nulla poſſint adverſitate ſuperari. Per.

a. *Romani nominis eſto*. apud Menard. *Chriſtianorum adeſto*.

b. *Subjector*. apud Menard. *ſubjecta*. c. Regum. *leg.* Regnum.

d. *Preces & hoſtias*. apud Menardum, *precibus et hoſtiis*.

e. *Principatuum*. apud Menard. *Principum*. f. Per.

(1) *Gregor. exempl.* Chriſtianorum rebus, & Regibus.

(2) *M*, & P. Chriſtiani nominis.

(3) *P.* ſubſidiis pacis & corporis, & ſpiritalibus, *interpunctione diverſa*.

(4) *Legerem vires*.

(5) *Ita mendoſe in veteri membrana*.

POST COMMVNIONEM.

Fidelem populum, quæſumus Domine, potentiæ tuæ muniat invicta defenſio: ut pio ſemper tibi devotus affectu, & ab infeſtis liberetur inimicis, & in tua jugiter gratia perſeveret. Per.

ITEM ALIA.

Populi tui, quæſumus, omnipotens Deus propitiare peccatis, & totius hoſtilitatis a nobis errores averte; ut Romani nominis ſecura libertas in tua devotione ſemper exultet. Per.

Protector noſter aſpice Deus, & ab hoſtium nos defende periculis: ut omni perturbatione ſubmota, liberis tibi mentibus ſerviamus. Per Dominum.

LXII. ITEM MISSA pro Regibus. [1]

Deus Regnorum omnium, [2] Et Romani maxime protector Imperii, da ſervis tuis Regibus noſtris *Illis* triumphum [3] virtutis ſcienter excolere: ut cujus conſtitutione ſunt Principes, ejus ſemper munere ſint potentes. Per.

Deus in cujus manu corda ſunt Regum, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ; & Principibus noſtris famulis tuis *Illis* regimen tuæ adpone ſapientiæ: ut hauſtis de tuo fonte conſiliis, & tibi placeant, & ſuper omnia Regna præcellant. Per.

SECRETA.

Suſcipe Domine preces & hoſtias Eccleſiæ tuæ pro ſalute famuli tui *Illius* [4] ſupplicantes: & protectione fidelium populorum antiqua brachii tui operare miracula: [a] & ſuperatis pacis inimicis, ſecura tibi ſerviat [5] Romana libertas. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem [6] Domine famuli tui *Illius*, quam tibi miniſterio officii Sacerdotalis offerimus pro eo quod [7] in ipſum poteſtatem Imperii conferre dignatus es, propitius & benignus adſume: & exoratus noſtra obſecratione, concede, ut majeſtatis tuæ protectione confidens, & ævo augeatur & regno. Per.

POST COMMVNIONEM.

Deus, [8] qui prædicando æterni Regni Euangelio Romanum Imperium præparaſti; prætende famulis tuis *Illis* Principibus noſtris arma cæleſtia; [9] & pax Eccleſiarum [10] nullo turbetur tempeſtate bellorum. Per Dominum.

LXIII.

a. *Et ſuperatis*. In Sacrament. Sancti Gregorii edit. Rom. *ut ſuperatis*.

(1) Romanis *ibi addit Thomaſ. in Orationali Tom.* 11, *pag.* 548.
(2) O, *&* R. & Chriſtiani.
(3) *Iidem* O. *&* R. virtutis tuæ.
(4) O. *&* R, *atque Pamel.* ſupplicantis.
(5) *Iidem Codices*, *&* *Pamel.* Chriſtiana.
(6) *Vocem* Domine *ibi omittunt citati mox Codices.*
(7) *Iidem*, in ipſo.
(8) *Rurſus iidem Cod.* qui ad prædicandum æternі Regis euangelium, Romanum *&c.*
(9) *Denuo iidem*, ut pax.
(10) *Ita in Mſ.*

LXIII. MISSA CONTRA Judices male agentes. [1]

ECcleſiæ tuæ Domine preces placatus admitte: [a] & [2] diſtitutis adverſitatibus univerſis, ſecura tibi ſerviat libertate. Per.

SECRETA.

Protege nos Domine, quæſumus, tuis myſteriis ſervientes; ut divinis rebus, & corpore famulemur & mente. Per.

POST COMMUN.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non ſinas ſubjacere periculis. Per Dominum.

LXIIII. ITEM ALIA Miſſa.

PRæſta Domine, quæſumus, ut toto tibi corde ſubjecti, timentium voluntatum reſpuamus affectus. Per.

SECRETA.

Hoſtias Domine, quæſumus, quas immolamus, placatus adſume, & pro [3] noſtris expiatione peccati, & pro acceleratione cæleſtis auxilii. Per.

POST COMMUN.

Da plebi tuæ Domine piæ ſemper devotionis affectum, ut quæ prava ſunt reſpuens, ſancta converſatione firmetur: & a peccatis libera nullis adverſitatibus adteratur. Per.

Præſta, quæſumus, Domine, ut Eccleſia tua prompta tibi voluntate deſerviat: quia propenſius audiri poterit & defendi, cum eam tibi digne præſtiteris famulari. Per.

LXV. ORAT. in Contentione ad Miſſas. [4]

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ſuperbis reſiſtis, & gratiam præſtas humilibus; tribue quæſumus, ut non indignationem tuam provocemus elati, ſed propitiationis tuæ capiamus dona ſubjecti. Per.

Concede nobis miſericors Deus, & ſtudia perverſa deponere, & ſanctam ſemper amare juſtitiam. Per.

SECRETA.

Ab omni reatu nos, Domine, ſancta, quæ tractamus, abſolvant: [b] & ad eadem muniant ad totius pravitatis incurſu. Per.

POST COMMUNIONEM.

Quos refeciſti Domine cæleſti myſterio, [c] propriis alienis, quæſumus, propitiatus abſolve delictis; [d] & divino munere purificatis mentibus perfruamur. Per.

a. Et diſtitutis. apud Pamelium, *ut deſtitutis*.
b. Et ad eadem muniant ad totius. apud Pamelium, *& eadem muniant a totius*.
c. Propriis alienis. apud Pamel. habetur, *propriis & alienis*.
d. Et divino. apud Pamelium, *ut divino*.

(1) Contra Judices male agentes *idem denotat ac* contra Perſecutores Eccleſiæ. *Vide Thomaſ. in Orationali Tom. II. pag.* 515.

(2) O, & R. ut deſtructis. (3) *Leg.* noſtri.

(4) *In Gregorianis*: Miſſa in Contentione, *vel* pro Contentione.

LXVI. ITEM ALIA Miſſa.

PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita, & dictis exequamur & factis. Per.

Deus qui uniamines nos in domo tua præcipis habitare, diſſenſionum cauſas placatus depelle noſtrum; ut competentibus adjuti ſubſidiis, te largiente, poſſimus eſſe concordes. Per.

Concede nobis omnipotens Deus, ut diſpectis falſitatibus iniquarum, quæ animæ noſtræ conveniunt rationabilia exequamur. Per Dominum.

SECRETA.

Suppliciter te rogamus Domine Deus noſter, ut hujus operatione myſterii & vitia noſtra purgentur, & juſta deſideria compleantur. Per Dominum.

POST COMMUNIONEM.

Sanctificationem tuam nobis Domine his myſteriis placatus operare; quæ nos & a terrenis purgent vitiis, & ad cæleſtia dona perducant. Per Dominum.

LXVII. ORAT. AD MISS. contra obloquentes.

PRæſta, quæſumus, Domine, ut mentium [1] reprobarum non curemus obloquium; ſed eadem pravitate calcata, exoramus, ut nec [a] terrere nos lacerationibus [b] pateris injuſtis, nec captioſis adulationibus implicari; ſed potius amare quæ præcipis. Per.

Conſpirantes Domine contra tuæ plenitudinis firmamentum dexteræ tuæ virtute proſterne; ut juſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur ſemper falſitas veritati. Per.

SECRETA.

Oblatio, Domine, tuis aſpectibus immolanda, quæſumus, ut & nos in omnibus vitiis potenter abſolvat, & a cunctis defendat inimicis. Per.

POST COMMUN.

Præſta Domine, quæſumus, ut per hæc ſancta, quæ ſumpſimus, [c] deſimulatis lacerationibus improborum, eadem [d] gubernante, quæ recta ſunt cautius [2] exequamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

LXVIII. ORAT. AD MISSAS pro Inreligioſis.

DEus, qui fidelium devotione lætaris, populum tuum, quæſumus, ſanctis tuis fac eſſe devotum: ut qui ab eorum officia impia pravitate mentis abſcedunt, per tuam converſi gratiam, diaboli, quibus capti tenentur, laqueis reſepiſcant. Per.

Deus, qui infideles deſeris, & juſte indevotis iraſceris, populum tuum, quæ-

a. *Terrere*. apud Pamelium; *terreri*.
b. *Pateris*. apud Pamelium, *patiaris*.
c. *Deſimulatis*. apud Pamel. *diſſimulatis*.
d. *Gubernante*. apud Pamel. *te gubernante*.

(1) *O, P, R.* reproborum.
(2) *P.* exſequemur.

quæſumus, converte propitius: ut qui te per duritiam inreligioſæ mentis ſemper offendunt, ad Sanctorum beneficia promerenda, tuæ [1] miſerationes gratia inſpirante, convertas. Per.

SECRETA.

Cor populi tui, quæſumus, Domine converte propitius, ut ab his muneribus non recedant; quibuſque majeſtatem tuam magnificare depoſcimus. Per.

POST COMMVNIONEM.

Da nobis, quæſumus, Domine ambire quæ recta ſunt, & vitare quæ noxia; ut ſancta, quæ capimus, non ad judicium nobis, ſed potius proficiant ad medelam. Per.

AD POPVLVM.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & nihil de ſua conſcientia præſumentibus ineffabili miſeratione ſuccurre: ut quod non habet fiducia meritorum, tua conferat largitas invicta donorum. Per.

LXVIIII. ORAT. SVPER infirmum in domo. [2]

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris: & famulum tuum ex adverſa valetudine corporis laborantem placidus reſpice, & viſita in ſalutari tuo; & cæleſtis gratiæ præſta medicinam. Per.

Deus qui [a] humani generis & ſalutis remedii vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo tuarum dona virtutum; & concede ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per.

Virtutum cæleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius huic ſervo tuo; ut fugatis infirmitatibus, & viribus revocatis, nomen ſanctum tuum, inſtaurata protinus ſanitate, benedicat. Per.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas; [3] ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra & membra vegetentur, ſuper hunc famulum tuum propitiatus intende: ut omni neceſſitate corporea infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur. Per.

LXX. ITEM ORAT. ad Miſſ. pro [b] infirmis.

Omnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro famulis tuis *Illis*, pro quibus miſericordiæ tuæ imploramus [c] auxilio; ut reddita ſibi ſanitate, gratiarum tibi in Eccleſia tua referant actionem. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ægritudines & animorum depellis & corporum, auxilii tui ſuper infirmos noſtros

a. Humani generis, & ſalutis remedii vitæ. apud Pamel. *humano generi & ſalutis remedium & vitæ.*

b. Infirmis. *leg.* infirmum. *c. Auxilio.* apud Pamelium, *auxilium.*

(1) *Corrige, ac lege* miſerationis. *Vide Thomaſ. Orat. Tom. 11, pag. 555.*

(2) *In Gregorianis heic legitur:* Orationes ad viſitandum infirmum. (3) *O*, & ſalutaribus.

noſtros oſtende virtutem; ut ope miſericordiæ tuæ ad omnia pietatis tuæ reparentur officia. Per.

SECRETA.

Deus ſub cujus nutibus vitæ noſtræ momenta decurrunt, ſuſcipe preces & hoſtias famulorum [a] & famularumque tuarum, pro quibus miſericordiam tuam ægrotantibus imploramus; ut de quorum periculo metuimus, de eorum ſalute lætemur. Per.

POST COMMVNIONEM.

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilii tui ſuper infirmos noſtros oſtende virtutem; ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, Eccleſiæ tuæ ſanctæ repræſentari mereantur. Per Dominum noſtrum.

LXXI. ORAT. PRO REDDITA ſanitate.

DOmine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam [b] multiplicas pietatem cuſtodis; ad invocationem nominis tui benignus adſiſte: & hunc famulum tuum [c] liberatam ægritudinem, & ſanitatem donatam dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis; Eccleſiæ tuæ ſanctiſque Altaribus tuis cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per Dominum noſtrum.

LXXII. ORATIO intrantibus in domo, ſive Benedictio. [d*]

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris; & famulos tuos, quos charitatis viſitamus officiis, gratiæ tuæ largitate locupleta; ut in eorum proſperitate continua gaudeamus. Per Dominum.

Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus; & humilitatis noſtræ officiis gratiæ tuæ viſitationis admiſce: ut quorum adimus habitacula, tu in eorum tibi cordibus facias manſionem. Per Dominum noſtrum.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hanc domum ſerenis oculis tuæ pietatis inluſtra: deſcendat ſuper habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio, ut his manufactis cum ſalubritate manentibus, ipſi tuum ſemper ſint habitaculum. Per Dominum.

Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus; ut ſi qua ſunt adverſa, ſi qua contraria in hac domo famuli tui *Illius*, auctoritate Majeſtatis tuæ pellantur. Per Dominum noſtrum.

LXXIII.

a. *Famularumque*. apud Pamelium, *famularumque*.

b. *Multiplicas pietatem*. apud Pamelium, *multiplici pietate*.

c. *Liberatam ægritudinem, & ſanitatem donatam*. apud Pamelium, *liberatum ægritudine, & ſanitate donatum*.

d* Olim Epiſcopi ad hoſpitium pervenientes, habitatoribus ſalutatis orationem faciebant. Ex Vita S. Genoveſæ edita a Chifletio.

Digitized by Google

LXXIII. ITEM ORAT. ad Miſſas.

PRotector in te ſperantium Deus, & ſubditarum tibi mentium cuſtos, habitantibus in hac domo famulis tuis propitius adeſſe dignare: veniat ſuper eos ſpirante a te [1] benedictio ubertas; & pietatis tuæ repleti muneribus, in tua gratia & in tuo nomine læti ſemper exultent. Per.

Protector fidelium Deus, & ſubditarum tibi mentium frequentator, habitantibus in hac domo famulis tuis propitius adeſſe digneris; ut quos nos humana viſitamus ſolicitudine, tu divina munias poteſtate. Per.

SECRETA.

Suſcipe Domine, quæſumus, preces & hoſtias famulorum tuorum, & muro cuſtodiæ tuæ hanc domum circumda; ut omni adverſitate depulſa, ſit hoc ſemper domicilium incolumitatis & pacis. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur [a] oblationem famuli tui *Illius*, quam tibi offert pro votis & deſideriis ſuis atque & pro incolumitate domus ſuæ, placatus ſuſcipias deprecamur: pro quo in hac habitatione auxilium tuæ majeſtatis depoſco; ut mittere ei digneris Angelum tuum ſanctum ad cuſtodiendos omnes in hac habitatione. Per.

POST COMMUN.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper hos famulos degentes in hac domo ſpiritum gratiæ ſalutaris: & ut complaceant tibi, Deus, in veritate tua perpetuum eis rorem tuæ benedictionis effunde. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus inſere te officiis noſtris, & in hanc manentibus domum præſentiæ tuæ concede cuſtodiam: ut familiæ tuæ defenſor, ac totius habitaculi hujus habitator appareas. Per.

LXXIIII. ORAT. SUPER venientes in domo.

DEus humilium viſitator, qui nos fraterna dignatione conſolaris, prætende ſocietati noſtræ gratiam tuam: ut per eos, in quibus habitas, [b] tuumque nobis ſentiamus adventum. Per.

Deus, qui nobis in famulis tuis præſentiæ tuæ ſigna manifeſtas, mitte ſuper nos ſpiritum charitatis; ut in adventu fratrum conſervorumque noſtrorum gratia nobis tuæ largitatis augeatur. Per Dominum.

LXXV.

a. Oblationem. *leg.* oblationem Domine.
b. *Tuumque*. apud Pamelium, *tuum*.

(1) *Ex Thomaſio in Orationali legendum heic eſt pag.* 554. *Tom.* II, benedictionis ubertas, ut pietatis tuæ.

LXXV. BENED. AQVAE ſpargendæ in domo.[1]

DEus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti, adeſto invocationibus noſtris; & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtute mtuæ benedictionis infunde; ut creatura Myſteriis tuis ſerviens, ad abjiciendos dæmones, morboſque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectus. Vt quicquid [a] in loci in domibus fidelium hæc Vnda reſperſerit, careat immunditia, liberetur [b] a noxia: non illic reſedeat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens:[2] abſcedant omnes inſidiæ latentes inimici: & ſi quid eſt quod incolumitati habitantium invidet aut quieti, aſperſione hujus Aquæ effugiat: ut ſalubritas per invocationem tui nominis [c] expedita, ab omni ſit impugnatione defenſa. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

LXXVI. ITEM ALIA

EXorcizo[3] te creatura Aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jeſu Chriſti Filii ejus, & Spiritus Sancti. Omnis virtus adverſarii, omnis incurſio diaboli, omne phantaſma, omnem inimici poteſtatem eradicare & effugare ab hac creatura Aquæ. Vnde exorcizo te creatura Aquæ per Deum verum, & per Deum vivum, per Deum ſanctum, & per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; ut efficiaris Aqua ſancta, Aqua benedicta; ut ubicumque effuſa fueris vel aſperſa ſive in domo, ſive in agro effuges omnem phantaſiam, omnem inimici poteſtatem: Spiritus Sanctus habitet in domo hac. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.

ITEM

a. *In loci in domibus*. apud Pamelium, *in domibus vel in locis*.

b. *A noxia*. apud Pamel. *a noxa*.

c. *Expedita*. apud Pamelium, *expetita*.

(1) *Benedictionis hujus ritus in Gregorianis noſtris exemplis implicatur cum ritu infirmos viſitandi, ſive ſacramenti extremæ Unctionis, quia illud moris obtinebat ut Sacerdos accedens ad viſitandum ſive ad ungendum infirmum, primum aquam benediceret, qua ille ejuſque domus adſpergeretur. Qua de re conſuli poterunt veteres Ordines extremæ Unctionis a Martenio vulgati. Codex Rodradi apud Menardum not. 895. ait de præſenti ritu:* In primis faciant Sacerdotes aquam benedictam, & ſpargant eam cum antiphona & oratione ſuper ipſum infirmum, & domum ejus. *Cod. S. Eligii ſimilia prorſus habet. Videatur & vulgatus Alcuinus cap.* de infirmis. *Ex dictis intelligitur cur Gregoriana Sacramentaria præſentem noſtrum locum aliquando inſcribant.* Orationes ad viſitandum Infirmum. *Vel* Miſſa pro ſalute Vivorum, *aut etiam,* in agenda Mortuorum. *Cetera inſequentem heic proxime Orationem,* Deus qui ad ſalutem *&c. eadem Gregoriana Sacramentaria inſcribunt:* Benedictio Aquæ. *Conſulantur ſcriptores agentes de ritu aquam benedicendi, quorum plures indicatos videſis apud Du-Cangium.*

(2) *Memorata nuper Greg. exempla eo loci habent*, diſcedant.

(3) Exorcizo te *&c. Ejuſmodi Oratio a Gregorianis dicitur:* Exorciſmus Aquæ.

ITEM AD CONSPARSUM faciendum. [1]

Exaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere dignare Angelum tuum ſanctum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, & defendat omnes habitantes [a] in hunc [2] habitaculum famuli tui *Illius*: & præſta, quæſumus, ut ſanctificatio ſit domui hujus noſtræ introitus. Donet cunctis [3] intra eum habitu conſtitutos divinarum beatitudine largitatem; dominis ac familiæ gubernaculum ad cuſtodiendam obedientiam & irreprehenſibilem diſciplinam; infantibus bonæ indolis gratiam; adultis immaculatam adoleſcentiam; ſenibus ſanctam ſeriæ converſationis ætatem; omnibuſque longam ac ſibi placitam ſenectutem: & ita patrocinantibus Sanctis [4] perenni domui huic beatitudinem præſtet; ut jugi ſuper eam Angelicæ protectionis cuſtodia perſeveret. Per Dominum.

Poſt hæc benedicet Sal & dicit.

[5]Exorcizo te creatura Salis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; qui te per Heliſeum [b] in aqua mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas; qui divini oris ſui voce Diſcipulis ait: Vos eſtis Sal terræ: & per Apoſtolum inquit: Cor veſtrum ſale ſit conditum. Ideoque efficere Sale exorcizatum; ut omnes qui te ſumpſerint ſis eis animæ tutamentum; atque huic domui in remiſſione peccatorum, in ſanitate mentis, in protectione animæ, in confirmatione ſalutis ad expellendas & excludendas omnes dæmonum tentationes. In nomine Dei Patris omnipotentis, & Jeſu Chriſti Filii ejus, qui venturus eſt judicare ſæculum per ignem. Per.

Deinde mittis [6] ipſum Sal [c] in aqua, & exſufflas in ea, [d] dicis.

Deus, qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti. *Et cætera ſicut ſuperius ſcriptum eſt.*

Hic mittis [7] vinum in ipſa aqua, & benedic eam dic.

Domine ſancte Pater omnipotens, æterne

a. In hunc habitaculum. apud Menardum, *in hoc habitaculo.*

b. In aqua. apud Pamelium legitur, *in aquam.*

c. In aqua. apud Menardum, *in aquam.* d. Dicis. *leg.* & dicis.

(1) *Eadem Gregor. Exemp.* Oratio quando aqua ſpargitur (O, aſpergitur) in domo.

(2) *Iidem Greg. Codices eam Orationem ibi concludunt, dicentes:* in hoc habitaculo. Per.

(3) *Mendoſum eum locum legerem*, intra ejus ambitum conſtitutis divinarum beatitudinum largitatem.

(4) *Fortaſſe legi debet* perennem.

(5) *Sacramentariis Gregorianis ea Oratio dicitur* Exorciſmus Salis, *de qua videndus Menardus not.* 897.

(6) *In vulgato Damaſi Pontificali tribuitur Alexandro primo hujus nominis Romano Pontifice* conſtituiſſe aquam ſparſionis cum ſale benedici in habitaculis hominum. *Idem adfirmant Walafridus cap.* XXIX, *Micrologus c.* XLVI; *alii. Quæ licet a ſuppoſititio fonte hauſta principio credantur, oſtendunt tamen inſignem ejus opinionis antiquitatem, quæ ut certa percrebuerat Anaſtaſii Bibliothecarii, atque illorum, quos ſupra memoraveram, ætate.*

(7) *Ut in aquæ benedictione ad conſecrandam Eccleſiam. Vide ſupra quæ occurrunt ad pag.* 108. *Cujus tamen ritus in præſenti loco juxta ea exempla, quæ habemus præ manibus, nil in iiſdem Gregorii Sacramentariis remanſit.*

Deus [1] ſub cujus imperio nihil non verbo regitur, nihil non oratione mutatur, parce metuentibus, propitiare ſupplicibus: ut poſt [a] innoxios ignes nubium & turbines procellarum, in materiam tranſeat laudis comminatio poteſtatis. Per.

LXXGII. BENED. AQUAE exorciz. ad fulgura.

EXorcizo te, creatura ſalis & aqua, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Nazareni Filii Dei vivi, ut ſis purgatio & purificatio in his locis, in quibus aſperſa fueris, ad effugandos & erraticos ſpiritus, omnemque nefariam vim diaboli pellendam, & omnes figuras & minas phantaſmatis Satanæ exterminandas, & fulgura & ſidera quæ miſſa videntur in hanc arborem, non hominibus, aut pecoribus, aut frugibus noceant; ſed abſcedant & fugiant per invocationem nominis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti; qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & omne ſæculum per ignem. Per.

LXXVIIII. ORAT. in area nova.

OMnipotens ſempiterne Deus multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, & preces noſtras benignus exaudi: ut in hac area famuli tui *Illius* Spiritum tuum ſanctum Paraclytum mittere digneris: & veniat ſperatæ benedictionis ubertas, ut repleti de [b] frugibus tuis, in tuo nomine & in tua gratia læti ſemper exultent. Per Dominum.

Multiplica Domine ſuper nos miſericordiam tuam, & preces noſtras propitius exaudire dignare, ſicut exaudiſti famulum tuum regem David, qui te in area hoſtias offerendo [c] placavit, [2] iram avertit, indulgentiam impetravit. Ita veniat, quæſumus, ſperatæ benedictionis ubertas, ut repleti frugibus tuis, de tua ſemper miſericordia gloriemur. Per Dominum.

LXXX. ITEM ORAT. in Monaſterio.

DEus, qui renunciantibus ſæculo manſionem paras in cælo, dilata ſanctæ hujus Congregationis habitaculum temporale cæleſtibus bonis: ut fraternitatem teneant compagine charitatis unanimiter: continentiæ tuæ præcepta cuſtodiant: ſobrii, ſimplices, & quieti gratis ſibi datam gratiam fuiſſe cognoſcant. Concordet illorum vita cum nomine, profeſſio ſentiatur in opere. Per.

Suſcipe Domine preces noſtras, & muro cuſtodiæ tuæ hoc ſanctum ovile circumda; ut omni adverſitate depulſa, ſit hoc ſemper domicilium incolumitatis & pacis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

a. Innoxios. apud Menardum, *noxios*.

b. De frugibus tuis. apud Pamel. *frugibus tuis*.

c. Placavit. Sic emendavimus ex Pamelio, cum perperam in exemplari legatur, *placuit*.

(1) *M.* Deus cujus imperio *&c.* (2) *Verba* iram avertit, indulgentiam impetravit *omittit P.*

LXXXI. ORAT. IN DOMO Ancillarum Dei.

INgredientes, Domine, in hoc tabernaculum Ancillarum tuarum tibi ſervientium, Angelo tuo viſitante, cuſtodias, & ab hujus ſæculi adverſitatibus defendas. Dona eis propoſitum mentis, ut tibi exhibeant pudicitiam caſtitatis: adjuva contra vitia certantes, & victoriæ ſumant coronam ad te pervenientes. Per.

LXXXII. ORAT. pro renuntiantibus ſæculo.

PRæſta Domine, quæſumus, famulis tuis renunciantibus ſæcularibus pompis, gratiæ tuæ januas aperire; qui deſpecto diabolo, confugiunt ſub titulo Chriſti: jube venientes ad te ſereno vultu ſuſcipere, ne de eis inimicus valeat triumphare: tribue eis brachium infatigabile auxilii tui: mentes eorum fidei lorica circumda, ut felici muro vallati, mundum ſe gaudeant evaſiſſe. Per.

LXXXIII. ORAT. PRO EO qui [1] prius barbam tondit.

DEus, [a] cujus providentiam creatura omnes crementes adulta congaudet, propitius ſuper hunc famulum tuum juvenilia ætatis decorem lætantem & florem primis auſpiciis adtondentem adeſto: in omnibus tuæ protectionis muniatur auxilium, ævo longiore provectus, & præſentis vitæ præſidiis gaudeat & æternis. Per Dominum noſtrum.

LXXXIIII. ORAT. ad Matutinas. [2]

GRatias tibi agimus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui nos tranſacto noctis ſpatio, ad matutinas horas perducere dignatus es: quæſumus, [b] ut donis nobis diem hunc ſine peccato tranſire, quatenus ad veſperum gratias referamus. Per.

Exurgentes de cubilibus noſtris, auxilium gratiæ tuæ matutinis, Domine, precibus imploramus: ut diſcuſſis tenebris vitiorum, ambulare mereamur in luce virtutum. Per Dominum.

Matutina ſupplicum vota Domine propitius intuere, & [c] occultis cordis noſtri remedio tuæ clarifica pietatis; ut deſideria tenebroſa non teneant, quos lux cæleſtis gratiæ reparavit. Per Dominum noſtrum.

Te lucem veram, & lucis Auctorem, Domine, deprecamur, ut digneris a nobis tenebras depellere vitio-

a. *Deus cujus providentiam* &c. Apud Menardum rectius habetur, *Deus cujus Spiritu creatura omnis adulta congaudet* &c. *juvenili ætatis decore lætantem* &c. *ut in omnibus tuæ protectionis muniatur auxilio* &c.

b. *Ut donis*. Apud Pamelium, *ut dones*.

c. *Occultis*. Apud Pamelium, *occulta*.

(1) qui prius, *hoc eſt in prima juvenilis barbæ tonſione. Vide Menard. not. 904.*

(2) *Confer quæ noſter Thomaſius habet in Orationali ſuo ad locum præſentem Tom. 1. pag. 528.*

tiorum; & clarificare nos luce virtutum. Per.

Auge in nobis Domine, quæſumus, fidem tuam, & Spiritus Sancti lucem in nos ſemper accende. Per.

Deus, qui diem diſcernis a nocte, actus noſtros a tenebrarum diſtingue caligine; ut ſemper quæ ſancta ſunt meditantes, in tua jugiter laude vivamus. [a] Per.

Emitte quæſumus Domine lucem tuam in cordibus noſtris: [b] & mandatorum tuorum luce [c] perpetua, & in via tua ambulantes, nihil patiamur [d] errorem. Per Dominum.

Veritas tua, quæſumus Domine, luceat in cordibus noſtris; & omnis falſitas deſtruatur inimici. Per.

Gratias agimus, [1] inenarrabile pietati tuæ, omnipotens Deus, qui nos, depulſa noctis caligine, ad diei hujus principium perduxiſti: & abjecta ignorantiæ cæcitate, ad cultum tui nominis atque ſcientiam revocaſti: [e] in labe ſenſibus noſtris omnipotens Pater; ut in præceptorum tuorum lumine gradientes, Te Ducem ſequamur & Principem. Per.

Deus, qui tenebras ignorantiæ verbi tui luce depellis, auge in cordibus noſtris virtutem fidei, quam dediſti: ut ignis, quem gratia tua fecit accendi, nullis tentationibus poſſit extingui. Per.

Senſibus noſtris, quæſumus Domine, lumen ſanctum tuum benignus infunde; ut tibi ſemper ſimus devoti, cujus ſapientia creati ſumus, & providentia gubernamur. Per.

LXXXV. ORAT.
ad Veſperum.

Omnipotens ſempiterne Deus veſpere, & mane, & meridie Majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur: ut expulſis de cordibus noſtris peccatorum tenebris, ad veram lucem, quæ Chriſtus eſt, nos facias pervenire. Per Dominum noſtrum.

Deus, qui illuminas noctem, & lumen poſt tenebras facis, concede nobis, ut hanc noctem ſine impedimento Satanæ tranſeamus; atque matutinis horis ad Altare tuum recurrentes, tibi Deo gratias referamus. Per Dominum.

Inlumina, quæſumus, Domine tenebras noſtras, & totius noctis inſidias repelle propitius. Per.

Tuus eſt dies, Domine, & tua eſt nox, concede Solem juſtitiæ permanere in cordibus noſtris ad repellendas tenebras cogitationum iniquarum. Per Dominum.

Veſpertinæ laudis officia perſolventes, clementiam tuam, Domine, humili prece depoſcimus; ut [f] nocturnis inſidiatoris fraude, te protegente, vincamus. Per.

Pro-

a. Per. *leg.* Per Dominum.

b. *Mandatorum*. Apud Menardum legitur, *ut mandatorum*.

c. *Perpetua, & in via*. Apud Menardum, *percepta, in via*.

d. *Errorem*. Apud Menardum, *erroris*.

e. *In labe:* Apud Pamelium, *illabere*.

f. *Nocturnis inſidiatoris fraude*. Apud Pamelium, *nocturni inſidiatoris fraudes*.

(1) *Lege* inenarrabili.

Propitiare Domine veſpertinis ſupplicationibus noſtris; & fac nos ſine ullu reatu matutinis tibi [a] laudes præſentare. Per Dominum noſtrum.

Oriatur, Domine, naſcentibus tenebris, aurora juſtitiæ; ut [b] peracto diei, tibi ſuppliciter gratias agentes, etiam mane dignanter reſpicias vota ſolventes. Per.

Gratias tibi [c] agemus, Domine, cuſtoditi per diem; gratias tibi exſolvimus, cuſtodiendi per noctem: repræſenta nos, quæſumus, Domine matutinis horis incolumes, ut nos omni tempore habeas laudatores. Per.

LXXXG. ORAT. ante cibum.

Refice nos Domine [1] donis tuis, & opulentiæ tuæ largitate ſuſtenta. Per.

[2] Reficiamus Domine de donis & datis tuis, & tua benedictione ſatiemur. Per.

Protege nos Domine Deus noſter, & fragilitati noſtræ neceſſariam præbe ſubſtantiam. Per Dominum noſtrum.

Benedic Domine dona tua, quæ de tua largitate ſumus ſumpturi. Per.

Deus, qui nos ad delicias ſpiritales ſemper invitas, da benedictionem ſuper dona tua: ut ea quæ in tuo nomine ſunt edenda, ſanctificata percipere mereamur. Per Dominum.

Tua nos, Domine, dona reficiant, & tua gratia conſoletur. Per Dominum noſtrum.

LXXXVII. ORAT. poſt cibos.

Satiati, Domine, opulentiæ tuæ donis, tibi gratias agimus pro his quæ, te largiente, [d] ſuſcipimus, obſecrantes miſericordiam tuam, ut [e] quid corporibus noſtris neceſſarium fuit, mentibus non ſit oneroſum. Per.

Satiati ſumus, Domine, de tuis donis ac datis; reple nos de tua miſericordia, [f] qui es benedictus. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

LXXXGII. ORAT. ad fruges novas benedicendas.

Benedic [3] Domine hos fructus novos uvæ, ſive fabæ, quos tu Domine per rorem cæli, & inundantiam pluviarum, & tempora ſerena atque tranquilla, ad maturitatem perducere dignatus es ad percipiendum nobis cum

a. *Laudes præſentare*, apud Pamelium, *laudibus præſentari*.
b. *Peracto diei*. Apud Pamelium, *peracto die*.
c. *Agemus*. Apud Pamelium, *agimus*.
d. *Suſcipimus*. Apud Pamelium, *ſuſcepimus*.
e. *Quid*. Apud Pamelium, *quod*.
f. *Qui es*. Apud Pamel. *quia tu es*.

(1) O. Domine, quæſumus.
(2) *Lege*, Reficiamur *ex Thomaſ. in Orati on. pag.* 555.
(3) *Hæc Oratio in exemplis Gregoriani Sacrament. inſcribitur* Benedictio uvæ, vel fabæ; *& diſtinguitur ab altera ad novos fructus benedicendos inſtituta. Conferantur quæ ſupra occurrunt ad pag. 89. quæque adnotavimus ſub ſigno* (3)

cum gratiarum actione, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: per quem hæc omnia Domine ſemper bona.

ITEM ALIA.

Oremus pietatem tuam omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aeris & pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ ymbre perfundas: & fructus terræ tuæ uſque ad maturitatem perducas; tribuaſque populo tuo de tuis muneribus tibi ſemper gratias agere: ut a fertilitate terræ eſurientium animas bonis afluentibus repleas; & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per.

LXXXVIIII. BENEDICTIO pomorum.

TE deprecamur, omnipotens Deus, ut benedicas hunc fructum novum pomorum; ut qui eſu interdictæ arboris lethalis pomi in Protoparente juſtæ funeris ſententiæ multati ſumus; per illuſtrationem Vnici Filii tui Redemptoris Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti benedictionem ſanctificata omnia atque benedicta, depulſis atque abjectis vetuſti hoſtis, atque primi facinoris intentoris inſidiis, ſalubriter ex hujus diei anniverſaria ſolemnitate, diverſis terræ edendis germinibus ſumamus. Qui vivis & regnas in unitate.

[1] LXL. BENEDICTIO arboris.

DEus, qui hanc arboris pumma, tua juſſione & providentia progenitam, nunc etiam candem benedicere & ſanctificare digneris, precamur; ut quicunque ex ea ſumpſerint, incolumes eſſe valeant. Per.

XCI. ORAT. poſt obitum hominis. [2]

PIo recordationis affectu, Fratres Kariſſimi, commemorationem faciamus cari noſtri *Illius*, quem Dominus de tentationibus hujus ſæculi adſumpſit, obſecrantes miſericordiam Dei noſtri, [3] ut ipſe ei tribuere dignetur placitam & quietam manſionem: remittat omnes lubricæ temeritatis offenſas: ut conceſſa venia plenæ indulgentiæ, quicquid in hoc ſæculo proprius error adtulit, totum ineffabili pietate ac benignitate ſua compenſet. Per.

[4] Diri vulneris novitate perculſi, & quodammodo cordibus ſauciati, miſericordiam tuam, mundi Redemptor, flevilibus vocibus imploramus; ut cari noſtri *Illius* animam ad Te datorem proprium revertentem, blande leniterque ſuſcipias: & ſi quas illa ex hac carnali commoratione contraxit maculas, Tu Deus inoleta bonitate cle-

(1) *Ita in Mſ. Codice reperitur. Peculiaris eſt numerum xc ſcribendi ratio, ſi tamen mendum potius ibi non lateat.*

(2) *Cod. Remenſis apud Menardum not. 680 ait hoc in loco.* Incipit officium pro defunctis. In primis cantatur Pſalmus. In exitu Iſrael, cum antiphona, vel Alleluja. Deinde has orationes cantat Presbyter. *Similia vide in Thomaſiano Orationali Tom. II, pag. 560. ubi prima hac oratio* Pio recordationis &c. Præfatio *inſcribitur.* De Alleluja *in mortuorum Officio a veteribus uſurpato vide Menard. ad not. 680.*

(3) *Memoratus nuper Rem. Codex, ut ipſi tetribuere dignetur placitam, quietam manſionem.*

(4) *Hac Oratio, qua Præfationem ſequitur, heic & in ſequentibus* Collecta *vocatur a Cod. Rem. & in Thomaſii Orationali, ubi inſcribitur:* Collecta ſequitur.

clementer deleas; pie indulgeas; oblivione in perpetuum tradas; atque hanc eandem laudes tibi cum cæteris redditurам, & ad corpus quandoque reverſuram, Sanctorum tuorum coetibus adgregare præcipias. Per Dominum.

Tu nobis Domine auxilium præſtare digneris, tu opem, tu miſericordiam largiaris, ſpiritum etiam famuli tui *Illius* ac cari noſtri, vinculis corporalibus liberatum, in pace Sanctorum tuorum recipias: uti locum pœnalem, & gehennæ ignem, flammamque tartari in regione viventium evadat. Per eum qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti. Per.

Suſcipe Domine animam ſervi tui *Illius* ad te revertentem de Aegypti partibus, proficiſcentem ad te. Emitte Angelos tuos ſanctos in obviam illius, [1] & viam juſtitiæ demonſtra ei. Aperi ei portas juſtitiæ, & repelle ab ea Principes tenebrarum, agnoſce depoſitum fidele quod tuum eſt. Suſcipe Domine creaturam tuam non ex diis alienis creatam, ſed a te Deo ſolo vero, & vivo; quia non eſt Deus præter te ſolum, & non eſt ſecundum opera tua. Lætifica Domine animam ſervi tui *Illius*, clarifica Domine famulum tuum; ne memineris iniquitatum ejus antiquarum & ebrietatum, quæ ſuſcitavit [2] furor male deſiderii: licet enim peccavit, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum tamen non negavit, ſed credidit, & zelum Dei habuit, & [3] Deum feciſſe omnia adoravit.

[4] Suſcipe Domine animam ſervi tui *Illius* revertentem ad te: veſtem cæleſtem indue eam; & lava eam [5] ſanctum fontem vitæ æternæ, ut inter gaudentes gaudeat, & inter ſapientes ſapiat, & inter Martyres coronatos conſedeat, & inter Patriarchas & Prophetas proficiat, & inter Apoſtolos Chriſtum ſequi ſtudeat, & inter Angelos & Archangelos claritatem Dei pervideat, & inter Paradiſi rutilos lapides gaudium poſſideat, & notitiam Myſteriorum agnoſcat; & inter Cherubin, & Syraphin claritatem Dei inveniat, & inter vigintiquatuor Seniores Cantica Canticorum audiat; & inter lavantes ſtolas in fonte luminis veſtem lavet, & inter pulſantes pulſans, portas cæleſtis Hieruſalem apertas reperiat; & inter videntes Deum facie ad faciem videat, & inter audientes [6] auditu cæleſti cæleſtem ſonum exaudiat. Suſcipe Domine ſervum tuum *Illum* in æternum habitaculum: & da ei requiem & regnum, ideſt Hieruſalem cæleſtem: [7] ut in finibus Patriarcharum noſtrorum, ideſt Abraham, Iſaac, & Jacob collocare digneris: & habeat partem in prima reſurrectione; & inter ſurgentes reſurgat, & inter ſuſcipientes corpora in die reſurrectionis [8] corpus ſuſcipiat; & cum benedictis ad dexteram Dei Patris venientibus veniat, & inter

(1) *Cod. Rem.* & vias.

(2) *Locum emendans in Orationali ſuo Thomaſius ait pag.* 561, fervor mali deſiderii.

(3) *Idem Thomaſius loco cit.* & Deum qui omnia fecit, adoravit.

(4) *Oratio illa* Suſcipe Domine &c. *in prælaudato Orationali dicitur:* Oratio ad lavandum corpus Defuncti.

(5) *In Orationali*, ſancto fonte.

(6) *Ibidem*, aud tam cæleſtem, cæleſtem ſonam audiat. *Deinde quæ ſequuntur aliam orationem conſtituunt ab iſta diſtinctam.*

(7) *Rurſus ibidem*, & in finibus.

(8) *Eodem loco*, corpus ſuum novam ſuſcipiat.

Digitized by Google

inter poſſidentes vitam æternam poſſideat. Per Dominum.

[1] Antiqui memores chyrographi, Fratres cariſſimi, [2] qui primi hominis peccato & corruptioni addicta eſt humana conditio, ſub cujus lege ſibi unuſquiſque formidat, quod aliis accidiſſe videat: omnipotentis Dei miſericordiam deprecemur pro ſpiritu cari noſtri *Illius*, cujus hodie depoſitio celebratur; ut eum in æterna requie ſuſcipiat, & beata reſurrectione repræſentet. Per Dominum.

Deus, qui juſtis ſupplicationibus præſto es, qui pia vota dignaris intueri; da famulo tuo *Illi*, cujus diem depoſitionis hodie officia pia præſtamus, cum Sanctis atque Electis tuis beati muneris portionem. Per Dominum.

[3] *Dic căp.* In memoria æterna.

ITEM ORAT. ANTEQUAM ad ſepulcbrum deferatur.

[4] Deum Judicem univerſitatis, Deum, cæleſtium, & terreſtrium & infernorum Dominum deprecemur pro ſpiritu cari noſtri *Illius*; uti eum Dominus in requiem collocare dignetur, & in parte primæ reſurrectionis reſuſcitet. Per Dominum noſtrum.

Te, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſupplices deprecamur pro ſpiritu famuli tui *Illius*, quem ab originibus hujus ſæculi ad te arceſſire præcepiſti: ut digneris Domine dare ei locum lucidum, locum refrigerii & quietis. Liceat ei tranſire portas infernorum, & vias tenebrarum; maneatque in manſionibus Sanctorum, & in luce ſancta, quam olim Abrahæ promiſiſti & ſemini ejus: nullam læſionem ſuſtineat anima ejus; ſed eum magnus dies ille reſurrectionis ac remunerationis advenerit, reſuſcitare eum digneris Domine una cum Sanctis & Electis tuis: dones ei delicta atque peccata uſque ad [5] noviſſimam quadrantem; tecumque immortalitatis vitam, & regnum conſequatur æternum. Per Dominum noſtrum.

[6] Omnipotentis Dei miſericordiam, dilectiſſimi Fratres, deprecemur, cujus judicio aut naſcimur, aut finimur, ut animam fratris noſtri *Illius*, quem Domini pietas de incolatu mundi hujus tranſire præcepit, requies æterna ſuſcipiat; & eam beata reſurrectione præſentet, & in finibus Abrahæ, Iſaac, & Jacob collocare dignetur. Per.

Deus, qui univerſorum creator & conditor es, qui cum ſis tuorum beatitudo Sanctorum, præſta nobis petentibus: ut animam fratris noſtri *Illius*, corporis nexibus abſolutam, in prima Sanctorum tuorum reſurrectione facias præſentari. Per.

(1) Antiqui memores &c. *Hac oratio in Remenſi Cod. vocatur* Præfatio Defunctorum. *A Thomaſio in prælaudato Orationali*: Præfatio Defunctorum in Baſilica.

(2) *Ex memoratis mox locis lege* quo.

(3) *Interpretare*, Dicuntur Capitula: *quæ Capitula, videri poterunt apud Thomaſium in citato Orationali pag. 562. Eadem Capitula dicuntur* Capitella *in can.* XXXIII *Concil. Agath. & a Greg. Turonenſi lib.* I *de miraculis S. Martini cap.* V, *ut & a Tetradio in Regula Monachorum num.* XXI.

(4) Præfatio *adpellatur hæc prima oratio tam in Rem. Cod. quam a Thomaſio eodem in loco.*

(5) *Lege* noviſſimum.

(6) *Cod. Rem. & Thomaſ. Oration. ibi inſcriptionis loco præmittunt*: Item Præfatio.

ITEM [1] *ORAT. ad ſepulchrum, prius quam ſepeliatur.*

Oremus, Fratres cariſſimi, pro anima cari noſtri *Illius*, quem Dominus de laqueo hujus ſæculi liberare dignatus eſt, cujus corpuſculum hodie ſepulturæ [2] traditur: ut eum Domini pietas inter Sanctos & Electos ſuos, ideſt in ſinu Abrahæ, & Iſaac, & Jacob collocare dignetur: & partem habeat in prima reſurrectione, [3] quam facturus eſt, orantibus Sanctis. Per Dominum noſtrum.

Opus miſericordiæ tuæ eſt, Pater omnipotens, æterne Deus, rogare pro aliis, qui nobis non ſufficimus: ſuſcipe Domine animam ſervi tui *Illius* revertentem ad te. Adſit ei Angelus teſtamenti tui Michael. Libera eam Domine de Principibus tenebrarum, & de locis pœnarum: ne jam ullis primæ nativitatis vel ignorantiæ confundatur erroribus: agnoſcatur a tuis, & miſericordia bonitatis tuæ ad locum refrigerii & quietis in ſinum transferatur Abrahæ. Per Dominum noſtrum.

Redemptor animarum Deus æternitatem concede defunctis, neque vacuari Paſſionis triumphum mundi morte patiaris. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum.

ITEM [4] *ORAT. poſt ſepulturam.*

Debitum humani corporis ſepeliendi officium, fidelium more complentes, Deum, cui omnia vivunt, fideliter deprecemur; ut hoc corpus a nobis in infirmitate ſepultum, in virtute & ordine Sanctorum reſuſcitet; [5] & ejus animam Sanctis & fidelibus jubeat adgregari, cuique in judicio miſericordiam tribuat, quemque morte redemptum, debitis ſolutum, Patri reconciliatum, boni Paſtoris humeris reportatum, [6] in comitatu æterni Regis perenni gaudio, & Sanctorum conſortio perfrui concedat. Per Dominum noſtrum.

Omnipotens, æterne Deus, qui humano corpori ad te ipſo animam inſpirare dignatus es; dum, te jubente, pulvis pulveri rurſum redditur: Tu imaginem tuam cum Sanctis & Electis tuis, æternis ſedibus præcipias ſociari. Per Dominum noſtrum.

[7] Obſequiis autem rite celebratis, membris ex feretro depoſitis, tumulo ex more compoſito, poſt Iſrahelis exitum ex Aegypto, deprecemur clementiam Dei Patris pro anima cari noſtri *Illius*, quem Dominus de laqueo hujus mundi liberavit, [8] lucubris læthali cuique poſſis ubique eſt, & poteſtas innumerabilis habens divitias ſpiritales, animæ hujus ſubveniat ſublimis

(1) Item Oratio &c. *ita Cod. Rem. At Thomaſ.* Item Præfatio ad ſepulchrum &c.

(2) *Cod. Rem.* tradetur.

(3) *Idem Rem. Cod.* ad quam factus eſt orantibus nobis per Dominum &c.

(4) *Cod Rem. & Thomaſ.* Præfatio.

(5) *Cod. Rem.* ut ejus Spiritum & fidelibus.

(6) *Cod. Rem. & Thomaſ. Oration. ibi interſerunt* Spiritu Sancto protectum.

(7) *Thomaſianum Orationale huic orationi præmittit inſcriptionis loco* Præfatio. *In Rem. eadem hæc oratio deſideratur, cujus vice abſque ullo titulo altera indicatur, quæ incipit*: Redemptor animarum Deus, æternitatem concede functis.

(8) *Thom. in Orat.* lugubris lethalis, cuique poſſe ubique eſt.

limis Dominus: ut ardore careat æterni ignis, adeptura perpetui regni refugium coram ſuo Rege: gratificet in gaudio genitali in ſublimi ſolio Patrum præelectorum, in medio ſplendoribus Sanctorum, in ſede majeſtatis, magno in lumine, in regione, in regno vivorum. Per.

COMMENDATIO Animæ.

Commendamus tibi Domine animam fratris noſtri *Illius*; precamur propter quam ad terras tua pietate deſcenderas: Patriarcharum tuorum ſinibus inſinuare non renuas; ſed miſerere migranti in tuo nomine de hac inſtabili, & tam incerta ſempiternam illam vitam ac lætitiam in cæleſtibus: præſta Salvator mundi. Qui cum Patre vivis Dominator, & regnas Deus in unitate Spiritus Sancti in ſæcula.

ITEM ALIA

Deus, apud quem omnia morientia vivunt, cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius, te ſupplices deprecamur: ut ſuſcipi jubeas animam famuli tui *Illius*. per manus Sanctorum Angelorum deducendam in ſinum amici tui Patriarchæ Abrahæ, reſuſcitandam in die noviſſimo [1] magne judicii: & quid de regione mortali tibi contrarium contraxit, fallente diabolo, tua pietate ablue indulgendo. Per.

XCII. ITEM MISSA pro defuncto [2] Sacerdote.

Deus, [a] inter Apoſtolicos Sacerdotes famulum tuum *Illum* Pontificali feciſti dignitate vigere, præſta quæſumus, ut eorum quoque [b] & perpetuo adgregetur conſortio. [c]

Preces noſtras, quæſumus, Domine, quas in famuli tui *Illius* depoſitione deferimus, propitiatus exaudi: ut qui nomini tuo Miniſterium fidele dependit, perpetua Sanctorum ſocietate lætetur. Per.

SECRETA.

Suſcipe, quæſumus, Domine pro anima famuli & Sacerdotis tui *Illius*, quas offerimus Hoſtias; ut cui Pontificale donaſti meritum, dones & præmium. Per Dominum.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro depoſitione famuli & Sacerdotis tui *Illius* deferimus, quæſumus, Domine placatus intende: pro qua Majeſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut eum in numero tibi placentium cenſeri facias Sacerdotum. Per.

POST COMMUNIONEM.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & animam famuli tui *Illius* Epiſcopi in vivorum regione æternis gaudiis jubeas ſociare. Per Dominum.

a. *Deus, inter*. Apud Menardum, *Deus qui inter*.
b. *Et perpetuo*. Apud Menardum, *perpetuo*. c. Per.

(1) *Lege* magni.
(2) *Nomine* Sacerdotis *eo loci* Epiſcopum *eſſe accipiendum ſatis indicat inſequens proxime oratio* Poſt Commun.

XCIII. ITEM ALIA pro Sacerdote. [1]

PRæſta, quæſumus, Domine, ut anima famuli tui *Illius* Epiſcopi, quam in hoc ſæculo commorantem ſacris muneribus decoraſti, cæleſti ſede glorioſa ſemper exultet. Per Dominum noſtrum.

Deus, cujus miſericordiæ non eſt numerus, ſuſcipe pro anima famuli tui *Illius* Epiſcopi preces noſtras; & lucis ei lætitiæque in regione Sanctorum tuorum ſocietatem concede. Per.

SECRETA.

Suſcipe Domine, quæſumus, Hoſtias pro anima famuli tui *Illius* Epiſcopi: ut cui Pontificale donaſti præmium, dones & meritum. Per Dominum.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, quam tibi offerimus pro anima famuli tui *Illius* Epiſcopi, quæſumus, Domine placatus accipias: & cum Præſulibus Apoſtolicæ dignitatis, quorum eſt ſecutus officium, habere tribuas ſempiternæ beatitudinis portionem: dieſque noſtros.

POST COMMVNIONEM.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut anima famuli tui *Illius* Epiſcopi in congregatione juſtorum æternæ beatitudinis jubeas eſſe conſortem. Per Dominum noſtrum.

XCIIII. ITEM ALIA pro Sacerdote, ſive Abbate.

DEus, qui famulum tuum *Illum* Sacerdotem atque Abbatem & [2]ſanctificas unctione miſericordiæ tuæ, & adſumpſiſti conſummatione felici, ſuſcipe propitius preces noſtras: & præſta, ut ſicut ille tecum eſt meritis, ita a nobis non recedat exemplis. Per Dominum.

Omnipotens ſempiterne Deus, Majeſtatem tuam ſupplices exoramus; & famulo tuo *Illi* Abbati atque Sacerdoti, quem in requiem tuam vocare dignatus es, dones ſedem honorificatam, & fructum beatitudinis ſempiternæ: ut ea, quæ in oculis noſtris docuit & geſſit, non judicium nobis pariant, ſed profectum attribuant; [3] ut per quo nunc in te gaudemus in terris, cum eodem apud te exultare mereamur in cælis. Per.

SECRETA.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut anima famuli tui *Illius* Abbatis atque Sacerdotis per hæc ſancta myſteria in tuo conſpectu ſemper clara conſiſtat, quæ fideliter miniſtravit. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro anima famuli tui *Illius* Abbatis atque Sacerdotis offerimus, quæſumus, Domine placatus intende: pro qua Majeſtati tuæ ſupplices fundimus preces; ut eam in numero Sanctorum tuo-

(1) *Et heic Sacerdotem Epiſcopum intellige.* (2) *Legendum fortaſſe eſt* & ſanctificaſti. (3) *Lege* ut pro quo

[a] tuorum placentium facias dignanter adſcribi : dieſque noſtros.

POST COMMVN.

Profit, quæſumus, Domine animæ famuli tui *Illius* Sacerdotis miſericordiæ tuæ implorata clementia : ut ejus, in quo ſperavit & credidit, æternum capiat, te miſerante, conſortium. Per Dominum.

XCV. ORAT. AD MISSA in Natale Sanctorum, ſive agenda Mortuorum.[1]

BEati Martyris tui *Illius*, Domine, quæſumus, interceſſione nos protege : & animam famuli tui *Illius* Sacerdotis Sanctorum tuorum junge conſortiis. Per.

Adjuva nos Domine Deus noſter Beati tui *Illius* precibus exoratus : & animam famuli tui *Illius* Sacerdotis in beatitudinis ſempiternæ lucis conſtitue. Per.

SECRETA.

Suſcipe, quæſumus, Domine Hoſtias placationis & laudis, quas tibi in honore Sancti Martyris tui *Illius*, nomini tuo conſecrandas deferimus ; & pro requie famuli tui *Illius* Sacerdotis tibi ſuppliciter immolamus. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi in honore Sancti Martyris tui *Illius*, vel pro requie famuli tui *Illius* Sacerdotis offerimus, quæſumus, Domine placatus intende : pro qua Majeſtati [b] tuæ fundimus preces, ut eam in numero Sanctorum tibi placentium facias dignanter adſcribi. Quam oblationem.

POST COMMVNIONEM.

Aſcendant ad te, Domine, preces noſtræ, & animam famuli tui *Illius* gaudia æterna ſuſcipiant : ut quem feciſti [c] adoptionem participem, jubeas hæreditatis tuæ eſſe conſortem. Per Dominum.

XCVI. MISSA pro Defuncto nuper baptizato.

DEus, qui ad cæleſte Regnum nonniſi renatis[2] per quam & Spiritum Sanctum, pandis introitum, multiplica ſuper [d*] animam famuli tui *Illius* miſericordiam tuam : [e*] & cui do-

a. *Tuorum*, legendum *tibi*, ut ponitur in ſecunda columna hujus paginæ.

b. Tuæ fundimus. *leg.* tuæ ſupplices fundimus.

c. *Adoptionem*. caſtigandum eſt ita, *adoptionis*, ut ponitur in pag. 222.

d* *Anima*. Ex Miſſali Monaſterii Sublacenſis ſcripti ſub Gregorio VII, in Bibliotheca Vallicellana not. B. 24.

e* *Et cui condonaſti*.

(1) *Huic inſcriptioni lucem affundit Ven. Thomaſius*, *qui eam ita repræſentat in ſuo Oration. pag.* 569, In Natali Sanctorum ſimul & officio mortuorum. Pro defuncto Sacerdote. *Uno igitur eodemque Miſſæ officio & Natale Sanctorum, vel Sancti alicujus colebant veteres; & mortuorum memoriam. Defunctorum reſpectu Sacerdotem reſpicit præſens officium vel agenda.*

(2) P. ex aqua & Spiritu Sancto.

donaſti celerem & incontaminatum tranſitum poſt Baptiſmi Sacramentum; da ei [a*] & æternorum plenitudinem gaudiorum. Per.

ALIA.

Deus, qui omne meritum vocatorum donis tuæ bonitatis anticipas, propitiare animæ famuli tui *Illius*, [1] quæ in finem iſtius vitæ Regenerationis unda mundavit: & quem feciſti non timere de culpa, fac gaudere de gratia. Per.

SECRETA.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris pro anima famuli tui *Illius*, pro qua tibi offerimus ſacrificium laudis, ut eam Sanctorum tuorum [b] conſociare digneris. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem [c*] quam tibi offerimus Domine pro anima famuli tui *Illius*, benignus adſume, eumque Regenerationis fonte purgatum, & periculis vitæ hujus exutum, Beatorum numero digneris inſerere Spirituum. [d*] Quam oblation.

POST COMMUNIONEM.

Propitiare Domine animæ famuli tui *Illius*, ut quem in finem [e*] iſtius vitæ Regenerationis fonte mundaſti, ad cæleſtis Regni beatitudinem facias pervenire. Per.

XCVII. ITEM ALIA
Miſſa.

Deus, cujus bonitatis nullus eſt numerus, quia ſemper miſericordia tibi eſt cauſa miſerendi, exaudi pro *Illius* famuli tui anima ſupplicantes; ut illum gratia tua ſicut donavit Baptiſmo, ita donet & Regno. Per.

Deus, qui cæleſtis regni nonniſi renatis pandis introitum, auge ſuper anima famuli tui *Illius* gratiæ tuæ dona; ut quæ ab omnibus eſt purgata peccatis, a nullis ſit aliena promiſſis. Per.

SECRETA.

Oblationes noſtras, quæſumus Domine, propitiatus intende, quas tibi offerimus pro anima famuli tui *Illius*; & cui donaſti baptiſmi ſacramentum, da ei æternorum plenitudinem gaudiorum. Per.

POST COMMVNIONEM.

Aſcendant ad te, Domine, preces noſtræ, & animam famuli tui *Illius* gaudia æterna ſuſcipiant; ut quem feciſti adoptionis participem, jubeas hæreditatis tuæ eſſe conſortem. Per.

XCVIII.

a* *&c.* omittit. b. *Conſociare*. Apud Pamelium, *conſortio ſociare*.
c* *ſervitutis noſtræ &c.* d* *dieſque noſtros in tua pace diſponas &c.*
e* *vitæ iſtius*.

(1) *Lege*, quem, *vel* quam.

XCVIII. ORAT. AD MISSA pro [a] defunct. cujus deſiderantibus pœnitentiam, & minimum conſecutus. [b*]

Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos [c] *venit, fuerit* [d] *officium linguæ privatus, conſtitutum eſt, ut ſi idonea teſtimonia hoc* [e] *dixerunt, & ipſe per motus aliquos ſatisfacit; Sacerdos impleat omnia circa Pœnitentem, ut moris eſt.* [1]

ITEM AD MISSAS.

Omnipotens [f*] & miſericors Deus, in cujus humana conditio poteſtate conſiſtit, animam famuli tui *Illius*, quæſumus, ab omnibus abſolve peccatis: [2] ut pœnitentiæ fructum, quem voluntas ejus optavit, [3] præventus [g] mortalitatis non perdat. Per.

SECRETA.

Satisfaciat tibi Domine, quæſumus, pro anima famuli tui *Illius* ſacrificii præſentis oblatio, & peccatorum veniam, quam quæſivit, inveniat: & quod officio linguæ implere non potuit, [h] deſiderante pœnitentiæ, [i*] compenſatione percipiat. Per Dominum.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offert famula tua *Illa* pro anima famuli tui *Illius*, cujus depoſitionis diem *Illum* celebramus, quæſumus, Domine ut placatus accipias; & ineffabili pietate [4] concedas, ut quod exequi præventus conditione mortali, miniſterio linguæ non potuit, [5] mereatur indulgentiam ſempiternam; quæ in ejus mente non defuit, pœnitendi. Quam oblat.

POST COMMUNIONEM.

Deus, a quo ſperatur humani corporis omne, quod bonum eſt, tribue per hæc ſancta, quæſumus [k*]: ut ſicut animæ famuli tui *Illius* pœnitentiæ velle donaſti, ſic indulgentiam tribue miſeratus optatam. Per.

CXVIIII.

a. Defunct. cujus &c. Apud Pamelium legitur, *defunctis deſiderantibus pœnitentiam, & minime conſequentibus.*

*b** Ex ſupraſcripto Miſſali ſcripto ſub Gregorio VII. *Miſſa pro deſiderantibus pœnitentiam. Miſſa pro cujus anima dubitatur.* Vide in notis Benedictinorum ad cap. cx Enchiridii S. Auguſtini, Tom. VI.

c. Venit. Apud Pamelium, *veneris.* *d. Officium.* Apud Pamelium, *officio.*

e. Dixerunt. Apud Pamelium, *dixerint.*

f ſempiterne Deus.* *g. Mortalitatis.* Apud Pamelium, *mortalitate.*

h. Deſiderante. Apud Pamelium, *deſideratæ.* *i* comparatione.*

k Sancta quæ ſumpſimus, ut ſicut.*

(1) *Conferantur ea quæ ſupra occurrunt ad p. 55 de reconciliatione pœnitentis ad mortem. Hoc Miſſæ Officium ad illos ſpectabat pœnitentes, qui morte præveniente publicam pœnitentiam, quam tamen exoptabant, aut ſuſcipere, aut implere non potuerunt.*

(2) *P, & R.* & pœnitentiæ.

(3) *Cod. R.* præventus conditione mortalitatis.

(4) *P.* concordat, *ſed mendoſe.*

(5) *P, & R.* mereatur indulgentia ſempiterna: dieſque noſtros &c.

XCVIIII. ORAT. pro defunctis Laicis.

ITEM VNIVS Defuncti.

OMnipotens ſempiterne Deus, cui nunquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur, propitiare animæ famuli tui *Illius*; ut qui de hac vita in tui nominis confeſſione deceſſit, Sanctorum tuorum numero facias adgregari. Per.

SECRETA.

Propitiare, quæſumus Domine, animæ famuli tui *Illius*, pro qua tibi hoſtias placationis offerimus: & quia in hac [a] luce fide manſit Catholica, ei in futura vita ejus retributio condonetur. Per.

[b] **SECRETA.**

Hanc igitur oblationem, quam tibi [1] pro requie & anima famuli tui *Illius* offerimus, quæſumus, Domine placatus accipias, & tua pietate concede; [2] ut mortalitatis nexibus abſolutam, inter fideles tuos habere conſtituas portionem. Per.

POST COMMVNIONEM.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut anima famuli tui *Illius* ab Angelis lucis ſuſceptam, [3] in præparatis habitaculis deduci facias Beatorum. Per.

C. IN AGENDA plurimorum.

PRæſta, quæſumus Domine, animabus famulorum famularumque tuarum miſericordiam ſempiternam; ut mortalibus nexibus expeditas, lux eas æterna poſſideat. Per.

ALIA.

Deus, cui ſoli competit medicinam præſtare poſt mortem, tribue quæſumus; ut animæ famulorum famularumque tuarum ab omnibus exutæ peccatis, in Electorum tuorum ſocietatibus adgregentur. Per.

SECRETA.

Hoſtias tibi, Domine, humili placatione deferimus, ut animæ famulorum famularumque tuarum per hæc placationis officia perpetuam miſericordiam conſequantur. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi [4] pro requie & animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, quæſumus Domine, propitius intuere; & concede, ut & mortuis proſit ad veniam; quod cunctis viventibus præparare dignatus es ad medelam. Quam oblationem.

POST COMMVNIONEM.

Inveniant, quæſumus, Domine animæ

a. *Luce fide*. Apud Pamelium, *luce*, *in fide*.
b. Secreta. *leg*. Infra Actione.
c. *Ut anima*. Apud Pamelium, *ut animam*.

(1) *O*, *P*, *R*. pro requie animæ famuli tui.
(2) *O*, & *R*. ut mortalibus nexibus abſoluta, inter fideles tuos mereatur portionem. *P*. ut mortalitatis nexibus abſoluta, inter fideles tuos mereatur habere portionem.
(3) *O*. in præparata habitacula deduci.
(4) *O*, *P*, *R*. *ibi ajunt*, pro requie animarum famulorum &c.

animæ famulorum famularumque tuarum omnium in Chriſto quieſcentium lucis æternæ conſortium; qui in hac luce poſiti, tuum conſecuti ſunt Sacramentum. Per.

CI. ITEM ALIA MISSA.

Fidelium Deus omnium conditor, & Redemptor [a] animarum, famulorum famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur. Per Dominum.

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices exoramus; ut animæ famulorum famularumque tuarum ab omnibus, quæ per humanitatem commiſerunt, exutæ, in tuorum cenſeantur ſorte juſtorum. Per.

SECRETA.

Hoſtias, quæſumus Domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, propitiatus intende: [b] & quibus fidei Chriſtianæ meritum contuliſti, dones & præmium. Per Dominum.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro commemoratione animarum in pace dormientium, [1] ſuppliciter immolamus, quæſumus Domine benignus accipias: & tua pietate concede, ut & nobis proficiat hujus pietatis affectus, & illis impetret beatitudinem ſempiternam. Per.

POST COMMUN.

Animabus, quæſumus, Domine famulorum famularumque tuarum *Illi* oratio proficiat ſupplicantium; ut eas & a peccatis exuas, & tuæ redemptionis facias eſſe participes. Per.

CII. ITEM ALIA MISSA.

Animabus, quæſumus, Domine famulorum famularumque tuarum miſericordiam concede perpetuam; ut eis proficiat in æternum, quod in te ſperaverunt & crediderunt. Per.

SECRETA.

His, quæſumus Domine, placatus intende muneribus; & quod ad laudem tui nominis ſupplicantes offerimus, ad indulgentiam proficiat defunctorum. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum venerantes deferimus, quæſumus, Domine placatus intende; & tua dignatione concede, ut mortis vinculis abſoluti, tranſitum mereantur ad vitam. Per.

a. *Animarum*. Apud Pamelium, *animabus*.
b. *Et quibus*. Apud Pamel. *ut quibus*.

(1) O, & R. ſupplices.

POST COMMVN.

Supplices, quæſumus Domine, pro animabus famulorum tuorum preces effundimus, ſperantes, ut quicquid converſatione contraxerunt humana, & clementer indulgeas, & in tuorum ſede lætantium conſtituas redemptorum. Per.

CIII. ITEM ALIA MISSA in Cymiteriis.

DEus cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt, famulis tuis *Illis*, & *Illis*, vel omnibus hic quieſcentibus da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus [a] abſolutis ſine fine lætentur. Per.

ALIA.

Omnipotens ſempiterne Deus annue precibus noſtris, ea quæ poſcimus, & dona omnibus, quorum hic corpora requieſcunt, refrigerii ſedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem: & qui peccatorum ſuorum pondere prægravantur, eis ſupplicatio commendet Eccleſiæ. Per.

SECRETA.

Pro animabus famulorum tuorum [b] & *Illorum*, & hic [1] omnium dormientium hoſtiam Domine ſuſcipe benignus oblatam: [c] & hoc ſacrificio ſingulari vinculis horrendæ mortis [d] exutæ, vitam mereantur æternam. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus Domine pro tuorum requie famulorum & famularum *Illi*, & *Illi*, & omnium fidelium Catholicorum Orthodoxorum in hac Baſilica in Chriſto quieſcentium, & qui in circuitu hujus Eccleſiæ tuæ requieſcunt; quæſumus, Domine placatus accipias, [2] ut per hæc ſalutis humanæ ſubſidia in tuorum numero redemptorum, ſorte perpetua [3] cenſeantur: dieſque noſtros. Per.

POST COMMVNIONEM.

Deus, fidelium lumen animarum, adeſto ſupplicationibus noſtris, & da omnibus, quorum corpora hic quieſcunt, refrigerii ſedem, [e] quietem beatitudinem, luminis claritatem. Per Dominum.

CIIII. ITEM ALIA Miſſa.

ADeſto, quæſumus Domine, pro animabus famulorum famularumque tuarum, & omnium hic quieſcentium; ut ſi quæ carnales maculæ in eis

a. *Abſolutis*. Apud Pamel. *abſoluti*.
b. *Et illorum*. Apud Pamelium, *Illorum*, & *Illarum*.
c. *Et hoc ſacrificio*: Apud Pamelium, *ut hoc ſacrificio*.
d *Exutæ*. Apud Pamelium, *exuti*.
e. *Quietem*. Apud Pamel. *quietis*.

(1) *O*, *P*, *R*. & omnium catholicorum. (2) *O*, & per hæc. (3) *Idem O*, cenſentur.

eis de terrenis contagiis inhæſerunt, miſerationis tuæ venia deleantur. Per.

Inclina, quæſumus, Domine aures tuas ad preces noſtras, pro quibus miſericordiam tuam ſupplices exoramus; ut animas famulorum famularumque tuarum in pacis ac lucis regione conſtituas, & Sanctorum jubeas eſſe conſortes. Per.

SECRETA.

Munera, quæſumus, Domine, quæ tibi pro requie & animabus famulorum famularumque tuarum omnium in Chriſto quieſcentium offerimus, ad earum redemptionem proficiant. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro defunctis offerimus, quæſumus, Domine propitiatus accipias; & miſerationis tuæ largitate concedas, ut ab omnibus, quæ per terrenam converſationem traxerunt, his ſacrificiis emundentur. Per.

POST COMMVNIONEM.

Multiplica Domine ſuper animas famulorum famularumque tuarum miſericordiam tuam; & [1] cui donaſti Baptiſmi Sacramentum, da eis æternorum plenitudinem gaudiorum. Per.

CV. ITEM MISSA in depoſitione Defuncti [2] Tertii, Septimi, xxxmi dierum, vel Annualem.

Adeſto, quæſumus, Domine pro anima famuli tui *Illius*, cujus in depoſitione ſua officium commemorationis impendimus: ut [3] ſi qua cum ſæcularis macula [4] invaſit, aut vitium mundiale infecit, dono tuæ pietatis indulgeas & extergas. Per Dominum noſtrum.

Quæſumus [a] Domine ut famulo tuo, [5] cujus ſeptimum obitus ſui diem commemoramus, Sanctorum atque Electorum largire conſortium: [b] & rore miſericordiæ tuæ perennis infunde. Per.

Deus indulgentiarum Domine, da famulo tuo *Illi* cujus anniverſarium depoſitionis diem commemoramus, refrigerii ſedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem largiaris. Per.

SECRETA.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hanc oblationem quam tibi offerimus ob diem depoſitionis [6] GI, *vel* XXX, pro anima famuli tui *Illius* placitus ac benignus adſume. Per.

a. Domine ut famulo. Apud Menardum, *Domine famulo*.

b. Et rore miſericordiæ tuæ perennis. Apud Menard. *& rore miſericordiæ tuæ perennem*.

(1) *Legendum* & quibus.

(2) *Amalarius lib.* IV *de Eccl. Offic. cap.* XLII *initio ait*: Habemus ſcriptum in quodam Sacramentario, quod officia mortuorum agenda ſunt circa tertiam diem, & ſeptimam & trigeſimam. *Videatur & vulgatus Alcuinus de hoc agens: e recentioribus vero conſuli poterit Menardus in Concordia Regularum cap.* VII. §. XI.

(3) *M.* ut ſi aliqua.

(4) *Idem M.* inhæſit.

(5) *Rurſus M*, cujus tertium, vel VII, vel XXX, obitus ſui.

(6) *M*, tertium, vel ſeptimum, ſive trigeſimum.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi offerimus pro anima famuli tui *Illius*, cujus depoſitionis diem GI. *vel* XXX. celebramus, quod depoſito corpore, animam tibi creatori reddidit, quam dediſti: pro quo petimus divinam clementiam tuam, ut mortis vinculis abſolutus, tranſitum mereatur ad vitam. Per.

POST COMMUN.

Omnipotens ſempiterne Deus conlocare dignare corpus & animam [1] & ſpiritum famuli tui *Illius*, cujus diem [2] VII, *vel* XXX. ſive depoſitione celebravimus, in finibus Abrahæ, Iſaac, & Jacob: ut cum dies agnitionis tuæ venerit, inter Sanctos & Electos tuos eum reſuſcitare præcipias. Per.

CVI. ITEM ORATIO ad Miſſ. pro ſalute vivorum.

PRætende Domine [a] miſericordiam tuam famulis & famulabus tuis, dexteram cæleſtis auxilii; ut te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, adſequantur. Per.

SECRETA.

Propitiare [3] ſupplicationibus noſtris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum [b], quam tibi pro incolumitate eorum offerimus, benignus adſume: [c] ut nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio; præſta, quæſumus, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per.

INFRA ACTIONEM.

Hanc igitur oblationem Domine famulorum famularumque tuarum, quam tibi offerimus ob devotionem mentis eorum, pius ac propitius clementi vultu ſuſcipias: tibi ſupplicantes libens protege, dignanter exaudi, & æterna eos protectione conſerva: ut ſemper in tua religione lætantes, inſtanter in Sanctæ Trinitatis confeſſione fide [4] Catholica perſeverent: dieſque noſtros.

POST COMMUNIONEM.

Da famulis & famulabus tuis, quæſumus, Domine in tua fide & ſinceritate conſtantiam: ut in charitate divina [5] firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur. Per Dominum.

CONTESTATIO. [6]

VD Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem ſalus mundi, per quem vita omnium, per quem reſurrectio mortuorum. Per ipſum te, Domine, ſuppliciter deprecamur, ut anima famuli tui *Illius*, cujus diem

Illum

a. *Miſericordiam tuam*. Apud Pamel. duo hæc verba omittuntur.
b. *Quam tibi*. Apud Pamel. *quas tibi*.
c. *Ut nullius*. Apud Pamel. *& ut nullius*.

(1) *Voces* & ſpiritum, *quæ ſane ſuperabundant, omittit S. Eligii Codex*.
(2) *Idem*, cujus diem III, vel VII, &c.
(3) Domine *ibi addunt noſtra Greg. exempla*.
(4) O. & R. & fide catholica.
(5) P. formati.
(6) Conteſtatio *idem ac Miſſæ* Præfatio. *De ea voce paullo inferius dicturi ſumus*.

Illum celebramus, indulgentiam largiri perpetuam digneris: atque contagiis mortalitatis exutam, in æternæ ſalvationis partem reſtituas cum Angelis & Archangelis.

INCIPIT AD PAENITENTIAM dandam [1]

Dicis Pſalmum VI. *totum*: *& iterum dicit*: Oremus. *& incipiens Pſalm.* CII. *uſque*: Renovabitur ſicut aquilæ juventus. *Dicis deinde* [a*] *Pſalmum quinquageſimum*: *poſt hoc Oratio ſequitur*.

Deum omnipotentem ac miſericordem, qui non vult mortem peccatorum, ſed ut convertantur & vivant; [2] Fratres cariſſimi ſupplices deprecemur; ut converſo ad viam rectam famulo ſuo *Illo*, miſericordiæ ſuæ veniam propitiatus indulgeat: & ſi qua ſunt culparum ſuarum omnium vulnera, quæ poſt ſacri Lavacri unda contraxit; ita in hac publica confeſſione delicta ſanentur, ut nulla in eum ultra cicatricum ſigna remaneant. Per Dominum noſtrum.

Deus juſtorum gloria, miſericordia peccatorum, da huic famulo tuo *Illi* plenam indulgentiæ veniam, & pœnitentiæ loco exoratus indulge, ut qui præterita peccata deplorat, futura mala non ſentiat; neque jam ulterius lugenda committat. Dimitte ei Domine omnia crimina; & in ſemitis eum juſtitiæ placatus reinſtaura, ut ſecurus mereatur deinceps inter tuos benemeritis currere, & ad pacis æternæ præmia pervenire. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Domine Deus omnipotens ſempiterne, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti, ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis; ut quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per Dominum.

MISSALE

Explicit Liber Sacramentorum. Deo Gratias.

Sicut navigantibus dulcis eſt portus;
Sic Scriptori noviſſimus verſus.

[a*] Hic Pſalmus L dicitur a Sacerdote ſuper Pœnitentem. Caſſiodorus in eundem Pſalmum, in Concluſione.

(1) *Præſens ad dandam pœnitentiam Ordo ex Cod. Colbertino annorum* DCCC *vulgavit & Edmund. Martene in lib.* I, *de antiquis Eccleſiæ Ritibus cap.* VI, *art.* VIII; *quem ordinem adhibitum fuiſſe retur doctus editor in quotidianis Confeſſionibus. Verum adnotemus neceſſe eſt, in prima ejuſdem ordinis Oratione* Deum omnipotentem &c. *quæ unica legitur in prælaudato Cod. Colbertino, agi de publica peccatorum confeſſione. Quid autem diſcriminis interſit inter ordinem hunc, & illum occurrentem Feria* V *majoris hebdomadæ ſuperiori pag.* 52, *& ſequentibus aliis, dicere non præſumſerim. Hoc unum certum unicuique eſſe poteſt illum eſſe præ iſto ſollemniorem.*

(2) *Cod. Colb. apud citatum Martene*, Fratres cariſſimi precamur.

Digitized by Google

[1] *MISSALE GOTHICUM* [a]

[b] *COLL.* [2] *POST NOMINA*

GRATA tibi ſit, Domine quæſumus, hodiernæ Feſtivitatis oblatio : ut, tua gratia largiente, per hæc ſacroſancta commercia in illius inveniamur forma ; in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia. Spiritibus quoque carorum noſtrorum tribue, ut mortalibus ſegregati cœtibus, literis mereantur conſcribi cæleſtibus. Præſta per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viu. dom.

Collectio ad Pacem. [3]

Da nobis, quæſumus, Domine, ut ſicut adoranda Filii tui natalitia celebra-

a. Sive GALLICANUM vetus.

b. Pars Miſſæ Vigiliæ Natalis Domini.

(1) *Mſ. Codici, qui poſtquam eſt a Ven. Thomaſio Typographorum formis vulgatus, in ea Bibliothecæ Vaticanæ parte, quæ Alexandrina, vel Regio-Vaticana dicitur, inlatus fuit ſub numeri nota* 317, *a recentiori Scriptore, uti obſervaverat doctiſſimus Card. Jo. Bona lib. I Rerum Liturg. cap.* XII, *num.* VI, *factus eſt titulus* MISSALE GOTHICUM. *Eumdem Thomaſius dixit &* GALLICANUM VETUS; *Mabillonius vero* GOTHICO-GALLICANUM. *Denominationis rationem aperiunt tres illi præclariſſimi ſacrarum antiquitatum acres inveſtigatores Card. Bona, Thomaſius, atque Mabillonius; quod nimirum liber pertinuerit olim ad aliquam Eccleſiam Galliæ Narbonenſis Gothorum imperio ſubjecta. Conſule quos laudavimus viros eximios.*

(2) Deſunt hic in Miſſa Vigiliæ Natalis Domini Præfatio, ſeu adhortatio ad Miſſam rite celebrandam, & Collectio ante Epiſtolam, ut ex aliis Miſſis intelligitur. *Mabill.*

Cetera non ſolum pars aliqua Miſſæ vigiliæ Natalis Domini hac in veteri membrana deſideratur, ſed & alia nonnulla, quæ eamdem Miſſam præcedere deberent; de quibus placet heic adferre clariſſ. Mabillonii conjecturam ex num. 5 *lib.* III *Liturg. Gallic. pag.* 176, *ubi ait* : Huic codici aliqua initio deeſſe ex Cardinale Bona & Thomaſio diſcimus : ſed quid illud ſit, neuter explicat. Mihi vero non difficile videtur conjicere ex numerica nota III, quæ ad officium Natalis Domini præfigitur. Hæc enim nota indicat tria deeſſe officia, quorum unum eſt in vigilia Natalis Domini, in codice imperfectum. Duo itaque reſtant, quæ de Adventu fuiſſe colligimus ex tertio Miſſali, quod dicitur *vetus Gallicanum*, in quo duæ tantum Miſſæ *de Adventu Domini* ante officium pro vigilia Natalis Domini aſſignantur. Hæ duæ Miſſæ ſi in illo Gothico ſuppleantur, vix quidquam deerit ad ejus abſolutionem præter paucula, quæ in fine exciderunt. *Hæc Mabillonius. Demum ne prætermitti aliquid a nobis videatur : quod ibi compendiaria nota* COLL. *hoc eſt* Collectio, *ſcribitur,* orationem, *aliis collectam ſignificat : eo enim nomine orationes Miſſæ vocantur in can.* XXX *Concilii Agathenſis celebrati anno* DVI *ajente* : Quia convenit ordinem eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri, ſtudendum eſt, ut ſicut ubique fit, & poſt antiphonas COLLECTIONES per ordinem ab epiſcopis vel presbyteris dicantur. *Dicitur vero* Collectio poſt nomina, *ſcilicet, Sanctorum quorum in memoriam ſacrificium Deo offerebatur, & viventium atque defunctorum pro quibus offerebatur. Ritus porro fuit veteris Eccleſiæ Orientalis, Gallicanæ, ſicut & Mozarabum poſt oblationem in Miſſis ſollemniis illorum omnium nomina recitare, & diptycha legere, quibus deſcripta erant omnium Epiſcoporum nomina, qui in communione catholica deceſſerant : Quem tamen ritum improbat Innoc. I. in Epiſt. ad Decentium cap.* II. *Hac de re præ ceteris videatur prælaudatus Mabillonius Liturg. Gall. lib.* I, *cap.* V, *numeris* 12, 13, & 14. *Menard. not.* 69. & *Petrus Conſtant in prælaudatam Innocentii epiſtolam.*

(3) *Abſoluta Collectione poſt nomina pacis oſculum ſibi invicem dabant fideles juxta Mozarabum & veteres Gallicanos ritus, ac deinde orationem hanc pronunciabat Sacerdos, quæ ideo dicitur ad pacem; de qua videri poterit can.* XIX. *Concil. Laodiceni.*

Digitized by Google

braturi, ab hodiernis vigiliis in confeſſione tui nominis prævenimus; ſic ejus munere capiamus ſempiternum. Et dirigere dignare Angelum Pacis, qui oſcula noſtra puris ſenſibus inligata connectat: noſque tibi ab omnibus peccatorum maculis expurgatos, adjungat. Per coæternum tibi Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum.

[1] *Immolatio Miſſæ.*

Dignum & juſtum eſt. Vere dignum & juſtum eſt nos tibi gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, amanda pietas, tremenda virtus, veneranda majeſtas. Qui hanc noctem venturam, toto orbe venerandam, cælorum gratulatione, & terrarum remuneratione, Angelica exultatione ditaſti; ut naſcente in carne Domino noſtro Jeſu Chriſto Filio tuo, ſuperiora pariter & inferiora gauderent. Aſpice nunc familiam tibi ſupplicem: conſerva populum tuis laudibus perſonantem: & ſuperventuræ [2] noctis ſolemnitati ita pervigiles redde, ut ſinceris mentibus Domini noſtri percipere mereamur Natalem venturum. In quo inviſibilis ex ſubſtantia tua, viſibilis per carnem apparuit in noſtra: Tecumque unus, non tempore genitus, non natura inferior, ad nos venit ex tempore natus. Per cujus nativitatem indulgentia criminum conceditur, & reſurrectio non negatur. Merito itaque omnis terra adorat te, & confitetur tibi. Sed & cæli cælorum, & Angelicæ Poteſtates non ceſſant laudare dicentes:

[3] *Sanctus, Sanctus, Sanctus,*

Coll. poſt Sanctus.

Vere Sanctus, vere benedictus Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus, manens in cælis, manifeſtatus in terris. [4] Ipſe enim pridie quam pat.

[5] *Poſt Myſterium.*

Hæc facimus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, commemorantes & celebrantes Paſſionem Vnici Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri. Qui tecum vivit & regnat cum Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum.

Ante Orationem Dominicam.

His precibus te, Deus Pater omnipotens,

(1) *Quæ ibi* Immolatio Miſſæ, *& infra* Conteſtatio *vocatur*, *Mozarabis* Inlatio, *nobis vero* Præfatio. Conteſtationis *vocem*, *qua & circa finem Codicis Gelaſiani ſuperius occurrit*, *hoc ſignificatu uſurpatam invenies apud Gennadium in cap.* LXXIX *de viris illuſtribus narrantem Muſæum presbyterum Maſſilienſem*, *qui poſt annum* CCCCL *obiit*, *compoſuiſſe librum Sacramentorum* ſupplicandi Deo, & CONTESTANDI beneficiorum ejus ſoliditate ſui conſentaneum. *Invenies & apud Gregorium Turonenſem in lib.* II *de miraculis Sancti Martini cap.* XIV, *ubi legitur*; Factum eſt autem ut in die inſignis ſollemnitatis beati Viri, nobis Miſſas dicentibus, cum nos rite ſacroſancta ſollemnis celebrando, CONTESTATIONEM de Sancti Domini virtutibus narraremus, ſubito &c.

(2) Hinc patet, hanc Miſſam eſſe de vigilia Natalis Domini. *Mabill.*

(3) *Gregor. Turon. loco paullo ſuperius laudato ait*: At ubi expedita Conteſtatione, omnis populus SANCTUS in laudem Dei proclamavit.

(4) Breviſſimus Canon in omnibus Miſſis Gallicanis: varius pro variis diebus. *Mabill.*

Conſulatur ejuſdem Mabill. cap. V *lib.* I *de Liturg. Gall. numeris* 17 *&* 18.

(5) Poſt Myſterium, *hoc eſt poſt panis & vini conſecrationem*: *Mozarabes*, *quibus, notatione Mabill. adlegato ſuper cap.* V *num.* 20, *huic noſtra ſimilis eſt tota Canonis ſeries*, *licet diverſa ſint Orationes*, *illam hujus loci inſcribunt*, Poſt Pridie.

potens, deprecamur, quibus nos Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus orare præcepit, dicens: [1] Pater noſter.

Poſt Orationem Dominicam.

Libera nos a malo omnipotens Deus, & cuſtodi in bono. Evacua nos vitiis, & reple virtutibus; & bona nobis tam præſentia, quam æterna concede. Per Dominum noſtrum Jeſum Filium tuum.

Benedictio Populi. [2]

Deus, qui adventum tuæ Majeſtatis per Angelum Gabrihelem, prius quam deſcenderes, nuntiare juſſiſti. *Amen.*

Qui ſine initio ſempiternus es, terras inluſtrare per Virginem, tartara Javare dignaſti per Crucem. *Amen.*

Præſta, ut hic populus tuus in præceptis obedienter ambulans, ſicut eſt partus Virginis ſingularis, ita eos benedictionum tuarum veri luminis ymbrem infundas. *Amen.*

Et tentationum inſidias, vel aculeos tentatoris, ſpiritalibus armis accinctos Adverſarii tentamenta, & præſentis vitæ inlecebras in tuo nomine facias ſuperare. *Amen.*

Et primæ nativitatis, & ſecundæ regenerationis Auctorem ſuum ſciant eſſe, quod natum eſt; ſeque tibi intelligant debere, quod ſanctum eſt. *Amen.*

Quod ipſe præſtare digneris: qui cum Patre & Spiritu ſancto vi. & reg.

Poſt Communionem.

Cæleſti cibo potuque roborati, omnipotenti Deo laudes & gratias, Fratres cariſſimi, referamus, poſcentes, ut nos, quos dignos habuit participatione Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti Vnigeniti ſui, dignos etiam cæleſti remuneratione perce nſeat. Per ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum.

Collectio ſequitur.

Quod ore ſumpſimus, Domine, mentibus capiamus; & de munere temporali, fiat nobis remedium ſempiternum.

(1) *Non a ſolo Sacerdote, ſed & ab adſtante populo prolatam apud Gallos fuiſſe orationem Dominicam in Miſſarum ſollemniis, colligitur ex Gregorio cap. xxx lib. II de miraculis S. Martini, & quidem juxta Græcanicum morem, quem denotat Gregorius Magnus in epiſt.* XII, *lib.* IX *juxta novam editionem, ajens:* Sed & Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur: apud nos vero a ſolo Sacerdote.

(2) *En* benedictionis *illius exemplum, quæ ab Epiſcopo dabatur populo inter Orationem Dominicam & ſacram Communionem, de qua loquuti ſumus pag.* 177, *not.* (1) *quamque noſtri Miſſalis reſpectu expendit Mabillonius num.* 11, *cap.* IV *lib.* I *Liturg. Gallic.*

IIII. ORDO MISSAE [1] *in die Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Collectio poſt Prophetia. [2]

ORtus es nobis verus Sol juſtitiæ, Jeſu Chriſte. Veniſti de cælo humani generis Redemptor. Erexiſti nobis cornu ſalutis; & celſi Genitoris Proles perpetua, genitus in domo David propter priſcorum oracula Vatum, propriam volens abſolvere plebem, & vetuſti criminis delere chyrographum, ut æternæ vitæ panderes triumphum. Ideoque nunc te quæſumus, ut in miſericordiæ tuæ viſcera noſtris appareas mentibus, ſalus æterna: & nos, eripiendo ab iniquo hoſte, juſtitiæ cultores efficias: omnique mortis errore ſpreto, pacis viam recto itinere gradientes, tibi recte ſervire poſſimus, Salvator mundi. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis dominaris & regnas Deus in ſæcula ſæculorum.

Collectio poſt Precem. [3]

Exaudi Domine familiam tibi dicatam, & in tuæ Eccleſiæ gremio in hac hodierna ſolemnitate Nativitatis tuæ congregatam, ut laudes tuas exponat

(1) Hic unica Miſſa in Natali Domini, unica etiam in Lectionario Gallicano, præter Miſſam de vigilia ipſius Natalis. *Mabill.*

Unicam etiam hac die Miſſam invenies in Sacramentario Gallicano, Muſei Italici tom. 1, pag. 290. Unde conſtat veteres Gallos una cum Mozarabis, & Ambroſianis, juxta horum ritum a Pamelio vulgatum, unam tantum hac die Miſſam celebrare conſuevisse, ſecus ac a Romanis fieret; quorum morem tres celebrandi Miſſas in Nativitate Domini ab uno eodemque Sacerdote, a ſimili Stationum numero ſenſim invaluiſſe opinatur idem Mabillonius in obſervationibus ad Lectionarium Gallicanum hac die: quum primitus tres illæ Miſſæ non a ſingulis, ſed a tribus Sacerdotibus celebrarentur. Qua in re exoptarem ut apertiora proferri poſſent teſtimonia præ illis, quæ ex Gregorio Turonenſi, aut ex Rom. Ordine Hittorpii in medium proferuntur.

(2) Poſt Prophetia, *hoc eſt, poſt Lectionem Prophetæ, quæ hac die ex Iſaia deſumebatur, ubi nimirum capitibus VII, VIII, & IX de Verbi divini Incarnatione & Chriſti Nativitate agit; quemadmodum ex memoratis Lectionario atque Sacramentario Gallicanis conſtat. An vero Prophetiam continuo exciperet Collecta, vel* Pſalmus *aliquis* Reſponſorius, *qui noſtri temporis* Gradali, *vel* Tractui *reſponderet, mihi ſatis compertum non eſt; neque hic ſibi conſtare omnino videtur doctus cæteroquin Mabillonius. Quandoquidem de Liturg. Gallic. lib. 1, cap. V, num. 4 aperte docet Prophetiam ſequi* Pſalmum Reſponſorium, *& in Lectionario Gallicano abſoluta Prophetia indicatur* Danihel cum Benedictione, *hoc eſt hymnus trium puerorum. In notis vero ad Sacram.* Gallicanum *pag. 278 ordinem Miſſæ deſcribens, ait.:* Poſt Prophetiam Collectio: poſt Epiſtolam reſponſorius Pſalmus: *& in præſenti Miſſali Gothico paullo inferius ad* Collectionem poſt Precem, *quæ hanc* poſt Prophetiam *ſtatim excipit, adnotavit:* id eſt poſt hymnum trium puerorum, quem in Miſſa Natalis Domini poſt Epiſtolam uſitatum fuiſſe dictum eſt, *in prælaudata ſcilicet ad Gallicanum Lectionarium obſervatione. Si* Pſalmus Reſponſorius *Prophetæ lectionem continuo ſequitur, qui fieri poteſt ut lectionem epiſtolæ D. Pauli excipiat? Et ſi hanc ſequitur, quomodo ſe habet præſens noſtra inſcriptio* Collectio poſt Prophetiam? *Nodum obſervo, qui autem ſolvatur, veterum documentis deſtitutus, certus dicere etſi non audeam; crediderim tamen poſt Prophetiam, recitatam a Sacerdote continuo fuiſſe* Collectionem, *quæ ideo* poſt Prophetiam *dicitur: deinde ex novo Teſtamento Lectionem, ex epiſtolis canonicis deſumtam, ex Actibus Apoſtolorum &c. Quam deinde exciperet* Pſalmus Reſponſorius, *& iſtum* Collectio poſt Precem: *deinde Evangelii Lectionem. Clariſſ. Theodoricus Ruinart ad hanc opinionem accedit in eo, quod dedit, ſpecimine Miſſæ Gallicanæ, in Appendice ad Gregorii Turonenſis Opera pag. 1357, & ſequentibus. Vult tamen hac die* Danihelem cum benedictione, *ſive Canticum trium puerorum, non tenere locum Pſalmi Reſponſorii, ſed cantari conſuevisse inter* Collectionem poſt Prophetiam, *& illam* poſt Precem, *procul dubio ob Gallicani Lectionarii auctoritatem. Lecta vero Epiſtola ex novo Teſtamento idem Ruinartus ponit* Pſal. Reſponſ. *& continuo Evangelium.*

(3) *Id eſt poſt Pſalmum Reſponſorium: vel juxta Ruinartum hac die poſt hymnum trium Puerorum. Expende quæ diximus ſuperiori adnotatione.*

nat. Tribue captivis redemptionem, cæcis viſum, peccantibus remiſſionem; quia tu veniſti, ut ſalvos facias nos. Aſpice de cælo ſancto tuo, & inlumina populum tuum, quorum animus in te plena devotione confidit, Salvator mundi. Qui vivis.

[1] *Præfatio Miſſæ.*

Sacroſanctum Beatæ Nativitatis diem, in quo naſcente Domino, Virginalis uteri arcana laxata ſunt, incorruptorumque genitalium pondus, ſæculi levamen effuſum eſt; ſicut exoptavimus votis, ita veneremur & gaudiis. Hic nanque ortus, die ſplendidior, luce coruſcantior eſt. In hoc omnipotentem Deum, qui terrenam fragilemque materiam cauſa noſtræ redemptionis adſumpſit, Fratres dilectiſſimi, ſupplices deprecemur: uti nos, quos ortu corporis viſitavit, ſocietate converſationis edocuit, præcepto prædicationis inſtituit, deguſtatione mortis redemit, participatione mortis amplexus eſt, Divini Spiritus infuſione ditavit, ſub perpetua devotione cuſtodiat; & in his beati famulatus ſtudiis permanere concedat. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum.

[2] *Collectio ſequitur.*

Deus, qui dives es in miſericordia, qua mortuos nos peccatis, convivificaſti Chriſto Filio tuo, ut formam ſervi acciperet, qui omnia formavit: ut qui erat in deitate, generaretur in carne: ut involveretur in pannis, qui adorabatur in ſtellis: ut jaceret in præſepio, qui regnabat in cælo: invocantibus nobis aurem Majeſtatis tuæ propitiatus adcommoda, donans hoc per ineffabilem tuæ miſericordiæ caritatem: ut qui exultamus de Nativitate Filii tui, qui vel ex Virgine natus, vel ex Spiritu ſancto regeneratus eſt, pareamus præceptis ejus, quibus nos edocuit ad ſalutem. Præſta per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum.

Collectio poſt nomina.

Suſcipe, quæſumus, Domine Jeſu, omni-

(1) *Ab hac Præfatione juxta proprium ſuæ gentis ritum conſueviſſe veteres Gallos Miſſæ ſollemnia exordiri, atque huic diei ſingulare eſſe, quod hoc in loco, & non ipſo Miſſæ initio legatur noſtro in præſenti Miſſali eadem hæc Præfatio, docet Mabillonius lib. 1 de Liturg. Gall. cap. v, n. 3. Idque quod ſubſequentes Miſſæ omnes ordiantur a* Præfatione. *Verum pace tanti viri res ita ſe non habebat: Præfationi excipiebant Galli* Evangelii *lectionem, niſi aliquando aliquid aliud inter Evangelium atque Præfationem eſſet agendum. Quod facile evincetur obſervando præſens Miſſale ea, quæ Lectiones ſive veteris ſive novi Teſtamenti adtinent, aut* Evangelii*, non habere. Legebantur enim in Miſſa ſollemniis ex altero Codice, quemadmodum & apud Romanos de libro* Comicis *ſive de* Lectionario. *Exemplar Codicis Bobienſis una cum Sacramentario & Lectionarium exhibet: & in ſingulis Miſſæ Officiis Præfationi huic Lectiones præmittit: quo ſane monſtratur has illam præcedere debuiſſe. Præfationem primum in Miſſa locum occupaſſe vult Mabillonius, quod in ſingulis fere officiis cetera cuncta præcedat. At nullibi reperiet* Collectionem poſt Prophetiam*, aut illam poſt* Precem *Præfationem ſubſequi, quemadmodum juxta illius opinionem contingere deberet. Et ſi noſtrum hoc Miſſale eas Collectiones ſolum hac die effert, & infra in die Sancto Paſchatis, pronum cuique eſt conjicere vel aliis in Miſſæ officiis de communi aliquo loco deſumi illas debuiſſe, vel hiſce ſollemnioribus diebus fuiſſe tantummodo uſitatas.* Cetera Præfationis *nomine hic uſurpatione ab ea diverſa, quæ in Miſſalibus noſtræ ætatis occurrit, intelligimus Sacerdotis orationem, qua circumſtantium animi præparantur ad Miſſam.*

(2) *Apud Rumnetum ea* Collectio *vocatur &* Miſſa, *&* Ante nomina.

omnipotens Deus, ſacrificium laudis oblatum, quod pro tua hodierna Incarnatione a nobis offertur; & per eum ſic propitiatus adeſto, ut ſuperſtitibus vitam, defunctis requiem tribuas ſempiternam. Nomina quorum ſunt recitatione complexa, ſcribi jubeas in æternitate, pro quibus apparuiſti in carne, Salvator mundi. Qui cum coæterno Patre viv. & reg.

Coll. ad Pacem.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hunc diem Incarnationis tuæ, & partum Beatæ Mariæ Virginis conſecraſti: quique diſcordiam vetuſtam per transgreſſionem ligni veteris cum Angelis & hominibus per incarnationis myſterium, lapis angularis junxiſti: da familiæ tuæ in hac celebritate lætitiæ, ut qui te conſortem in carnis propinquitate lætantur, ad ſummorum civium unitatem, ſuper quos corpus adſumptum evexiſti, perducantur: [1] & ſemetipſos per externa conplexa jungantur: ut jurgii non pateat interruptio, qui te auctorem gaudent in ſua natura per carnis veniſſe contubernium. Quod ipſe præſtare digneris, qui cum Patre &.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare eſt, nos tibi gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quia hodie Dominus noſter Jeſus Chriſtus dignatus eſt viſitare mundum. Proceſſit de ſacrario corporis virginalis, & deſcendit pietate de cælis. Cecinerunt Angeli, Gloria in excelſis, cum humanitas claruit Salvatoris. Omnis denique turba exultabat Angelorum; quia terra Regem ſuſcepit æternum. Maria beata facta eſt templum pretioſum, portans Dominum Dominorum: genuit enim pro noſtris delictis vitam præclaram; ut mors pelleretur amara: illa enim viſcera, quæ humana non noverant macula, Deum portare meruerunt. Natus eſt in mundo, qui ſemper vixit & vivit in cælo, Jeſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter. Per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli.

Poſt Sanctus.

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia adpropinquavit redemptio noſtra: venit antiqua expectatio Gentium: adeſt promiſſa reſurrectio mortuorum: jamque præfulgit æterna expectatio Beatorum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui pridie quam pro noſtra omnium ſal.

Poſt Secreta.

Credimus, Domine, adventum tuum: recolimus Paſſionem tuam. Corpus tuum in peccatorum noſtrorum remiſſione [2] confractum; Sanguis

(1) *Mabill.* & inter ſemetipſos.

(2) Hæc verba videntur alludere ad antiquam conſecrationis formam, quæ in Ordine Ambroſiano, & forſan etiam in Gallicano ſic efferri ſolebat: *Hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis confringetur.* quæ verba ex Apoſtolo deſumta ſunt, nempe ex 1 ad Corinthios cap. 11, ℣. 24. ubi κλώμενον in græco legitur, id eſt *quod frangitur*, in vulgata, *tradetur*. Quemadmodum vero poſt *Sanctus* in hoc Ordine Gothico ſolet repetere Sacerdos, *vere Sanctus, vere benedictus*: Sic & poſt utramque conſecrationem, dicto, *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*, id proteſtatur dicens: *recolimus paſſionem tuam. Corpus tuum ..... confractum: Sanguis Sanctus tuus ..... effuſus eſt*: quod repetit ex verbis conſecrationis. *Mabill.*

guis ſanctus tuus in prætium noſtræ redemptionis effuſus eſt. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcul.

Ante Orationem Dominic.

Non noſtro præſumentes, Pater ſancte, merito, ſed Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui obedientes imperio, audemus dicere.

Poſt Orationem Dominic.

Libera nos omnipotens Deus ab omni malo, ab omni periculo: & cuſtodi nos in omni opere bono, perfecta veritas, & vera libertas, Deus. Qui regnas in ſæcula ſæcul.

Benedictio Populi.

Deus, qui adventum tuæ Majeſtatis per Angelum Gabrihelem priuſquam deſcenderes nuntiare juſſiſti. Qui dignanter intra humana viſcera ingreſſus, & alvo Virginis hodie te mundus clarificatus........ *Amen*.

Tu Domine benedic hanc familiam tuam, quam hodierna ſolemnitas in adventu tuo fecit gaudere. *Amen*.

Da pacem populo tuo, quem pretioſa nativitate vivificas; & paſſionis tolerantia a morte perpetua redemiſti. *Amen*.

Tribue eis de theſauro tuo indeficientes divitias bonitatis: reple eos ſcientia, ut impollutis actibus, & puro corde ſequantur te ducem juſtitiæ, quem ſuum [a] cognoſcunt factorem. *Amen*.

Et ſicut in diebus illis advenientem te in mundo perfidia Herodis expavit, & periit rex impius a facie Regis magni: ita nunc præſenti tempore celebrata ſolemnitas peccatorum noſtrorum vincla diſſolvat. *Amen*.

Vt cum iterum ad judicandum veneris, nullus ex nobis ante tribunal tuum reus appareat; ſed diſcuſſa de pectoribus noſtris caligine tenebrarum, placeamus conſpectui tuo: & perveniamus ad illam terram, quam Sancti tui in requiem poſſidebunt æternam. *Amen*.

Poſt Communionem.

Cibo cæleſti ſaginati, & poculo æterni Calicis recreati, Fratres Kariſſimi, Domino Deo noſtro laudes & gratias indefinenter agamus, petentes; ut qui ſacroſanctum Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſpiritaliter ſumpſimus, exuti a carnalibus vitiis, ſpiritales effici mereamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Filium ſuum.

Collectio ſequitur.

Sit nobis Domine, quæſumus, medicina mentis & corporis, quod de ſancti Altaris tui benedictione percipimus: ut nullis adverſitatibus opprimamur; qui tanti remedii participatione munimur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

V. *ORDO*

a. Cognoſcunt factorem. *leg.* cognoſcunt eſſe factorem.

V. *ORDO MISSAE in Natale Sancti Stephani Protomartyris.*

Præfatio.

VEnerabilem atque ſublimem Beatiſſimi Protomartyris Stephani paſſionem hodie celebrantes, Deum Martyrum, Fratres Kariſſimi, deprecemur: ut ſicut illi contemplatione meritorum ſuorum coronam dare dignatus eſt; nobis quoque pleniſſimam miſericordiam, ipſius precibus flexus, in omnibus largiatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum.

Collectio ſequitur.

Deus, qui Sancto Stephano Martyri tuo & principatum in Miniſterio, & principem in Martyrio (1) contuliſti; dum nobis Sancti diei hujus feſtivitatem pro ejus vel commemoratione, vel paſſione donaſti: exaudi, quæſumus, ſupplices familiæ tuæ preces: nobis ejus peculiare præſidium tribue, cujus pro inimicis ac peccatoribus preces piiſſimus acceptaſti: tribue etiam, ut pro nobis interceſſor exiſtat, qui pro ſuis perſecutoribus ſupplicavit. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum beatus vivit.

Collectio poſt nomina.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Sanctorum virtute multiplici Eccleſiæ tuæ ſacrum corpus exornans, primitias Martyrum glorioſi Levitæ tui Stephani ſanguine dedicaſti; da nobis diem natalis ejus honore præcipuo celebrare: quia non diffidimus eum fidelibus tuis poſſe ſuffragari; qui Dominicæ caritatis imitator, etiam pro ſuis perſecutoribus ſupplicavit. [a] Tribue, quæſumus, per interventum ipſius, ut viventes ſalutem, defuncti requiem conſequantur æternam. Præſta per Dominum noſtrum Filium tuum.

Collectio ad Pacem.

Deus caritatis indultor, Deus indulgentiæ munerator, qui Sancto Martyri tuo Stephano in paſſione largitus es, ut ymbrem lapidum clementer exciperet, & pro lapidantibus ſupplicaret: pietatem tuam Domine ſubnixis precibus exoramus, ut dum Martyris tui paſſionem recolimus; per interceſſionem ipſius, pacis ſecuritatem cum peccatorum noſtrorum venia conſequi mereamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum.

Conteſtatio Miſſæ.

Dignum, & juſtum eſt, æquum & juſtum eſt te laudare, teque benedicere, tibi gratias agere, omnipotens ſempiterne Deus. Qui gloriaris in conventu Sanctorum tuorum, quos ante mundi conſtitutionem prælectos ſpiritali in cæleſtibus benedictione ſignaſti: quoſque Vnigenito tuo per adſumptionem carnis, & Crucis redemptionem ſociaſti. In quibus Spiritum

a. Tribue. *leg.* Tribueque.

(1) *Mabill. judicio vox locum ibi deſideratur.*

Spiritum tuum Sanctum regnare feciſti, per quem ad felicis Martyrii gloriam pietatis tuæ favore venerunt. Digne igitur tibi, Domine virtutum, feſta ſolemnitas agitur; tibi hæc dies ſacrata celebratur;[1] quam Beati Stephani primi Martyris tui ſanguis in tuæ veritatis teſtimonio profuſus, magnificum nominis tui honorem ſignavit. Hic eſt enim illius nominis primus confeſſor, quod eſt ſupra omne nomen: in quo unicum ſalutis noſtræ præſidium Pater æterne poſuiſti. Hic in Eccleſia tua quam ſplendidum ad cunctorum animos confirmandos, unicæ laudis præceſſit exemplum! Hic poſt paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, victoriæ palmam primus invaſit. Hic ut Levitico miniſterio per Spiritum Sanctum ab Apoſtolis conſecratus eſt; niveo candore confeſtim emicuit, martyrii cruore purpureus. O benedictum Abrahæ ſemen, Apoſtolicæ doctrinæ, & Dominicæ Crucis prior omnium factus imitator & teſtis! Merito cælos apertos vidit, & Jeſum ſtantem ad dexteram Dei. Digne igitur ac juſte talem ſub tui nominis confeſſione laudamus, omnipotens Deus, quem ad tantam gloriam vocare dignatus es. Suffragia ejus nobis pro tua pietate concede. Talis pro hac plebe precetur, qualem illum poſt trophæa venientem exultans Chriſtus excepit. Illi pro nobis oculi ſublimentur, qui adhuc in hoc mortis corpore conſtituti, ſtantem ad dexteram Patris Filium Dei in ipſa paſſionis hora viderunt. Ille pro nobis obtineat, qui pro perſecutoribus ſuis, dum lapidaretur, orabat ad te, Sancte Deus Pater omnipotens, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum. Qui pro peccatis noſtris naſci carne per Virginem, & pati dignatus eſt mortem; ut Martyres ſuos ſuo pati doceret exemplo. Cui merito omnes Angeli atque Archangeli ſine ceſſatione proclamant, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Collectio poſt Sanctus.

Vere Sanctus, vere benedictus Dominus noſter Jeſus Chriſtus Vnigenitus tuus: qui Martyrem ſuum Stephanum cæleſtis aulæ collegio muneravit: qui corporis noſtri infirmitatem ſuſcepit: priuſquam pium ſanguinem pro humana ſalute funderet, myſterium ſacræ ſolemnitatis inſtituit. Ipſe enim pridie quam pateretur,

Poſt Myſterium.

Hoc ergo facimus, Domine, hæc præcepta ſervamus:[2] hæc ſacri corporis Paſſionem ſacris ſolemnibus prædicamus. Quæſumus omnipotens Deus: ut ſicut veritatem nunc Sacramenti cæleſtis exequimur; ipſi veritati Dominici Corporis ac Sanguinis hæreamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Ante Orationem Dominic.

Glorioſi Levitæ exemplis & Beatiſſimi Martyris Stephani magiſteriis inſtituti, æterno Regi & Patri Deo precem, Fratres Kariſſimi, cum omni humilitate fundamus: ut dato nobis fidei calore vel munere, ad martyrii nos deſiderium amoris ſui igne ſuccen-

(1) *Legendum* qua.

(2) *Lege*, hanc.

ſuccendat: ejuſque imitatores efficiat, qui non ſolum pro ſui gloria, verum etiam pro exemplis eruditionis noſtræ paſſionem ſuſtinuit. Et cui conferre dignatus eſt in paſſione virtutem, intercedendi pro nobis tribuat facultatem. Et orationem, quam præcipere dignatus eſt, dicere ſine cunctatione permittat. Pater noſter,

Poſt Orationem Dominic.

Libera nos a malo omnipotens Deus: & tribue nobis ſupplicibus tuis tam promptum pro Chriſto tuo ad patiendum animum; ut probemur, non nos martyrio, ſed nobis defuiſſe martyrium. Per.

Benedictio Populi.

Deus, qui tuos Mastyres ita vinxiſti caritate, ut pro te etiam mori cuperent, ne perirent. *Amen*.

Et Beatum Stephanum in confeſſione ita ſuccendiſti fide, ut ymbrem lapidum non timeret. *Amen*.

Exaudi precem familiæ tuæ Amatoris inter feſta plaudentem. *Amen*.

Accedat ad te vox illa intercedens pro populo, pro inimicis quæ orabat in ipſo martyrio. *Amen*.

Vt ſe obtinente, & te remunerante, perveniat illuc plebs adquæſita per gratiam, ubi te, cælis apertis, ipſe vidit in gloriam. *Amen*.

Quod ipſe præſtare digneris.

Collectio poſt Euchariſtiam.

Deus perennis ſalus, beatitudo inæſtimabilis, da, quæſumus, omnibus tuis: ut qui ſancta ac beata ſumpſerunt, & ſancti jugiter & beati eſſe mereantur. Quod ipſe præſtare digneris.

Conſummatio Miſſæ.

Gratias agimus tibi, Domine, multiplicatis circa nos miſerationibus tuis: qui & Filii tui nativitate nos ſalvas, & Martyris Stephani deprecatione ſuſtentas. Per Dominum noſtrum Filium tuum,

MISSA IN NATALE Apoſtolorum Jacobi, & Johannis.[1]

Electionis[2] Dominicæ præclarum teſtimonium atque Apoſtolicæ Congregationis admirabile ornamentum, & Euangelicæ veritatis cæleſte præconium Sanctos Dei Apoſtolos & Martyres Jacobum, & Johannem præſenti feſtivitate venerantes, Fratres Kariſſimi, Domino ac Deo noſtro pariter ſupplicemus: ut qui eorum electionem vocatione ſua præſciit, [3] noſtra quoque vocatione munerum ſua electione confirmet; donetque nobis timoris ſui perſeverantiam, qui illis Apoſtolatus gratiam, vel Martyrii dedit coronam. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum.

Col-

(1) In *Lectionario Gallicano* mentio fit de ſolo Sancto Johanne: at in Martyrologio Gellonenſi apud Septimanos, ante annos nongentos ſcripto: VI *Kal. Januarii ordinatio Epiſcopatus* Jacobi *Apoſtoli fratris Domini*, & *Adſumptio Sancti* Johannis *Euangeliſtæ*. *Mabill.*

(2) *Quæ heic ſine titulo habetur oratio.* Electionis Dominicæ &c. *Præfatio eſt Euangelii Lectionem excipiens; quod & in ſequentibus ſæpe obſervandum erit.*

(3) *Mabill.* noſtram quoque vocationem.

Collectio ſequitur.

Domine, qui Beatiſſimis Apoſtolis tuis Jacobo, & Johanni gloriam Martyrii bibitione tui calicis prædixiſti; ut & confirmares reſponſionem, quam fides pura protulerat; & conferres virtutem, quam caritas devota præſumpſerat: hanc eorum paſſionis memoriam Eccleſiam tuam ſolemniter celebrantem placatus intende. Proſit, quæſumus, commemoratio Sanctorum Beatiſſimorum ad obtinendum tuæ miſerationis auditum. Proſit Apoſtolorum titulos recolere, ut majeſtatis tuæ aures oratio noſtra valeat inclinare. Proſit ſupplicare patrociniis, ut digneris exaudire ſuffragiis, Salvator mundi. Qui cum æterno Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas.

Collectio poſt nomina.

Domine, quem vocantem Sancti Apoſtoli Jacobus, & Johannes fide integra ſunt ſecuti; & quem ſequentes ex caritate integra ſunt electi; ut mundi piſcatores fierent, qui profundi retia reliquiſſent: auribus percipe, quæſumus, orationem noſtram, & tribue, ut dum Apoſtolicos triumphos admiramur & colimus, ſi adſequi eorum facta non poſſumus, implere ſaltim monita contendamus. Quod ipſe præſtare digneris, qui cum Patre & Spiritu.

Collectio ad Pacem.

Domine æterne, cui ita in Sanctis Apoſtolis tuis Jacobo, & Johanne placuit arcanum diſpenſationis im.... ut glorioſo paſſionis exemplo, Apoſtolorum chorum ille præcederet, iſte præmitteret; atque ita inter utrumque Grex conſummaretur beatus, ut omnium dovotionem ille præcederet, iſte concluderet: miſerere noſtri, & exaudi nos, & præſta; ut poſſimus prædictorum Martyrum tuorum Apoſtolorumque, vel illius exemplo fidem tenere, qua coronatur; vel iſtius magiſterio caritatem diſcere, quam docetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui te.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt. Vere æquum & juſtum eſt, nos tibi gratias agere, vota perſolvere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Quoniam tibi vivimus omnia opera tua; & in factura eorum te conlaudant & benedicunt omnes Sancti tui, quos prædeſtinaſti conformes fieri [a] imagini Filii tui. In quo exaltatum eſt cornu ſalutis eorum: qui nomen ejus, quod eſt ſuper omne nomen, coram Regibus & Poteſtatibus hujus ſæculi voce libera confitentes, ipſius Domini Salvatoris exemplo per patibula pœnarum, de perſecutoribus ſuis & diabolo triumpharunt; & corpora ſua dantes hoſtiam Deo, pretioſa tibi morte ceciderunt. Ex quibus extant Beatiſſimi Apoſtoli & Martyres tui Jacobus, & Johannes, quorum natalem hodie celebramus; obſecrantes miſericordiam tuam, piiſſime atque omnipotens Deus: ut eorum meritis ſuffragantibus preces noſtras propitius exaudias, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum. Qui eſt San-

Cod. Sackam.

a. Imagini. *leg.* Imaginis.

eſt Sanctorum omnium virtus & gloria, victoria Martyrum & corona, Paſtor ovium, & Hoſtia Sacerdotum, redemptio Gentium, & propitiatio peccatorum. Ante cujus ſacratiſſimam ſedem ſtant Angeli atque Archangeli; & ſine ceſſatione proclamant, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Collectio poſt Sanctus.

Oſanna in excelſis. Vere ſanctus, vere benedictus Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus. Qui Sanctus in Sanctis pro morte vitam, pro pœna gloriam, pro confeſſione victoriam præſtare dignatus eſt. Ipſe enim qui pridie quam pat.

Benedictio populi.

Deus, qui tuos Apoſtolos pretioſa Gentium lumina præparaſti; dum Jacobum, & Johannem ad inluſtrandas animas inter vaſa Eccleſiæ, candelabra fidei prætuliſti. *Amen.*

Da plebi tuæ imitari, quod unus exorando, alius docendo formavit. *Amen.*

Fructificet in hoc populo, quod ſeminavit iſte verbo, plantavit ille martyrio. Vt eorum interventu hæc turba illius reficiatur dulcedine, ſupra cujus pectus carus Johannes accubuit. *Amen.*

Quod ipſe præſtare digneris, qui in Trinitate perfecta.

Poſt Communionem.

Repleti, Domine, Apoſtolorum celebritate tuorum, quæſumus: ut te ſemper in eorum commemoratione laudemus, & tuam miſericordiam, iiſdem ſemper deprecantibus, conſequamur. Per Dominum.

Collectio ſequitur.

Apoſtolorum, quæſumus, Domine interceſſione nos adjuva: pro quorum ſolemnitate lætantes, ſancta tua percepimus dona. Per Dominum.

MISSA IN NATALE Sanctorum Infantum.

DEus, qui univerſam Eccleſiam tuam pretioſorum Martyrum tuorum virtutibus, velut quibuſdam floribus coronaſti; ut per triumphos tuorum teſtium, & ſolemnitatum gloriam & devotionum exempla ſuſciperes: ſicut in hoc die, quo pro Domino noſtro Jeſu Chriſto Infantum innocentiam extollis uſque ad merita paſſionum. Feliciter pro Chriſto mortui ſunt; ſed felicius cum eodem in æternitate victuri: qui ad hoc tantum per humanam infirmitatem nati ſunt ad ærumnam, ut per Dei gratiam naſcerentur Martyres ad coronam. Præſta omnipotens Deus in hac ſolemnitate diei hujus: ut ſicut illis dediſti palmas victoriæ, ita nobis quoque conſortium tribuas ſempiternum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum vivit.

Collectio ſequitur.

Deus omnipotentiæ ac benignitatis, Deus miſericordiæ atque pietatis, qui Bethlemiticæ plebi, ac Dominicæ civitati pro temporalibus ærumnis gaudia

dia æterna tribuiſti: ut [1] Rachel ſancta plorans filios ſuos, quæ præferebat ex dolore luctum, nollet ex conſolatione ſolatium: [2] quia videlicet videretur de præſenti Infantum amiſſione conterrita; erat tamen beata de Martyrum perpetuitate ſecura. Da cunctis Domine in hoc loco conſiſtentibus, & univerſæ plebi iſtius loci: ut ſic habeant ex ſanctæ vitæ converſatione palmam; ſicut habuerunt parvuli ex paſſione victoriam. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum vivit.

Collectio poſt nomina.

Deus, qui id quod per infantiam videtur exiguum, magnum facis eſſe per merita: qui primordia adventus tui triumphis glorificas parvulorum: prius eos paſſionis martyrio, quam ætatis provehis incremento. Felix mors eorum, & beatificanda conditio, per quam eis contigit ut ſævitiam crudeliſſimi Herodis devicerint triumphando; & Chriſtum mererentur in præmio. Da huic populo, tuo nomini conſecrato, per conſimilis gratiæ admiratione, meritorum ſimilium dignitatem: ut qui hanc Sanctorum Infantum feſtivitatem pro honore hominis tui celebrant; ad ipſorum Infantum beatitudinem profectu fidei ſemper aſcendant. Quod ipſe præſtare digneris qui.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt. Vere dignum, & juſtum eſt, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pro his præcipue, quorum hodierno die annua feſtivitate recolentes memoriam paſſionis celebramus: quos Herodianus ſatelles lactantum matrum uberibus abſtraxit. Qui jure dicuntur Martyrum flores, qui in medio frigore infidelitatis exorti, velut primas erumpentes Eccleſiæ gemmas quædam perſecutionis pruina diſcuſſit, rutilante fonte in Bethlehem civitatem. Infantes enim quia ætate loqui non poterant, laudem Domini cum gaudio reſonabant. Occiſi prædicant, quod vivi non poterant. Loquuntur ſanguine, quod lingua nequiverunt. Contulit his Martyrium laudem, quibus abnegaverat lingua ſermonem. Præmittit Infantes Infans Chriſtus ad cælos; tranſmittit nova exenia Patri; primitias exhibet Genitori Parvulorum prima martyria, Herodis ſcelere perpetrata. Præſtat hoſtis corpori, dum nocet: beneficium tribuit, dum occidit: moriendo vivitur, cadendo reſurgitur, victoria per interitum comprobatur. Pro his ergo beneficiis & pro præſenti ſolemnitate immenſas pietati tuæ gratias referentes potius, quam rependentes, cum ſanctis Angelis & Archangelis, qui Vnum Te Deum dominantem, Diſtinctum nec diviſum, Trinum nec triplicem, Solum nec ſolitarium, conſona laudamus voce, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Benedictio populi.

Deus, qui tibi conſecraſti primitias Martyrum ab innocentia parvulorum. *Amen.*

(1) *Mſ.* Rachiel.

(2) *Mabill.* quia licet videretur.

Et prius tibi coaptaſti in confeſſione Infantiam, quam lingua ſolveretur in verba. *Amen*.

Concede plebem tuam innocentem per gratiam, & ſi non ſint tempore ſanguine fuſo martyria. *Amen*.

Servetur hic populus purgatus Baptiſmate, qui tibi placitam feciſti innocentiam per cruorem. *Amen*.

Vt illic ſuo interventu grex accedat per lavacrum, ubi felices Parvuli perfuſi rore ſanguinis, gloriantur. *Amen*.

Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum vivit & regnat.

ORDO MISSÆ in Circumciſione Domini noſtri Jeſu Chriſti. [1]

CHriſto Domino noſtro, qui pro nobis dignatus eſt carne naſci, lege circumcidi, flumine baptizari; in hac octava Nativitatis ejus die, qua in ſe Circumciſionis Sacramentum ſecundum præcepti veteris formam agi voluit, Fratres Kariſſimi, humiliter deprecemur: ut intra Eccleſiæ uterum nos viventes, cotidie recreatione parturiat: quouſque in nobis ſua forma, in qua perfectæ ætatis plenitudinem teneamus, appareat. Cordis noſtri præputia, quæ Gentilibus vitiis excreverunt, non ferro, ſed ſpiritu circumcidat: donec carnali incremento, facinoribus amputatis, hoc ſolum in natura noſtra faciat vivere, quod ſibi & ſervire valeat & placere. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vi. & reg.

Collectio ſequitur.

Sancte omnipotens, æterne Deus, tu nos converteus vivifica: & quos error Gentilitatis involvit, agnitionis tuæ munus abſolvat, ut aculeo mortis extincto, æternis vivificemur oraculis: ut ſicut per infirmitatem carnis ſervivimus injuſtitiæ & iniquitati; ita nunc liberati a peccatis, ſerviamus juſtitiæ in ſanctificatione. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Collectio poſt nomina.

Auditis [2] nominibus offerentum, Fratres dilectiſſimi, Chriſtum Dominum deprecemur: ut ſicut pro ejus Circumciſione carnali ſolemnia celebramus; ita ſpiritalium nequitiarum inluſione devicta, lætemur, præſtante pietate ſua: ut hæc ſacrificia ſic viventibus proficiant ad emendationem, ut defunctis opitulentur ad requiem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, ſecum viventem ſemperque regn. in unitate Spiritus Sancti in ſæcula ſæcul.

Collectio ad pacem.

Deus qui magis circumciſionem cordis quam corporis diligis: & non admittis inductam per literam præputii circumciſionem, ſed fidei, innexam cum bono opere, caritatem. Tu noſtras aures deſeca, ne audiant ſanguinem, corda, ne teneant dolum; oculos, ne invadant alienum. Tu in mani-

(1) *In Galliis primo fortaſſe celebratam fuiſſe Circumciſionis D. N. J. Chriſti ſollemnitatem diximus not. (1) ad pag. 9 & 10.*

(2) nominibus offerentum. *Confer cum iis, quæ diximus ſuperiori adnotatione (2) ad pag. 231.*

manibus ſuccide, quod polluit; in pedibus, quod ad malum currit; in præputiis, quod carnalia concupiſcit. Tu incide, quod laniat; præcide, quod vulnerat; [1] abſcinde, quod lacerat; excide, quod ſcandala incrementat: ut amputato facinore, ſola in nos valeat caritas propagari. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt. Vere æquum & juſtum eſt nos tibi gratias agere, teque benedicere in omni tempore, omnipotens, æterne Deus: quia in te vivimus, movemur, & ſumus: & nullum tempus, nullumque momentum eſt, quo a beneficiis pietatis tuæ vacuum tranſagamus. His autem diebus, quos variis ſolemnitatum cauſis, ſalutarium nobis operum tuorum & munerum memoria ſignavit, vel innovante lætitia præteriti gaudii, vel permanentis boni tempus agnoſcimus. Et propterea exultamus uberius; quia ſicut in recens gaudium de venerabilis gratiæ recordatione reviviſcimus. Unde hodiernum diem a die ſalutiferi Natalis octavum, legitima Domini ſecundum carnem geniti Circumciſione ſignatum, ordinata commemoratione recolentes, ſacrificium pacis in votis ſolemnibus honoramus, & tantæ dignationis opus in Domini Altiſſimi pia humilitate veneramur. Qui ſicut mortalitatem noſtram adſumpſit, ut mortem conſumeret: ita & jugum legis in ſua carne ſuſcepit, ut jugum diaboli a noſtra cervice diſcuteret. Circumciſus eſt in carne corporis noſtri, ut nos per verbum Spiritus ſui in corde purgati, ſine carnis vulnere circumcideremur in ſpiritu: ut utrique ſexui proficeret circumciſio ſpiritalis; quia pro univerſitate generis humani Salvator advenerat. Unde utrumque ſexum Sacramentum Incarnationis amplexus eſt, ſuſcipiens Virum, natus ex Fœmina. Quamobrem, Domine, ſacrificium Circumciſionis ſolemnitate votiva pro noſtræ æternitatis gaudio ſupplicite r offerentes, placido dignare conſpectu conſpicere, & offerentium preces placatus exaudi. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem majeſtatem tuam laudant Angeli.

Poſt Sanctus.

Vere Sanctus, vere benedictus Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus: qui venit quærere & ſalvum facere quod perierat. Ipſe enim pridie quam.

Poſt Secreta.

Hæc nos, Domine, inſtituta & præcepta retinentes, ſuppliciter oramus: uti hoc Sacrificium ſuſcipere, & benedicere, & ſanctificare digneris: ut fiat nobis Euchariſtia legitima in tuo, Filiique tui nomine, & Spiritus Sancti, in [2] transformationem Corporis ac San-

(1) abſcinde, *in exemplari* abſcide.

(2) Idem vocabulum infra in Miſſa xx pro Cathedra Sancti Petri, & in Miſſa LXV de S. Leodegario. Item in Miſſali Francorum n. VIII ubi de ordinatione Presbyterorum; item in Miſſali Gallicano n. XVII. *Mabill.* *In eo & aliis ſimilibus locis hoic a Mabillonio indicatis, quibus vox* TRANSFORMATIO *ſumitur ad idem omnino denotandum, quod* Tranſſubſtantiationis *vocabulo Catholici dicimus, luculentum habemus teſtimonium ad demonſtrandam veram Chriſti corporis & ſanguinis in Euchariſtia præſentiam, veram panis ac vini mutationem in Chriſti Corpus ac Sanguinem, verumque Miſſæ Sacrificium. Ad illud advertere debuiſſent ſinceræ Religionis hoſtes, ut ſe ſuoſque levarent*

Sanguinis Domini Dei noſtri JeſuChriſti Unigeniti tui. Per quem omnia creas, creata benedicis, benedicta ſanctificas, & ſanctificata largiris Deus. Qui in Trinitate perfecta vivis & regnas in ſæcula ſæculorum.

Ante Orationem Domin.

Omnipotentem ſempiternum Dominum deprecemur: ut qui in Domini noſtri Jeſu Chriſti Circumciſione tribuit totius religionis initium perfectionemque conſtare; det nobis in ejus portione cenſeri, in quo totius ſalutis humanæ perfectio ſumma conſiſtit: & orationem, quam nos Dominus noſter edocuit, cum fiducia dicere permittat, Pater noſter.

Poſt Orationem Dominic.

Libera nos a malo omnipotens Deus, & præſta, ut inciſa mole facinorum, ſola in nos proficiant incrementa virtutum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Benedictio Populi.

Deus rerum omnium Rector, & Conditor, qui omnia quæ a te facta ſunt, majeſtate imples, ſcientia ordinas, pietate cuſtodis. *Amen.*

Reſpicere dignare hos populos tuos, qui per noſtri oris officium benedictionum tuarum dona deſiderant. *Amen.*

Reple eos tuæ ſcientia voluntatis: ut in omnibus mandatorum imperio pie venerationis famulentur officio. *Amen.*

Averte ab his inhoneſta & turpia libidinum probra. Averte jocundas & noxias corporum voluptates. Averte invidiam tuis beneficiis & bonis omnibus inimicam, *Amen.*

Ut in omni patientia & longanimitate creſcentes, a te vocati ad Patrem æter-

rent inani labore novis in diem ſcriptis impetendi ſacrum de Tranſſubſtantiatione dogma. *Actum agerem, & rem omnimoda certitudine donatam certiorem reddere ſuſciperem, ſi vel aliquid in illius dogmatis defenſionem heic afferrem: unicum præſtabo ut vel in præſentia pateat, quam infirma ſit adverſariorum cauſſa. Nimirum de tomo* II *Amœnitatum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Litterariæ Schelhornii, partem affero, licet improbo veneno aſperſam, epiſtola viri inter heterodoxos percelebris Giſberti Cuperi ad Jo. Jacobum Scheuchzerum Daventriæ die* xv *Octobris data, anno* CIↃIↃCCXII.

In illa igitur, num. IV. *hæc habentur.* Credo tamen Miſſalia antiqua poſſe Reformatis inſervire ad convincendos Romanæ aulæ aſſeclas, & devotos, quia frequenter in iis occurrunt loca, quibus quam clariſſime probari poteſt, tunc temporis, cum illa ſunt compoſita Tranſſubſtantiationem, ſcandalum illud Judæorum, Gentilium, Turcarum, & omnium aliorum Chriſtianorum, fuiſſe incognitum, & omnes tunc Chriſtianos communicaſſe ſub utraque ſpecie, ut loquuntur. Ipſe id expertus ſui in Codicibus Sacramentorum legendis: hic liber editus eſt Romæ anno MDCLXXX, cura Joſephi Mariæ Thomaſii, continetque libros tres ſacramentorum Eccleſiæ Romanæ, Miſſale Gothicum ſive Gallicanum vetus. Deprehendi in eo loca, quæ omnino adſtruunt panem & vinum in Sacramento S. Cœnæ ſumi, & quæ Tranſſubſtantiationi contraria ſunt.

Egi de iis cum Baſnagio, tunc Roterdami, nunc Hagæ Comitis myſterii ſacri erudito & inſigni Interprete, iſque librum illum utpote paucis hic cognitum, utendum petiit, animadvertitque vera eſſe quæ annotaveram. Itaque optandum foret, ut aliquis Theologus Antiquitatis Eccleſiaſticæ peritus, Miſſalia S. Galli examinare velit, ſi forte inde proferri poſſint argumenta, ad convellendum præcipuum Romanæ Eccleſiæ dogma, & ita ſuis ipſius armis eamdem aggrediendam &c. *Hæc Cuperus; quæ quam falſo ſcribantur, nulla meliori ratione conſtare poſſe credidimus, quam ſi repræſententur in eo adamuſſim loco, qui Tranſubſtantiationem quam maxime demonſtrat, quique declarat heterodoxos aut noſtros libros non legere, aut verſare animo præconceptis jam opinionibus devoto. Alii ſane inter eos tantam vim ad dogma illud evincendum in hiſce ſacramentorum libris agnoverunt, ut aliud effugium deperditæ cauſſæ haud invenerint, quam per ſummam calumniam dictitare, ſcriptos eos primo fuiſſe poſt decimum Eccleſiæ ſeculum. Verum de his alibi dicturi ſumus.*

æterni luminis, tranſeant in regnum hæreditariæ claritatis. *Amen*.

Quod ipſe præſtare digneris, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. *Amen*.

Collectio poſt Communionem.

Refecti ſpiritali cibo,& cæleſti poculo reparati, omnipotentem Deum, Fratres Kariſſimi, deprecemur: ut qui nos Corporis ſui participatione, & Sanguinis effuſione redemit; in requiem ſempiternam jubeat conlocare. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum.

Collectio ſequitur.

Miſericordiam tuam, Domine, ſupplices exoramus: ut hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam; ſed fiat interceſſio ſalutaris ad veniam. Quod ipſe præſtare digneris.

Benedictio [1] *Populi* . . . .

. . . .

Benedicat vos Dominus omnipotens, & per abundantiam miſericordiæ ſuæ cor veſtrum conroboret. *Amen*.

Mentem ſanctificet, vitam amplificet, caſtimoniam decoret, atque ſenſus veſtros in bonis operibus ſemper ædificet. *Amen*.

Proſpera tribuat, pacem concedat, ſalutem conferat, quietem nutriat, caritatem muniat; & ab omnibus diabolicis & humanis inſidiis ſua vos ſemper protectione & virtute defendat. *Amen*.

Et ita devotionem veſtram placatus ſemper ſuſcipiat; ut quæcumque ab eo poſtulaveritis, clementer concedat. *Amen*.

Auferat omnia mala, quæ geſſiſtis; & tribuat gratiam, quam rogaſtis. *Amen*.

Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum.

INCIPIVNT [2] *PRÆFATAS cum Collectiones in Vigiliis* [3] *Ephiphaniæ.*

Præfatio.

Miraculorum primordia, quæ Dominus noſter Jeſus Chriſtus proferre in adſumptæ carnis novitate dignatus eſt, Fratres Kariſſimi, debita exultatione veneremur: quia dum ſe Deum intra humana viſcera proferebat; jam de ſalutis noſtræ abſolutione tractabat. Homo eſt utique invitatus ad nuptias; & quod in nuptiis protulit, Deum probavit. Cujus præconia nec inter ipſa quidem virtutum poſſumus rudimenta depromere: ſed dum tantarum rerum ſtupeſcimus gloriam, [4] temeritatis proferendæ laudis ingredimur. Humili ergo oratione poſcamus, ut per ipſum ad vitam æternam nobis tribuatur ingreſſus, cujus nativitatis lumine orbis inluſtratus eſt univerſus,

(1) Hæc benedictio eſt alterius Miſſæ, forte ejus, quæ erat ad prohibendum ad idolis. Communionem ubique præcedit benedictio, ex dictis in lib. 1 cap. IV, num. 14 (*Liturgia Gallicana*) pateteque ex præmiſſis & ſequentibus Miſſis, præterquam in Miſſa XXI pro Quadrageſimæ initio. *Mabill.*

(2) PRÆFATAS, *intellige* PRÆFATIONES.

(3) Ephiphaniæ, *ita & in Lectionario Luxovienſi. In Sacramentario Bobienſi* Ephyfania *ſcribitur. Hæc animadvertere non prætermittens Mabill. in obſervat. ad hanc diem ſui Lectionarii, ait*: minutulum eſt, ſed tamen non omittendum.

(4) *Mabil.* temeritatem.

verſus. Quod ipſe præſtare dignetur, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

Collectio ſequitur.

Omnipotens & miſericors Deus plebi tuæ ſuppliciter exoranti pia benignitate reſponde, quam cernis in hoc die fideli devotione gaudere: quo Dominus ac Deus noſter, vera humilitate ſuſcepta, ſic ſervilem formam miſericorditer oſtendit in ſæculo, ut divinam potentiam ſuam mirabiliter monſtraret in cælo. Qui enim pro nobis puer parvulus fuit, ipſe ad ſe Magos officio ſtellæ præeuntis adduxit. Obſecramus itaque Domine clementiam tuam, ut ſicut illis dediſti Chriſtum tuum verum Deum in vera carne cognoſcere: ſic omnes fideles tuos, quos materno ſinu ſancta geſtat Eccleſia, in præſenti tempore protegas invictæ virtutis auxilium,& in futuro facias Regni cæleſtis adipiſci munere ſempiterno. Per ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum; qui tecum beatus vi.

Præfatio.

Omnipotentem Dominum, Fratres Kariſſimi, & Jeſum Chriſtum Filium ejus & Salvatorem noſtrum, qui tantis virtutibus ſe manifeſtavit in terris, & multa mirabilia demonſtravit in populis, univerſi ſummis precibus deprecemur: ut qui infirmos curavit, & mortuos ſuſcitavit; leproſos mundavit, cæcos inluminavit; & de quinque panibus, & duobus piſcibus quinque milia hominum ſatiavit: ut qui hæc operatus eſt in terris, nobis quoque propitius adeſſe dignetur in cunctis delictis, Salvator mundi. Qui cum æterno Patre vivit & reg.

Collectio ſequitur.

Omnipotens ſempiterne Deus, mundi creator & rector, qui hunc superventuræ ſolemnitatis diem electionis Gentium primitiis conſecraſti: imple mundum gloria tua, & ſubditis tibi populis per luminis tui lumen appare: ut Salutare tuum nova cælorum claritate noſtris ſemper innovandis cordibus oriatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium: qui tecum vivit & regnat.

Præfatio.

Deum omnipotentem, qui nobis hujus noctis feſtivitatem indulſit, Fratres Kariſſimi, deprecemur, ut det nobis etiam munditiam cordis: ut ſicut Magi, ſtella præeunte, Dominum Jeſum Chriſtum invenerunt, & optata conſecuti ſunt gaudia, atque apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrha: ita & nos famuli ſui, ejuſdem Salvatoris noſtri auxilio præmoniti, terram promiſſionis mereamur ingredi; ut gaudeamus nos æterna regni cæleſtis poſſeſſione ditari. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, ſecum viventem, ſemperque regnantem.

Collectio ſequitur.

Deus, qui Verbi tui incarnationem præclari teſtimonio ſideris indicaſti; quod videntes Magi, oblatis Majeſtatem tuam muneribus adorarunt: concede, ut ſemper in mentibus noſtris tuæ appareat ſtellæ [1] notia, ac noſter in tua

(1) *Lege* notitia.

tua ſit confeſſione theſaurus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Præfatio.

Omnipotentem ſempiternum Dominum, cujus non minor eſt miſericordia, quam poteſtas; qui licet æſtimatione operum univerſorum operum ſuorum vicerit; ipſe tamen ſuorum operum magnitudinem pietate vicit, mittendo nobis Jeſum Chriſtum Filium ſuum Dominum noſtrum, cujus & onus leve eſt, & jugum ſuave: Virginali utero procreatus ad hoc tradidit nobis ſalutis jugum, ut omnes nos exaltaret in regnum: Fratres dilectiſſimi, ſupplici oratione precemur, ut expellat de ſenſibus noſtris pravæ cogitationis obſcuritatem: ut nullis deinceps peccatorum fuſcemur maculis, quibus jubar ſuæ ſplenduit caritatis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum: qui ſecum.

Collectio ſequitur.

Exaudi nos ſalutaris noſter, & hanc annuam ſolemnitatis noſtræ devotionem dignanter ſuſcipe: ut ſicut Magis ad oſtenſionem ſalutaris viæ refulſit ſtella; ita noſtris mentibus per gratiam tui muneris lumen infundas, ut poſſimus in viam veritatis [1] confitentis, te protegente, incedere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Præfatio.

Narrantes laudes Domini, & potentias & mirabilia, quæ fecit, Fratres Kariſſimi, cum ante conſpectum populi ſui mare divideret, lumen prætenderet, ignem præferret, cæli januas aperiret, panem angelicum miniſtraret, rogemus, uti quoque nobis ſimilibus virtutum ſuarum circumdet excubiis: ne vel ſæculi hujus fluctus obvolvat, vel incertum vitæ curſum iter teneat, vel ignorantiæ nox fidei inluminatione deficiat, vel cæli aditus orationi non pateat, vel panis vivus vitam, ſe negando, non præbeat: ſed in redemptionem adquiſitionis, atque in laudem gloriæ ſuæ quod tribuit ænigmate, tribuat veritati. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, qui vivit & regnat.

Collectio ſequitur.

Operum tuorum Deus quantum miranda potentia, tantum Magis eſt gratia diligenda. Tuo nanque imperio ſtella Magis ducatum præbuit, & uſque ad Chriſtum certa itineris directione perduxit: cujus Humanitas vera ſic fuit in carne, ut vera Majeſtas reſplenderet in opere. Infans enim aſtris famulantibus oſtenditur; & a Magis parvulus adoratur. Quæſumus ergo Domine, ut etiam noſtros errores miſericorditer corrigas; & ad veritatis tuæ ſalutiferam viſionem, præcedente nos tuæ miſerationis inluminatione, perducas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Præfatio.

Deum, qui ſanctificavit Jordanis fluenta, benedixit conjugia nuptialium, Fratres Kariſſimi, deprecemur: ut cujus

(1) *Mabill.* confitentes.

jus miracula annuis recolimus vicibus; ſola ejus gratia mereamur indulgentiam peccatorum. Quod ipſe præſtare dignetur; qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat.

Collectio ſequitur.

Exaudi nos Domine in hujus ſolemnitatis excubias, & quæſumus: ut plebis hujus corda in tuis mirabilibus ſacratas tibi excubias celebrantibus, benignus adeſſe digneris: & qui Jordanis ſanctificare dignatus es aquas, nos quoque tibi ſanctos & immaculatos ſiſtere facias. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas.

MISSA IN VIGILIIS Ephiphaniæ.

Præfatio.

INcorruptarum naturarum beneficiorum Dominum ac Deum noſtrum, Fratres Kariſſimi, deprecemur: ut nos in Ephiphaniæ, ideſt Manifeſtationis ſuæ diem, ad ſacram excubiarum ſolemnitatem collectos, tales faciat, qui inluſtrationem incarnationis ejus, vel nativitatem ex Virgine, vel Baptiſmum apud Jordanem, vel mirabilia apud Chana ſigno pro noſtra ſalute credimus factum, noſtro in nobis opere demonſtremus: ut beneficiorum immenſitatem noſtris confeſſionibus lucidemur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum: qui ſecum vivit.

Collectio ſequitur.

Deus, qui per Vnigenitum Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, ſanctificationem ſalutis æternæ aquas regenerantibus præſtitiſti; & veniente ſuper caput illius ſpiritali columba, per Spiritum Sanctum ipſe veniſti: dona quæſumus, ut veniat ſuper hanc omnem Eccleſiam tuam illa benedictio; quæ cunctos jugiter protegat, quæ diverſos ſine ceſſatione benedicat, quæ curſum te ſequentium dirigat, quæ ſe expectationi omnium januam Regni cæleſtis aperiat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum; qui ſemper tecum vivit &c.

Collectio poſt nomina.

Præſta omnipotens Deus per ineffabilem miſericordiæ tuæ caritatem; ut cujus virtus atque majeſtas in mirabilium tuorum diverſitate claruit, in noſtrarum quoque mentium purificatione clareſcat. Præſentem itaque oblationem ita inlabere, ut medelam [1] viventibus, defunctis refrigerium præſtet. Et quorum texuit recitatio præmiſſa ſortem, inter Electos jubeas adgregare. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Collectio ad Pacem.

Deus inluminator omnium Gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere: & illud lumen ſplendidum infunde cordibus noſtris, quem trium Magorum men-

(1) ut medelam viventibus, defunctis refrigerium præſtet; *Locus eſt inter ceteros luculentiſſimus ad evincendum una ſimul viventium atque mortuorum nomina in Miſſæ ſacro fuiſſe olim apud Gallos recitata: quod & diximus ſuperiori pag.* 231, *not.* (2)

mentibus aſpiraſti. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum tecum vi.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt. Vere dignum & juſtum eſt, nos te laudare, omnipotens ſempiterne Deus; quia notam feciſti in populis virtutem tuam, & Salutare tuum cunctis Gentibus declaraſti, hodiernum declarans diem: in qua ad adorandam veri Regis infantiam, excitatos de mundi partibus viros clarior ceteris ſideribus ſtella perduceret; & cæli ac terræ Dominum in ſalutem omnium corporaliter natum, radius tuæ lucis oſtenderet. Propterea profuſis gaudiis totus per orbem terrarum mundus exultat: ſed & ſupernæ concinunt Poteſtates hymnum gloriæ tuæ, ſine fine dicentes. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Benedictio populi.

Deus, qui præſentem diem ita dignaris diligere, ut eum tot elegeris miraculis illuſtrare. *Amen.*

Qui dignatus es [1] pro formam facturæ tuæ ſalutis noſtræ, in Jordanis fontem fons aquæ vivæ deſcendere. *Amen.*

In quo te adorandum ſtella Magos docuit, & aquæ pallor vina produxit. *Amen.*

Eſto tuæ familiæ ipſe lux itineris, qui ſtella indice clarificatus es Rex ſalutis. *Amen.*

[2] Convere ad te quærendum ſtupidas mentes hominum, qui nuptiale convivio vertiſti latices in ſalernum. *Amen.*

Ut juncta cum Angelis in excelſis, Deo tibi cantet gloriam plebs protecta. *Amen.*

Præſta Salvator Mundi, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis.

MISSA IN DIEM SANCTUM Ephiphaniæ.

Venerabilem ac primitivum in mirabilibus Ephiphaniæ diem, in quo noſter Redemptor & Dominus virtutis ſuæ documenta prætendens, ab annis infantiæ Paternam protulit poteſtatem, obſequiorum noſtrorum famulantibus votis, & celebri ſolemnitate, Fratres Kariſſimi, veneremur, pia obſecratione poſcentes: ut qui tunc aquas in vina mutavit, nunc [3] in Sanguinem ſuum oblationum noſtrarum vina convertat: & qui aliis ſaturitatem, meri potatione, conceſſit; nos potationis ſuæ libamine, & Paraclyti Spiritus infuſione ſanctificet. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum: qui ſecum vivit.

Collectio ſequitur.

Deus, qui mirificis virtutum tuarum ſignis ſalutis noſtræ indicia declaraſti; qui Magis ſtella præfulgente degreſſis adorare & promereri te Regem æternum, Dominumque perpetuum myſticis muneribus præſtitiſti: qui in corpore noſtro mirabilis Baptiſmi Sacramento regeneratos ex Spiritu nos abluens renaſcendo, & ineffabilis potentiæ dono ho-

(1) *Mabill.* pro forma.
(2) *Lege* Converte.
(3) *Agnoſcatur & in illis verbis vera atque ſincera, non figurata, vini mutatio in Chriſti ſanguinem. Vide ſi lubet & ſuperiorem adnotationem* (2) *ad pag.* 245, & 246.

no hodie aquas in vinū mutando, diſcipulis tuis tuam manifeſtaſti divinitatem. Exaudi nos ſupplices tuos ob diem ſacratiſſimæ ſolemnitatis, & præſta; ut gloria tua inluminati, ſæculo moriamur; tibi Regi Chriſto vivamus, Salvator mundi. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas in ſæcula.

Collectio poſt nomina.

Auditis nominibus ac deſideriis offerentum, Fratres Kariſſimi, Dei Patris omnipotentis clementiam deprecemur: ut qui hodie per Filium ſuum mirifice aquæ ſpeciem vertit in vinum; ita omnium ſimul oblationes & vota convertere dignetur in ſacrificium divinum; & accepto ferre, ut accepto tulit Abel juſti ſui munera, & Abrahæ Patriarchæ ſui hoſtias. Et quorum nomina texuit recitatio præmiſſa, eorum ſortem inter Electos jubeat adgregare. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, ſecum viventem ſemperque regnantem.

Collectio ad Pacem.

Domine Chriſte Jeſu, qui majeſtate ſublimis es, & poteſtate ſubnixus, cum in virtute Patris obſequeris juſſionibus matris, ut & Filium hominis oſtenderes obſequiis, & Deum virtutibus adprobares: qui ad omnium Gentium lavationem, Jordanis alveum ſanctificaturus intraſti, ut peccata noſtra ablueres, conſcientiaſque purgares: viſita Eccleſiam tuam, & perfice omnium vota; pacem etiam non petentibus præſta: ut oſculum quod in labiis datur, in cordibus non negetur. Quod ipſe præſtare digneris, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & juſtum eſt, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui nobis ſuper Jordanis alveum de cælis vocem in modum tonitrui præbuiſti: ut Salvatorem ſæculi demonſtrares, & Patrem luminis æterni oſtenderes; cælos aperuiſti, aerem benedixiſti, fontem purificaſti, & tuum Unicum per columbam Sancti Spiritus demonſtraſti. Suſceperunt fontes hodie benedictionem tuam, & tulerunt maledictionem noſtram: ita ut credentibus purificationem omnium delictorum exhibeant, & Deo filios regenerando faciant ad vitam æternam, quos ad temporalem vitam carnalis nativitas ſuderat. Nam quos mors per prævaricationem cœperat, [1] hoc vita æterna a morte recipiens, ad cælorum regna revocat. Unde debita exultatione voces noſtras jungimus confeſſionibus Angelorum, qui gloriam tuam mirabile ſacramento hodierna ſolemnitate venerantes, pro Apparitione Jeſu Chriſti Domini noſtri, & pro noſtræ vocationis [2] exordium ſacrificium tibi laudis offerimus, Per ipſum Dominum noſtrum. Per quem majeſtatem tuam laudant Angeli.

Collectio poſt Sanctus.

Vere Sanctus, vere benedictus Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus. Qui ad puerperii cæleſtis indicium, hæc hodie

(1) *Lege* hos. (2) *Potius* exordio.

hodie contulit mundo [1] ſui miracula majeſtatis, ut adorandam Magis oſtenderet ſtellam; & tranſacto temporis intervallo, aquas in vino mutaret: ſuoque Baptiſmate ſanctificaret fluenta Jordanis, Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Qui prid. quam patere.

Poſt Myſterium.

Sacrificiis præſentibus Domine, quæſumus, intende placatus: quibus non jam [2] aurum, thus, & myrrha profertur; ſed [3] iiſdem muneribus declaratur, offertur, immolatur, ſumitur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum, & cum Spiritu Sancto vi.

Ante Orationem Dominicam.

Non noſtro præſumentes, Domine, merito, ſed Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui, quem ut nos a tenebris, & umbra mortis liberaret miſiſti, obedientes imperio. Indigni quidem ſumus nomine filiorum; ſed jubemur dicere. Pater noſter.

Poſt Orationem Dominicam.

Libera nos a malo omnipotens æterne Deus, & dominare Tu noſtri, qui mortis a nobis dominia repuliſti; ut tua ſemper, Domine, cogitemus cum alacritate mandata, cum timore judicia, cum exultatione promiſſa. Per eum, qui tecum vivit dominatur & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti in ſæcula ſæculorum.

Benedictio Populi.

Omnipotens Artifex, qui ſæpe quamplurimis, hodie tamen inſignibus te declaraſti miraculis. *Amen.*

Qui recurrenti tempore multiplicaſti Paſtor vina prius in hydriis, deinde cibos in cophanis. *Amen.*

Deſcendat a ſedibus tuis ſuper capita famulorum & famularum tuarum Spiritus Sanctus tuus ille, qui in Jordane, baptizante Johanne, in columba corporaliter viſus eſt deſcendiſſe. *Amen.*

Reple animas eorum vino juſtitiæ; [4] quæ ſermone tuo hodie ex aquarum ſapore mutaſti. *Amen.*

Adeſto tuæ plebi, devotione ſingulari Te ſacra per myſteria veneranti. *Amen.*

Porrige paſtor epulum, quo, victa fame ſæculi, cibis æternitatis animæ ſaginentur.

Infunde etiam ſuper eos ſpiritalium dona virtutum: ut nihil in eis inimicus aut violentia ſubrepat, aut fraude decipiat. *Amen.*

Sed per bonæ converſationis perſeverantiam ii, qui adoptione vocati ſunt filiorum intrare in poſſeſſionem mereantur hæredum. *Amen.*

Ut cum hinc transferri migrando præcipietur, illic admitti permittatur, unde te Deum adoravit Magis admiratum, adſtans ſidus præſepio. *Amen.*

Quod ipſe præſtare digneris, qui in Trinitate perfecta vivis dominaris & regnas. *Amen.*

Poſt

(1) ſuæ *contextus exigit*, *non* ſui.

(2) Hæc eadem verba in Oratione ſecreta pro Epiphania in Ordine Gregoriano. Olim Francorum Reges, exemplo Magorum, aurum, thus & myrrham in die Epiphaniæ ad altare offerebant, ex Nangii Gallico Continuatore ad annum 1378. *Mabill.*

(3) *Idem Mabill. eo in loco interſerendam eſſe re- tur vocem* quod.

(4) *Leg.* qui.

Poſt Eucharistiam.

Divinam miſericordiam, Fratres Kariſſimi, concordi oratione poſcamus: uti hæc ſalutifera Sacramenta noſtris recepta pectoribus, purificent animam, corpuſque ſanctificent; atque in ſpem cæleſtium viſcera pariter & corda confirment. Quod ipſe præſtare dignetur, qui vivit & regnat.

Collectio ſequitur.

Reſpice Domine propitius ad plebem tuam: & quam divinis tribuis proficere Sacramentis, ab omnibus abſolve peccatis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

MISSA IN ADSUMPTIONE (1) ſanctæ Mariæ Matris Domini noſtri.

GEneroſæ diei Dominicæ Genitricis inexplicabile Sacramentum, tanto magis præconabile, quantum eſt inter homines Aſſumptione Virginis ſingulare. Apud quem vitæ integritas obtinuit Filium, & mors non invenit par exemplum. Nec minus ingerens ſtuporem de tranſitu, quam (2) exultatione ferens unico beata de partu. Non ſolum mirabilis pignore, quod fide concepit; ſed tranſlatione prædicabilis, qua migravit. Speciali tripudio, affectu multimodo, fideli voto, Fratres dilectiſſimi, corde deprecemur attento: ut ejus adjuti muniamur ſuffragio; quæ fœcunda Virgo, beata de partu, clara de merito, felix prædicatur abſceſſu: obſecrantes miſericordiam Redemptoris noſtri: ut circumſtantem plebem illuc dignetur introducere, quo Beatam Matrem Mariam, famulantibus Apoſtolis, tranſtulit ad honorem. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in ſæcl.

Collectio ſequitur.

Deus, qui dum opus illud fabricæ mundialis, quod ſola imperii juſſione creaveras, perire non pateris, domum tibi in alvum Virginis fabricaſti; & ne periret gens a te plaſmata, revelaſti ſæculis inaudita myſteria: ut, quem cælorum excelſa non capiunt, parvus puellulæ alvus includeret: precamur ſupplices, ut de quibus & pro quibus ſuſcepiſti membra mortalia, intercedente Beata Maria Genitrice tua, capere facias, devicta ſæculi ambitione, victoriam, Salvator mundi. Qui cum æterno Patre vivis & regnas Deus in unitate Spiritus Sancti Deus in ſæcl.

Collectio poſt nomina.

Habitatorem Virginalis hoſpitii, Sponſum beati thalami, Dominum taberna-

(1) *Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum xv Kal. Februarii quondam celebratum fuiſſe, collecto e vetuſtiſſimis Liturgiis atque Martyrologiis multiplici teſtimonio, pluribus demonſtrat Mabillonius ad præſentem locum Lectionarii Luxovienſis. Mabillonio adhæret Ruinartius in adnotationibus ad cap.* IX *lib.* I *S. Gregorii Turonenſis de Gloria Martyrum. Noſtro tamen præſenti Miſſali debetur, quod idem feſtum eadem fortaſſe hac die coli agnoſcamus a Sacram. Bobienſi, in quo habetur inſcriptio:* In feſtivitate Sanctæ Mariæ: *titulus ſane incertus, atque idoneus ad iniiciendam potius ſuſpicionem feſti* Purificationis B. Mariæ, *quam* Adſumptionis: *Quum autem in Bobienſi Sacram. efficiatur iſtud ponatur poſt illud Cathedra S. Petri, ſuſpicio enaſcitur an celebratum fuerit menſe Januario, an potius Februario. Vide Clariſs. Ruinartium loco nuper memorato.*

(2) *Leg.* exultationem.

bernaculi, Regem Templi, qui eam innocentiam contulit Genitrici, qua dignaretur incarnata Deitas generari: quæ nihil ſæculi conſcia, tantum precibus mens attenta, tenuit puritatem in moribus, quam perceperat Angeli benedictione, viſceribus: nec per Aſſumptionem de morte ſenſit inluviem, quæ vitæ portavit Auctorem: Fratres Kariſſimi, fuſis precibus Dominum imploremus: ut ejus indulgentia illuc defuncti liberentur a tartaro, quo Beatæ Virginis tranſlatum corpus [1] eſt de ſepulchro. Quod ipſe præſtare dignetur, qui in Trinitate perfecta vi.

Collectio ad Pacem.

Deus univerſalis machinæ propagator, qui in Sanctis ſpiritaliter, in Matre vero Virgine etiam corporaliter habitaſti: quæ ditata tuæ plenitudinis ubertate, manſuetudine florens, caritate vigens, pace gaudens, pietate præcellens, ab Angelo gratia plena, ab Eliſabeth benedicta, a Gentibus merito prædicatur beata: cujus nobis fides myſterium, partus gaudium, vita provectum, diſceſſus attulit hoc feſtivum: precamur ſupplices, ut pacem, quæ in Adſumptione Matris tunc præbuiſti Diſcipulis, ſolemni nuper largiaris in cunctis, Salvator mundi. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis.

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt, omnipotens Deus, nos tibi magnas merito gratias agere, tempore celeberrimo, die præ cæteris honorando. Quo fidelis Iſrahel egreſſus eſt de Ægypto. Quo Virgo Dei Genitrix de mundo migravit ad Chriſtum. Quæ nec de corruptione ſuſcepit contagium, nec reſolutionem pertulit in ſepulchro, pollutione libera, germine glorioſa, aſſumptione ſecura, Paradiſo dote prælata, neſciens damna de coitu, ſumens vota de fructu, non ſubdita dolori per partum, non labori per tranſitum, nec vita voluntate, nec funus ſolvitur vi naturæ. Specioſus thalamus, de quo dignus prodit Sponſus, lux gentium, ſpes fidelium, prædo dæmonum, confuſio Judæorum, vaſculum vitæ, tabernaculum gloriæ, templum cæleſte: cujus juvenculæ melius prædicantur merita, cum veteris Evæ conferuntur exempla. Siquidem iſta mundo vitam protulit, illa legem mortis invexit. Illa prævaricando, nos perdidit; iſta generando, ſalvavit. Illa nos pomo arboris in ipſa radice percuſſit; ex hujus virga flos exiit, qui nos odore reficeret, fruge curaret. Illa maledictione in dolore generat, iſta benedictionem in ſalute confirmat. Illius perfidia ſerpenti conſenſit, conjugem decepit, prolem damnavit; hujus obedientia Patrem conciliavit, Filium meruit, poſteritatem abſolvit. Illa amaritudinem pomi [2] ſuco propinat; iſta perennem Nati fonte deſudat. Illa acerbo guſtu natorum dentes deterruit; hæc ſuaviſſimi panis [3] blandimenti cibo formavit: cui nullus deperit niſi, qui de hoc pane [4] ſaturare fauce faſtidit. Sed jam vete-

(1) *Videndus S. Gregor. Turon. lib. 1 de Gloria Martyrum cap. 1v, ubi eadem tenetur opinione de morte B. Mariæ Virginis illiuſque circumſtantiis, quæ in præſenti loco pingitur: quamque, heinc vel maxime conſtat, apud Gallos olim invaluiſſe. E quo fonte illa manaverit præter Tillementium in notis ad vitam B. Mariæ Virginis, indicat Ruinartius in prælaudatum ſui Gregorii Turonenſis locum.*

(2) *Mabill.* ſucco.

(3) *Idem Mabill.* blandientis.

(4) *Idem* ſaturari.

veteres gemitus in gaudia nova vertamus. Ad te ergo revertimur, Virgo fœta, Mater intacta, neſciens virum, puerpera, honorata per Filium, non polluta. Felix, per quam nobis [1] inſpirata gaudia ſucceſſerunt. Cujus ſicut gratulati ſumus ortu, tripudiavimus partu; ita glorificamur in tranſitum. Parum fortaſſe fuerat ſi te Chriſtus ſolo ſanctificaſſet introitu, niſi etiam talem Matrem adornaſſet egreſſu. Recte ab ipſo ſuſcepta es in Aſſumptione feliciter, quem pie ſuſcepiſti conceptura per fidem: ut quæ terræ non eras conſcia, non teneret rupes incluſa. Vere diverſis [2] inſolis anima redempta: cui Apoſtoli ſacrum reddunt obſequium, Angeli cantum, Chriſtus amplexum, nubis vehiculum, Aſſumptio Paradiſum, inter choros Virginum gloria principatum, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui Angeli atque Archangeli non ceſſ.

Collectio poſt Sanctus;

Vere Sanctus, vere glorioſus Vnigenitus tuus Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Qui cum de ſuo Genitori eſſet æqualis, de [3] noſtra factus eſt minor ab Angelis: & ex Patre habens immortalitatem, ex Matre quod moreretur adſumpſit: ut in ſe liberaret genus humanum de tartaro, dum ipſum mors non tenuit in ſepulchro. Ipſe enim prid. quam pat.

Poſt Myſterium.

Deſcendat, Domine, in his Sacrificiis tuæ benedictionis coæternus & cooperator Paraclytus Spiritus: ut oblationem, quam tibi de tua terra fructificante porregimus, cæleſti [4] permuneratione, te ſanctificante, ſumamus. [5] Vt tranſlata Fruge in Corpore, Calice in Cruore, proficiat meritis, quod obtulimus pro delictis. Præſta omnipotens Deus: qui vivis & regnas in ſæcula.

Ante Orationem Dominic.

Exaudi omnipotens æterne Deus ſupplicem plebem tuam ob honorem Mariæ Beatiſſimæ Genitricis; & ita preces noſtras benignus intende; ut cum fiducia dicere mereamur orationem, quam nos Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus orare ſic docuit, dicens, Pater.

Poſt Orationem Dominicam.

Libera nos ab omni malo, ab omni delicto Auctor omnium bonorum & conditor, Deus: & intercedente Beata Maria Genitrice tua, contra cotidiani hoſtis inſidias, cotidiana nos protectione defende, Salvator mundi. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas.

Benedictio Populi.

Deus, qui, cum te non capiunt cæli, dignatus es in templo uteri Virginalis includi. *Amen.*

Vt mater integra haberet fructum de ſpiritu, & incorruptionem de partu. *Amen.*

Da

(1) *Mabill.* inſperata.
(2) *Mabill.* inſulis,
(3) *Juxta Mabill. legendum* de noſtro,
(4) Non dubito quin legendum hoc loco *cæleſti permutatione*, ut ſequentia probant. *Mabill.*
(5) *Obſerva & in præſentia inſigne pro* Tranſubſtantiatione *teſtimonium*.

Da plebi Angelum cuſtodem, qui Filium Mariæ, fide concipiente, prædixit. *Amen*.

Sanctificet gregem tuum illa benedictio, quæ ſine ſemine humano Redemptorem Virginis firmavit in utero. *Amen*.

Vt, te protegente, exultet Eccleſia de congregato populo; ſicut Maria meruit gloriari de fructu. *Amen*.

Quod ipſe præſtare digneris, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. *Amen*.

Poſt Eucharistiam.

Adeſto, quæſumus, Domine fidelibus tuis: ut quæ ſumpſit fideliter, & mente ſibi & corpore, Beatæ Mariæ interceſſione, cuſtodiat. Quod ipſe præſtare digneris, qui cum æterno Patre vivis & regnas.

Collectio ſequitur.

Quæſumus, Domine Deus noſter: ut, interveniente Beata Maria, ſacroſancta myſteria, quæ ſumpſimus, actu ſubſequamur & ſenſu. Et ejus nobis indulta refectio vitam conferat ſempiternam. Per eum, qui tecum, & cum Spiritu Sancto vivit & regnat.

MISSA IN NATALE Agnes Virginis & Martyris.

IN Beatæ Martyris Agnes natalitia tripudiantes, Fratres Kariſſimi, devoto corde Domino adſiſtamus. Vere enim hujus eſt honorandus natalis, quæ ſic nata eſt mundo, ut ſit cælo renata. Sic ſub morte legis procreata, ut contereret mortis auctorem. Sic infirmo ſexu condita, ut metuenda viris fortibus deſpiceret tormenta. Sic fragili conditione producta, ut puella virginibus & poteſtatibus triumpharet. O vera nobilitas, quæ ſic terrena generatione proceſſit, ut ad divinitatis conſortium perveniret; Oremus ergo, ut pro nobis interveniat precibus, quæ digna adſiſtit divinis obtutibus. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat.

Collectio ſequitur.

Deus victricis Agnes adjutor & præmium, exaudi nos illius interventu, cujus paſſionis natalem celebramus; cui tanti muneris gratiam contuliſti, ut diabolum, qui per Evam humanum genus omne ſubverterat, tenera ætate Agnes contereret, & ſexu inbecilli ſuperaret, veritatis confeſſione proſterneret, evidenter oſtendens quod non ſolum perpetuæ Virginitatis Martyra eſſet & Virgo manſura; ſed Agni immaculati ſponſa fieri mereretur integre de nomine. Adſume ergo hujus Sacrificii [1] immolatione gratanter, qui coronaſti glorioſam pro tantis meritis Virginem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Collectio poſt nomina.

Deus, qui virgineum florem per Mariæ uterum renovas, reddens nobis in Matre Virgine, quod per incontinentem perditum fuerat Matrem: quam ſequentes ſanctæ Virgines cum palma Martyrii ad tuum uſque thalamum

(1) *Mabill.* immolationem.

mum pervenerunt. Ex quibus eſt Beata Agnes Martyra, cujus hodie paſſionis ſolemnitas agitur; quæ nos ad lætitiam ſuæ devotionis excitavit. Vere eſt enim honorandus hujus diei natalis: quæ ſic terrena generatione proceſſit, ut ad divinitatis conſortium per conſecrationem Virginitatis perveniret. Per Dominum.

Collectio ad Pacem.

Læta nos, Domine quæſumus, Beatæ Martyris tuæ Agnes feſtivitas ſemper excipiat, quæ & jocunditatem nobis ſuæ glorificationis, & pacis ſinceritatis infundat; & tibi nos reddat acceptos. Per Dominum.

Immol.

Vere dignum, & juſtum eſt. Tibi enim, Domine, feſta ſolemnitas agitur, Tibi dies ſacrata celebratur: quam Beatæ Agnes Virginis ſanguis in veritatis tuæ teſtificatione profuſus, magnifico nominis tui honore ſignavit. Cui ad mirificanda gratiam tuam in tenero adhuc corpore, & necdum puellare flore maturo, hanc virtutem fidei, & patientiæ fortitudinem contuliſti, ut ſævitiæ perſecutoris non cederet conſtantia Virginalis: quo glorioſior fieret corona Martyrii; quia inter acerba ſupplicia nec ſexui potuit eripere nec ætati. Hujus igitur paſſionis diem hodierna devotione celebrantes, immolamus tibi, Domine Deus noſter, victimam laudis. Quam cum Filio tuo Domino noſtro & Sancto Spiritu, per claritatem regnantem, cum Angelis & Archangelis Dominationes, Principatus, & Poteſtates, cæli, cælorumque Virtutes, ac Beata Seraphin ſocia exultatione concelebrant, dicentes. *Sanctus.*

MISSA IN NATALE
Sanctæ Cæciliæ Virginis.

Venerabilem ac ſublimem Beatæ Martyris Cæciliæ paſſionem, & ſanctam ſolemnitatem pia devotione celebrantes, Conſervatorem omnium Deum, Fratres Kariſſimi, deprecemur: ut piis Eccleſiæ ſuæ precibus propitiatus adſiſtat: & ſicut illi hodie coronam dedit, nobis quoque miſericordiam largiatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, ſecum vi.

Collectio ſequitur.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui eligis infirma mundi, ut fortia quæque confundas: da nobis in Feſtivitate Sanctæ Cæciliæ Martyræ congrua devotione gaudere: ut & potentiam tuam in ejus paſſione laudemus, & proviſum nobis percipiamus auxilium. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Collectio poſt nomina.

Reſpice Domine, quæſumus, plebem tuam de Sanctæ Cæciliæ Martyris glorificatione gratulantem, & beneplacitum tribue ſacratarum tibi mentium famulatum: ut qui in Sanctis tuis te honorare non deſinunt, perpetua donorum tuorum largitate potiantur: & quod viſibiliter exhibent, inviſibiliter adprehendant: ut ſicut illius grata ſunt merita, ſic noſtra ſervitutis accepta reddantur officia. Per Dominum noſtrum Jeſum Filium tuũ.

Col-

Collectio ad Pacem.

Sanctæ Martyræ tuæ Cæciliæ, Domine, ſupplicationibus tribue nos foveri: ut cujus venerabilem ſolemnitatem prævenimus obſequio, ejus interceſſionibus commendemur & meritis. Et præſta, quæſumus, Domine, ut pax quæ profertur in labiis, etiam cordibus non negetur. Per.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare eſt, nos tibi ſemper gratias agere omnipotens ſempiterne Deus, qui perficis in infirmitate virtutem. Quia Beata glorioſaque Cæcilia, deſpecto mundi conjugio, ad conſortia ſuperna contendens, nec ætate mutabili præpedita eſt, nec inlecebris eſt revocata carnalibus, nec ſexu fragilitatis deterrita; ſed inter puellares annos, inter ſupplicium perſequentium, multiplicem victoriam Virgo caſta Martyra implevit: & ad potiorem triumphum ſecum ad regna cæleſtia Valerianum, cui fuerat nupta, perduxit. Et ſic coronam pudicitiæ meruit, ut regium thalamum non ſolum Virgo, ſed etiam Martyra intraret. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dō.

Benedictio Populi.

Summe, optime, miſericordiſſime Deus benedic famulos & famulas tuas. *Amen.*

Tribue eis per interventum Sanctæ Cæciliæ Virginis, cor in tuo amore ſolicitum, in tuo timore devotum, in tuo honore perfectum. *Amen.*

Da eis tranquillitatem temporum, ſalubritatem corporum, ſalutem animarum. *Amen.*

Mereantur te fide quærere, operibus invenire, gratia promereri. *Amen.*

Et illa ſtudeant agere, te teſte, quæ digna fiant in remuneratione, te judice. *Amen.*

Quod ipſe præſtare digneris, qui in Trinitate perfecta vivis, dominaris, & regnas.

MISSA IN NATALE
Sancti Clementis Epiſcopi.

Diem hunc glorioſæ paſſionis Sancti ac Venerabilis Clementis Epiſcopi, per quem ſuperſtitioſa Gentilitas conruit Judæorum, & Fides Catholica in corda hominum radiavit, Fratres Kariſſimi, revoluto anni circulo, debito veneremur obſequio, Domini miſericordiam exorantes: ut qui eum lumen teterrimo Gentilitatis errore præbuit, nos ſuo lumine oriens, ex alto clarificet: qui illum ſacræ prapoſuit Eccleſiæ, nos ſub mundialium faſce curarum gementes, ipſo exorante, ſublevare dignetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, ſecum vi.

Collectio ſequitur.

Chriſte omnipotens Deus, qui Beatum Clementem Antiſtitem propter nomen tuum in altitudine maris, Paganorum tempeſtate dimerſum, ut in certamine probaſti bellorum, ita poſt bellum patefactis arenis educis glorioſum: quæſumus pietatem tuam, ut nos a concupiſcentiæ procellis erutos, Pa-

ternæ gloriæ repræſentes innoxios, Salvator mundi. Qui cum æterno Patre vivis, & regnas Deus in unitate Spiritus.

Collectio poſt nomina.

Nominum ſerie relata [1] defunctorum, Fratres Kariſſimi, omnipotentis Dei miſericordiam ſupplices exoremus: ut interventu Sancti Clementis Antiſtitis & Martyris ſui, defunctis abſolutionem, viventibus tribuat ſalutem. Memores etiam ſimus fideliſſimorum ſuorum [2] Siſennii atque Theodoræ: ut quibus per Beatum Martyrem fidem ſe credendi inſeruit, eis Paradiſi Regna participet. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium ſuum, ſecum vi.

Collectio ad Pacem.

Concordator diſcordiæ, & origo ſocietatis æternæ, indiviſa Trinitas, Deus, qui Siſennii infidelitatem ab Eccleſiæ unitate disjunctam, per Sanctum Clementem Antiſtitem & ſubdis Catholicæ fidei, & innectis perpetuæ caritati; exaudi preces noſtras, illamque nobis pacem tribue, quam quondam ætherem aſcenſurus, Apoſtolis reliquiſti: ut qui præſentium labiorum impreſſione inlegati fuerint oſculo; tua cuſtodia pacifici permaneant in futuro. Quod ipſe præſtare digneris, qui cum Patre.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt. Vere dignum eſt, nos tibi gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, in ſolemnitate Sancti Martyris tui Clementis. Qui cognationem reliquit & patriam; & poſt odorem tui nominis, terras mariaque tranſmeans, abnegansque ſemetipſum, crucem peregrinationis adſumpſit, ut Te per Apoſtolorum tuorum veſtigia ſequeretur. Cui tu Domine ſecundum promiſſionem Filii tui tam in præſenti ſæculo, quam in futuro centuplicata muneris præmia repenſaſti. Nam Beatiſſimi Petri mox traditus diſciplinis, parentes, quos in genitali ſolo perdiderat, in externa regione [3] reſtitues; quos terrenæ generationis amiſerat, divinæ reddis naturæ participes. Deinde Magiſtri ſui Vicarium per ordinem ſubrogando, Romanæ Vrbis, cujus propter te deſpexerat dignitatem, tenere conſtituis Principatum. Pro quo tranſituria claritate, cæleſti facis honore conſpicuum. Poſtremo Martyrii gloria ſublimatum, pro temporalibus geſtis æternam provehis coronam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli, atque Archangeli non ceſſant clamare, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Benedictio Populi.

Cuſtos Sacerdotii, dicator Martyrii,

(1) *En apertum teſtimonium memoriæ vivorum ſimul & defunctorum in Miſſæ officio habitæ ante Canonis initium; quemadmodum in ſuperioribus non ſemel monuimus.*

(2) Hinc probatur antiquitas actorum Sancti Clementis, in quibus laudantur Siſinnius, Nervæ Imp. familiaris, ejuſque uxor Theodora, a Clemente ad Fidem converſi. *Mabill.*

(3) *Lege* reſtituis.

rii, palma triumphi, Deus benedic famulos & famulas tuas. *Amen*.

Dona eis Martyris hujus obtentu recte vivere, ſobrie agere, ſalubriter converſari. *Amen*.

Vt illa agant ſuo arbitrio, quæ digna habeantur tuo judicio; & indigna inveniantur ſubjacere ſupplicio. *Amen*.

Quod ipſe præſtare digneris, qui in Trinitate perfecta vivis & regnas.

MISSA SANCTI SATVRNINI [1] *Epiſcopi & Martyris*.

Deum, qui immortales glorioſorum Martyrum palmas triumphali cruore perfudit, & beatam diei hujus ſolemnitatem ſuis pro ſe vincentibus dedicavit, Fratres Kariſſimi, ſuppliciter oremus: ut qui dedit diei hujus ſolemnitatem, det plenum ſolemnitatis effectum. Qui dedit hoc quod cultus feſtivitatis amplectitur; det ut affectu devotionis imitemur. Et quicquid Sancto viro ac Beatiſſimo Martyri ſuo Saturnino hodierno die profuit ad gloriam, nobis proficiat ad ſalutem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum: qui ſecum, & cum Spiritu Sancto.

Collectio ſequitur.

Debitas, omnipotens ſempiterne Deus, referimus gratias Jeſu Chriſto Domino noſtro, in cujus ſimilitudinem Beatiſſimus Saturninus dum offerret victimam, ipſe fit victima: dum Sacerdotium electus agit, Martyrium devotus implevit: ut per eminentiam juſtitiæ atque victoriæ, & teſtis [a] fuerit & Antiſtes: in quo proficiens fidei latitudo, dum cathedram ſuſcipit ſanctitatis, coronam rapuit paſſionis. Ita majeſtatem tuam, Domine, ſupplices exoramus, ut qui ei tantam pro nomine tuo præſtitiſti tolerantiam, per ejus interceſſionem tribuas pro delictis plebi huic veniam. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Collectio poſt nomina.

Magnum nobis eſt ſemperque feſtivum, Fratres Kariſſimi, Summi Pontificis & Martyris Saturnini meritis, depenſis fideliter precibus exorare: Qui Salvatoris noſtri præcepta cuſtodiens, non ſolum Sacerdotium ac vitæ beatitudinem meruit; ſed etiam tanti honoris officium felici Martyrio conſecravit. Per cujus meritis deprecemur omnipotentem Deum: ut illic defunctorum animas transferat a tartaro, quo illum cauſa amoris ſui adſumere dignatus eſt poſt triumphum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, ſecum.

Coll. ad Pacem.

Deus, qui viſcera miſericordiæ atque uberi multiplici, ſic Sanctos tuos coronas pro meritis, ut diſcordantium animos eorum interceſſione pacifices: quæſumus per interventum Sancti Saturnini Antiſtitis & Martyris tui: ut pacificatam plebem, hujus feſtivitati collectam, ſic ab omni ſimultate ſepares, ut perfectam tuo conſpectui habere

a. Fuerit. *leg.* fieret.

(1) Toloſatium ſcilicet Epiſcopi, cujus feſtum III Kal. Decemb. ideſt in vigilia Sancti Andreæ, de quo infra; ubi *Roma Garonnæ* Toloſa dicitur. *Mabill.*

bere digneris. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt. Optimum ſane eſt, nobiſque ſpeciali devotione præcipuum, omnipotentiam tuam, Trinitas Deus, pro [1] cunctorum triumphalibus pœnis ſervitio linguæ ſupplicantis extollere, ſed præcipue hoc tempore Beatum Saturninum tremendi nominis tui conclamantiſſimum teſtem debito honore ſuſcipere: quem turba Gentilium cum impulit e Fano, intulit cælo. Siquidem ipſe Pontifex tuus ab Orientis partibus in urbem Toloſatium deſtinatus, [2] Roma garonnæ in vicem Petri tui tam cathedram, quam Martyrium conſummavit. Vnde benedicimus te, Domine, in operibus tuis, & ſupplices deprecamur: ut ſpiritalia Chriſtiani populi deſideria ſolemniter impleantur; & miſericordia a te petita, per Sancti tui Saturnini ſuffragia celeriter impetretur. Vt cum tuæ majeſtatis ſuper nos apparuerit gloria, meritorum noſtrorum tribuas indulgentiam, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui merito omnes Angeli, atque Archangeli, Cherubim quoque, & Seraphim ſine intermiſſione proclamant, dicentes. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

MISSA IN NATALE Sancti Andreæ Apoſtoli.

Præfatio.

APoſtolicum & [3] tot almum ſæculo diem, quo retifex ille præclarus Andreas poſt illuminatam prædicatione Achajam, felici Martyrio decoravit; vel proprii corporis hoſtiam crucis inſignia amplectendo geſtavit; Fratres Kariſſimi, intentis ſenſibus, & totis viſceribus excolamus, inclytam omnipotentis Dei miſericordiam deprecantes: uti hunc populum Crucis ſuæ ſignaculo præmonitum, illuc jubeat adire, adminiculante fide, quo Martyr præceſſit impleto certamine. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & reg.

Collectio ſequitur.

Chriſte Domine, Crucifer glorioſe, qui conſtantiam Beati Andreæ Apoſtoli propter gloriam tui nominis Crucifixi ita confortaſti in prælio, ut extolleres in triumpho. Exaudi hunc cœtum ſupplicem ac præſentem, & præſta: ut qui hoc tempore ejus ſolemnitati debitum fœnus exolvimus, futuris temporibus modum vitæ caſtiſſimæ, ipſo opitulante, ſervemus. Per te Chriſte Salvator mundi, qui cum æterno Patre vivis, dominaris, & regnas Deus in unitate Spiritus Sancti in ſæcula ſæculorum.

Colle-

(1) cunctorum.
(2) Roma Garonnæ. *Vide ſuperiorem Mabillonii notam pag.* 161.
(3) *Mabill.* & toti.

Collectio poſt nomina.

Omnipotentem Deum ac Dominum noſtrum, Fratres Kariſſimi, deprecemur, ut hodierna ſolemnia, quæ pro natale Beatiſſimi Apoſtoli, & Martyris ſui Andreæ ſuſcepimus, ſibi ipſe commendet: ac ſicut illi hodie ob prædicationem verbi ſui captum, inter vincula carceris, flagella, & crucis nece adfuit; & de triumpho nobili coronam dedit: ita interventu ejus nobis in ſe credentibus, qui præſſuris hujus mundi, & inſidiis adverſarii fatigamur, in omnibus tentationibus adeſſe, ac miſericordiam largiri dignetur. Et offerentum [1] ac pauſantum, quæ recitata ſunt nomina, Apoſtoli ſui interceſſione ſanctificet. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, ſecum viv.

Collectio ad Pacem.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui tanta tibi caritate Beatum Andream Apoſtolum vinxiſti, ut tuo auxilio mundi vinceret fluctus, carnis contereret motus, nitentiſque gladii non paveret adſultus: quem crux elevata ſuſcepit humilem, ut reſtitueret triumphantem: pacifica, quæſumus, hanc familiam ejus ſolemnitati collectam: ut dum præbet oſcula proximis, indulgens lædentibus, veniam obtineat pro delictis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum.

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt, æquum & juſtum eſt, pietati tuæ ineffabiles gratias referre, omnipotens ſempiterne Deus; & inæſtimabili gaudio paſſionem tuorum prædicare Sanctorum, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui Beato Andreæ in prima vocatione dedit fidem; & in paſſione donavit victoriam. Acceperat hæc utraque Beatus Andreas; ideo habebat & in prædicatione conſtantiam, & in paſſione tolerantiam. Qui poſt iniqua verbera, poſt carceris ſepta, alligatus ſuſpendio ſe purum ſacrificium tibi obtulit Deo. Extendit mitiſſimus brachia ad cælos, amplectitur crucis vexillum, defigit in oſculis ora, Agni cognoſcit arcana. Denique dum ad patibulum duceretur, in cruce ſuſpenderetur, carne patiebatur, & ſpiritu loquebatur. Obliviſcitur crucis tormenta, dum de cruce Chriſtum præconat. Quantum enim corpus ejus in ligno extendebatur, tantum in lingua ejus Chriſtus exaltabatur: quia pendens in ligno, ſociare ſe ei gratulabatur. Abſolvi [2] ſe non patitur a cruce, ne tepeſcat certamen in tempore. Turba circumſpicit, & lamentat; demitti a vinculo cupit, quem reparatorem mentis intelligit. Laxari poſtulat juſtum, ne pereat populus hoc delicto. Interea fundit Martyr ſpiritum, poſſeſſurus ſempiterni Judicis regnum. Per cujus meritis concede nobis omnipotens Deus, ut a malis omnibus tuti atque

(1) ac pauſantum, *idem perinde* ac mortuorum. *Notum eſt veteres vocem* pauſare *ad mortem deſignandum uſurpare conſueviſſe*.

(2) Hæc aliaque verba deſumta videntur ex vulgatis Sancti Andreæ actis, quæ ſæculo octavo nota erant apud Hiſpanos Beato Abbati, qui ex eis verba refert ſub finem libri 1 contra Elipandum. Libellus de miraculis Sancti Andreæ laudatur in Chronici Fontanellenſis cap. 14. *Mabill.*

atque defenſi, tibi Domino noſtro Deo Martyrum & Principi Apoſtolorum, laudes ſemper & gratias referamus cum Angelis & Archangelis, qui gloriam tuam non ceſſant clamare, dicentes.

Collectio poſt Sanctus.

[a] Oſanna in excelſis. Vere Sanctus, vere benedictus, vere glorioſus Dominus noſter JeſusChriſtus Filius tuus, qui Beatum Andream Apoſtolum primum electione, exinde certamine conſecravit. Ipſe enim pridie quam,

Collectio poſt Secreta.

Recolimus te, Domine, paſſum pro mundi ſalute humilem, ſed credimus ſubſiſtere ſemper in Genitore potentem. Precamur, ut qui de altario tuo participamur, cum Beatis Apoſtolis in cæleſtibus gloriemur. Præſta Salvator mundi, qui cum æterno Patre, & Spiritu Sancto vivis.

Collectio ante Orationem Dominic.

Deus, qui Sanctos Apoſtolos tuos, exemptos ab hujus ſæculi fluctibus, Angelicis juſſiſti cœtibus adgregare: quos etiam tuis præceptionibus inhærentes, qualiter te deprecarentur exhortator piiſſimus informaſti: ſupplices quæſumus, ut qui illos hilari affatu ſalubriter imbuiſti, nobis ipſam precem cum fiducia permittas clamare vel dicere. Pater noſter.

Coll. poſt Orationem Dominicam.

Ab omni malo nos eripe omnipotens Deus: & præſta, ut jubar Apoſtolici luminis [1] circumdatione nævum criminis cum pompis ſæculi reſpuamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Benedictio Populi.

Domine Deus omnipotens, qui glorioſus ſuper ſidera ſedens, almum nobis ſidus, Beatos Apoſtolos reliquiſti. Quorum ſpecioſam cohortem felici claritate pollentem, prius præelegiſti merito, ut prædeſtinares in regno. *Amen.*

Concede propitius circumſtantem plebem Crucis tuæ muneri ſignaculo; ut univerſum ſuperet adverſæ Poteſtatis incurſum. *Amen.*

Infunde ſenſibus ejus Apoſtolica dogmata, qua te contempletur mente ſerena. *Amen.*

Vt in illo tremendo diſcuſſionis tempore, eorum defenſetur [2] præſidium, quorum eſt ſecuta præceptum. *Amen.*

Quod ipſe præſtare digneris, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus.

MISSA IN NATALE
Sanctæ Eulaliæ [3] Virginis.

DEum omnipotentem, Fratres Kariſſimi, qui tantum prudentem Virginitatem fidei ſociatam apice gloriæ

a. Oſanna. *leg.* Oſianna.

(1) *Mabill.* circumdati.

(2) præſidio.

(3) Non Barcinonenſis, ſed Emeritenſis, de qua Prudentius in *Περὶ ϛεφάνων* hymno III. De hac Gregorius Turonenſis in lib. I de Gloria Martyrum cap. XCI, & Fortunatus in lib VIII, carm. 4. *Mabill.*

Emerita olim Luſitaniæ metropolis, hodie in Extremadura exciſa jacet, ſede ejus Compoſtellam tranſlata.

riæ conſecravit, ut per quem facta eſt Mater Maria, fieret Martyra Eulalia. Illa pariendi effectu felix, iſta moriendo. Illa implens incarnationis officium, iſta rapiens paſſionis exemplum. Illa credidit Angelo, iſta reſtitit inimico. Illa electa, per quam naſceretur Chriſtus, iſta per quam vinceretur diabolus. Supplici oratione poſcamus, ut Beatam Eulaliam pro nobis orantem, exaudiat: & omnia quæ, peccatis adverſantibus, impedimur; ejus auxilio ab omni labe peccaminum eruamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, ſecum.

Collectio ſequitur.

Deus, qui Sanctæ Martyræ tuæ Eulaliæ pro pœna gloriam, pro morte vitam, pro infirmitate virtutem, pro paſſione coronam tribuiſti; præſta, ut ſicut illa exultat in gloria, ſic nos de tua miſericordia gratulemur; & in æternum veniam, te donante, conſequi mereamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum.

Collectio poſt nomina.

Deum qui Sanctæ famulæ ſuæ Eulaliæ glorioſam & immarceſcibilem coronam martyrii contulit, Fratres Kariſſimi, ſupplices deprecemur: ut præſtante divina miſericordia, ipſius precibus obtineamus veniam, qui gloriam non meremur. Caris etiam noſtris, qui nos in ſomno pacis præceſſerunt, perennis ævi beatitudinem, & perpetuæ lucis gratiam remunerare dignetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, ſecum viv.

Collectio ad Pacem.

Deus ſimultatum diſcuſſor, pacis quæſitor, cujus ut pietatis eſt, diſiuncta conjungere; ita amoris eſt, caſta pacifice alligari. Tu nunc nos Domine, Apoſtolorum tuorum dogmate obſequentes pace necte, caritate orna, caſtitate ſanctifica. Et qui de Beatæ Virginis Eulaliæ paſſione meruimus habere exemplum; mereamur, devicta iracundia, obtinere triumphum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum viv.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare eſt, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus; teque laudare in omnibus operibus tuis. Qui dono gratiæ tuæ famulam tuam Eulaliam nobiliore mentis ſtigmate decoraſti; ut inlæſam in ſe imaginis tuæ pulchritudinem cuſtodiret. Digna vere comes Filii tui: quæ tenero ſexu bellum fortis invaderet; & ultra opinionem humanæ virtutis, ad tolerantiam pœnarum ſe, zelo tui amoris, obtulerit: quæ in ſpeciem pretioſi Vnigeniti ſanguinem ſuum ſub teſtimonio bonæ confeſſionis [1] effunderit; & incorrupta flammis viſcera in odorem ſuaviſſimi thymiamatis adoleret. Vadit ad tribunal cruenti Præſidis nec quæſita, lucratura Regnum, contemptura ſupplicium, inventura quæſitum, viſura confeſſum; non trepida de ſententia, non ambigua de corona, non defeſſa de eculeo, non diffiſa de præmio. Interro-

(1) *Mabill.* effunderet.

terrogatur, confitetur: ingentique miraculo majeſtas tua exaltatum Virginis ſpiritum, quem adſumpſit per flammam [1], ſuſcepit per columbam: ut hoc prodigio in cælis Virgo & Martyr aſcenderet, quo in terris Filium tuum Pater oſtenderas. Per quem majeſtatem tuam laudant Angeli, atque Archangeli non ceſſant clamare dicentes.

MISSA IN CONVERSIONE [2] *Sancti Pauli.*

DEus, qui Beati Pauli Apoſtoli dignitatem ubique facis glorioſam, præſta, quæſumus, ut & doctrina ſemper ipſius foveamur & meritis. Per.

Collectio ſequitur.

Sanctorum decus, remunerator juſtorum, Deus, qui ſuper omnes & per omnia & in omnibus nobis es: cui ſacrificium eſt, cor contritum; & oratio, purum incenſum: tribue nobis per interceſſionem Beatiſſimi Pauli Apoſtoli ſanctificationem cordis, fervorem ſpiritus, corporis puritatem: ut mortificatis terrenis vitiis, immaculatus ſpiritu & corpore noſtro, tibi ſemper laudis Hoſtias referamus. Quod.

Deus qui Apoſtolum tuum Paulum, inſolentem contra Chriſtiani nominis pietatem, cæleſti voce cum terrore perculſum hodierna die vocationis ejus mentem cum nomine commutaſti: & quem prius perſecutorem metuebat Eccleſia, nunc cæleſtium mandatorum lætatur ſe habere Doctorem: quemque ideo foris cæcaſti, ut introrſus videntem faceres. Cuique poſt tenebras crudelitatis ablatas, ad evocandas Gentes divinæ legis ſcientiam contuliſti. Sed & tertio naufragantem pro fide quam expugnaverat, jam devotum in elemento liquido feciſti [3] vita diſcrimen. Sic nobis, quæſumus, ejus & mutationem & fidem colentibus, poſt cæcitatem peccatorum fac te videre in cælis, qui illuminaſti Paulum in terris: & munera præſentia libens accipe, quæ Apoſtoli tui precibus tibi fiant accepta.

Collectio ad Pacem.

Deus, qui juſtitiæ leges in cordibus credentium digito tuo ſcribis; quique in Paulum hodierna die vocationis ejus de cælis, non atramento, ſed Spiritu tuo vivo, caritatis tuæ fervorem ita ſcribis, ut proprium quaſſandum corpus pro Eccleſiæ tuæ tradat membris, qui ipſius Eccleſiæ olim contriverat membra. Sic nobis ipſius interventu Doctoris & fidelis Magiſtri, fraternæ caritatis [4] ſincere conſortium dona; & de tuæ dilectionis, quam ille habuit, multiplici flamma, vel unam ſcintillam dignare largiri: ut ſequamur per dilectionem ferventem Magiſtrum, cujus flagrantia in caritate frequentamus præcepta.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt. Vere æquum & ju-

(1) Hæc Eulaliæ, non Barcinonenſi, quæ capitis abſciſſione martyrium conſummavit, ſed Emeritenſi conveniunt, quæ bibit ore rogum, ut Prudentius canit, & ſub ſpecie columbæ cælos petiit: quod poſtremum etiam de Barcinonenſi refertur. *Mabill.*

(2) In Martyrologio Gelloneſi annorum 900. VIII Kal. Febr. *Beati Pauli converſio in Damaſco. Mabill.*

(3) *Mabill.* vitare.

(4) *Idem Mabill.* ſinceræ.

& juſtum eſt, nos tibi gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui ut oſtenderes te omnium cupere indulgere peccatis, perſecutorem Eccleſiæ tuæ ad unum verbum tuæ vocationis lucratus es; & ſtatim feciſti nobis ex perſecutore doctorem. Namqui alienas epiſtolas ad [1] deſtrictionem Eccleſiarum acceperat, cepit ſuas ad reſtaurationem earum ſcribere: & ut ſe ipſum Paulum factum ex Saulo monſtraret, repente architectus ſapiens fundamentum poſuit: ut Sancta Eccleſia tua Catholica, eo ædificante, gauderet, a quo fuerat ante vaſtata: & tantus ejus defenſor exiſteret, ut omnia ſupplicia corporis, & ipſam cædem corporis non timeret. Nam factus eſt caput Eccleſiæ, qui membra Eccleſiæ conquaſſaverat: caput terreni corporis tradidit, ut Chriſtum Caput in ſuis omnibus membris acciperet: per quod etiam vas electionis eſſe meruit, qui eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum in ſui pectoris habitationem ſuſcepit. Per quem majeſtatem tuam laudant,

MISSA IN CATHEDRA Sancti Petri Apoſtoli. [2]

SOlemnitatis prædicandæ diem præcipue nobilem, in quo fidem præcellenti Filius excelſi Dei ori Petri monſtratus eſt: & in Coapoſtolos interrogante de ſe Chriſto quis eſſet, vere confeſſus eſt, cum Beatus Bar-Jona voce Redemptoris, fide devote prælatus eſt: ut per hanc Petri Petram, Baſes Eccleſiæ fixus eſt; venerantes, Fratres dilectiſſimi, deprecemur, ut tam glorioſa laude fidem Petri qui prætulit; ipſe beatitudinis auctor plebem conroboret. Per Dominum noſtrum.

Collectio ſequitur.

Deus, qui hodierna die Beatum Petrum poſt Te dediſti Caput Eccleſiæ, cum te ille vere confeſſus ſit, & ipſe a te digne prælatus ſit, ſupplices exoramus: ut qui dediſti Paſtorem, ne quid de ovibus perderes, ut grex effugiat errores; ejus interceſſione quem [3] præfeciſti, ſalvifices. Quod ipſe præſt.

(1) *Rurſus Mabill.* deſtructionem.

(2) *Unicum heic occurrit Cathedræ S. Petri feſtum noſtro in Miſſali Gothico: unicum itidem in Luxov. Lection. ut & in Bobienſi Sacram. Unde pronum eſt agnoſcere & veteres Gallos in moribus habuiſſe unicam in anno diem eidem feſto ſacrare juxta ea quæ diximus tom. IV, pag. 3, not. (1). Mabillonius Liturg. Gallic. lib. II, pag. 120 & 121 opinatur in hiſce veteris Galliæ Liturgicis monimentis accipiendum eſſe illud* Cathedræ *feſtum, quod Januario menſe colitur. Ut ita opinaretur, fecit Bobien. Sacram. in quo idem feſtum præcedit officium Aſſumtionis B. Mariæ, cujus diem proprium fuiſſe XV Kal. Februarii teſtantur antiqua Martyrologia atque Kalendaria. Fecit etiam Luxov. Lection. Cathedræ Sancti Petri diei ſacro ſubjungens tres ante initium Quadrageſimæ Dominicas; quæ locum non haberent ſi idem officium menſe Februario celebretur. Optima proculdubio viri præclariſſimi obſervatio: At diffiteri non poſſumus, quod nec ipſe ingenuus rerum indagator diſſimulat in notis ad Luxov. Lectionarium, locum, quem ſibi vindicat hoc in noſtro Miſſali Cathedræ feſtum, eidem adverſari: aperte enim ſatis denotat in Februario fuiſſe illud celebratum. Accedit, nec eidem opinioni aptari ullo modo poſſe rationem, quæ majores noſtros impulit ut hocce feſtum inſtituerint, quamque memorata notatione noſtra ad tomum IV tetigimus. Difficultas enaſcitur fortaſſe, quod nec ordine ſatis concinno Liturgici libri olim ante Gregorii Magni tempora digerebantur; aut quod eadem prorſus non eſſet nec penes unam gentem ſacri Officii diſtributio & diſciplina.*

(3) *Sacram. Bobienſe*, quem feciſti.

Poſt nomina.

Deum, qui Beato Petro tantam poteſtatem Diſcipulo contulit, ut ſi ipſe ligaverit, non ſit alter qui ſolverit; & quæ in terra ſolverit, [1] idem cælo ſoluta ſint: precibus imploremus; ut eductis a tartaro defunctorum ſpiritibus, non prævaleant ſepultis infernæ Portæ per crimina; quas per Apoſtoli fidem vinci credit Eccleſia. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Collectio ad Pacem.

Clementiſſime conditor, qui tanta caritate ſuccendiſti Diſcipulum, ut ſe de nave [2] jactato, ad te celer feſtinaret pede nudo per pelagus; & videns hanc dilectionem, claves ei [3] dans fiderum, voces inſpice ſuggerentium: [4] ut quicunque ex præcepto junguntur ad oſculum, livore pectoris excluſo, illuc per gratiam ducantur, [5] quæ cæli Petrus eſt Janitor. Præſt. Sal. mun.

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt [6] qui dives infinitæ clementiæ copioſo munere plaſmam tuæ creaturæ in tantum dignaris erigere, ut vernaculo limi [7] patiaris, homine de terrena compage claves cæli committeris, & ad judicandas tribus ſolium excelſæ Sedis in ſublime componeres. Teſtis eſt dies hodierna Beati Petri Cathedra Epiſcopatus expoſita, in qua fidei merito revelationis myſterium, [8] Filium Dei conſitendo, prælatus Apoſtolos ordinatur. In cujus confeſſione eſt fundamentum Eccleſiæ: nec adverſus hanc Petram Portæ Inferi prævalent; nec ſerpens veſtigium expremit; nec triumphum mors obtinet. Quid vero Beato Petro diverſo ſub tempore acceſſit laudis & gloriæ, quæ vox, quæ lingua, quis [9] explicit? Hinc eſt quod mare tremulum fixo calcat veſtigio, & inter undas liquidas pendula planta perambulat. Hic ad portam Specioſam, contracti tendit veſtigia; & tactus Petri digito, claudus non indiget baculo. [10] Hinc carceratus dum dormitat, Chriſtus [11] cum ipſo pervigilat: & retruſus ergaſtulo, foras procedit per Angelum. [12] Hinc paralyticum erexit decubantem in [13] lectulo: ac debilitato, verbo dedit veſtigium. Hinc Tabitham mulierem revocavit de funere, [14] & virtute imperanti prædare non licuit. Hinc tanta fidei [15] dotem inter Apoſtolos petiit, ut curaret univerſos languores, dum præterit; & cadavera viverent, umbra ſalubris quæ tetigit. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui mer.

Poſt

(1) *Idem Sacram. Bobienſe*, item *pro* idem.

(2) *Idem Sacram.* jactatum.

(3) *Idem*, ei daret.

(4) *Quod reliquum eſt in hac Oratione omittit Sacram. Bobienſe*.

(5) *Mabill.* quo.

(6) *Sacram. Bob. illic interponit*, omnipotens Deus.

(7) *Idem Sacram.* compatiens, homini de terrene.

(8) Videtur legendum, *revelationis myſterio Filium Dei confitendo prælatus Apoſtolis*, vel *Apoſtolus, ordinatur*. *Mabill.* *In Sacram. Bobienſi*, in que fidei merito revelationis myſterium fidei, Filium Dei confitendo.

(9) explicet.

(10) *Sacram. idem*, Hic.

(11) *Idem rurſus*, pro ipſo.

(12) *Denuo Sacram. Bob.* Hic.

(13) *Idem Sacram.* In lecto. Hic Tabitam.

(14) *Idem Sacram.* & virtutem imperante, morti prædari non licuit. Per Chriſtum Dominum. *Ita in eo Sacram.* Conteſtatio *hac concluditur ceteris omiſſis*.

(15) Lege, *dote inter Apoſtolos præiit*. *Mabill.*

Poſt Sanctus.

Suſcipe Domine inter Angelicæ vocis officium, [a] noſtræ quoque ſervitutis obſequium. Per Chriſtum.

Poſt Myſterium.

Hæc igitur præcepta ſervantes, ſacroſancta munera noſtræ ſalutis offerimus, obſecrantes: ut immiſcere digneris Spiritum tuum Sanctum ſupra hæc ſolemnia: ut fiat nobis legitima Euchariſtia in tuo, Filiique tui nomine, & Spiritus Sancti, [1] in trasformatione Corporis ac Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti Vnigeniti tui, edentibus nobis vitam æternam, regnumque perpetuum conlatura bibituris. Per ipſum Dominum.

Ante Orationem Dominicam.

Divino magiſterio edocti, & divina inſtitutione formati, audemus dicere. Pater noſter.

Poſt Orationem Dominicam.

Libera nos æterna pietas, & vera libertas: neque ſinas ab inimico capi, qui a te cupiunt poſſideri, omnipotens. Qui vivis.

Benedictio.

Supra cælorum agmina ſedens, toto orbe terrarum pugillo concludens, votiva hoc hodierni diei ſolemnia celebraturos peraudi. *Amen.*

Vt qui Sancti Patroni uoſtri Petri tuique Apoſtoli feſta colimus; per ejus interceſſionem tibi placeamus. *Amen.*

Da Sacerdotum, Regum, cunctorumque populorum illa ſemper in mente: ut qui te Deum verum confitentes, laudes dicentes, [2] inlata noſtrorum crimina ſalvantur. *Amen.*

Et quemadmodum nos feciſti de ſacro fonte procedere puros; ita nos jubeas in æterna repacula cum Sanctorum cœtibus ſociari perpetuos. Quod ipſe præſtare digneris, qui cum Patre.

ORDO MISSAE
in initium [3] Quadraginſimæ.

Omnipotens ſempiterne Deus præſta: ut Quadraginſimale hoc jejunium ſolemne & competentibus inchoemus obſe-

a. noſtræ. *leg.* noſtræ noſtræ.

(1) In transformatione. *Recole quæ in ſuperioribus occurrunt pag.* 245. *not.* (2) *& pag.* 256. *not.* (5)

(2) Pro *inlatis* ..... *criminibus*. *Mabill.*

(3) Quadraginſimæ, *Ita ſcriptum legitur & in Luxov. Lect. atque Bobienſi* Sacram. *unde cum Mabill. jure colligere poſſumus, ea ratione ſcribendum iuliſſe mores illius temporis, quo hæ membranæ exaratæ fuerunt. Officium præſens dicitur* Ordo Miſſæ in Initium Quadraginſimæ, *conſonat, & Lect. &* Sacram. *Gallicani ritus nuper laudata. Celebrandum ne erat illud Officium Feria* IV *ante Dominicam Quadrageſimæ, vel in ipſa hac Dominica? In veteribus hiſce libris obſcurum eſt. Mabillonius conjicit ad diem Dominicum ſpectaſſe noſtrum officium, ratus antiquitus, vel ipſa Gregorii Magni ætate, quadrageſimale jejunium inchoatum non fuiſſe a Feria* IV *Cinerum. Nos contraria deteχiſſe nobis videmur in Gelaſii Sacramentario ſuperiori pag.* 15. *not.* (1) *Contraria inſuper diſerte adſirmat Ven. ipſe Thomaſius in ſingulari hac de re Opuſculo, quod quam primum typorum formis vulgaturi ſumus Tomo hunc proxime ſequenti, Editionis noſtræ* VII. *Quare ſi non probetur opinio dicentium poſt Gregorium primum ſtatutum fuiſſe Jejunii initium a Feria* IV *Cinerum, ſed illud antiquioris ſanctionis eſſe dicamus: noſtrum Quadrageſimæ initium in præſenti officio æque interpretari poteſt & de Feria* IV *cinerum, & de prima Quadrageſimæ Dominica. Alterum eſt quod Mabillonius heic obſervat, nec a nobis prætereundum; nullum nimirum in veteribus Gallicanis hiſce ritibus veſti-*

obſequiis, & tibi placitis effectibus celebremus. Humani generis conditor & redemptor largire propitius, & continentiam noſtræ reſtaurationis in tuis [1] depotatam ſincera converſatione tractemus. Quod ipſe præſtare.

Coll. ſequitur.

Deus abſtinentiæ, Deus caſtimoniæ, qui libenter jejunantium humilitate placaris, & humiliantium ſe precibus benignus inflecteris: exaudi preces noſtras in hac hodierna die, quo Quadraginſimale inchoamus jejunium & diverſarum [2] tentationum, quibus tempeſtate diſcuſſa, continentiam nobis a vitiis, tuis benignitatis infunde, Salvator mundi.

Coll. poſt nomina.

Offerentium nominibus recenſitis, qui devota Altaribus munera humilitatis jejunio mentis & corporis a Domino deprecantur, pro merito devotæ ſanctificationis obtineant. Per.

Coll. ad Pacem.

Deus continentiæ, Deus caritatis & pacis, qui precibus humiliantium ſe inflecteris; miſerere noſtri, exaudi nos, & diverſarum turbinum tempeſtate remota, pacem nobis tuæ ſerenitatis impertias: quam ſi peccatorum noſtrorum nimietate perdidimus, per indulgentiam tuæ miſericordiæ conſequamur. Per Dominum noſtrum Jeſum.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare eſt, nos tibi gratias [3], Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui eſt Filius tuus Unigenitus, manens in gloria tua: in quo jejunantium Fides alitur, Spes provehitur, Caritas roboratur. Ipſe eſt enim panis vivus & verus, qui de cælo deſcendit, & habitat ſemper in cælo; qui eſt ſubſtantia æternitatis, & eſca virtutis. Verbum enim tuum, per quod facta ſunt omnia, non ſolum humanarum mentium, ſed ipſorum quoque panis eſt Angelorum. Hujus panis alimento Moyſes tuus famulus quadragenta diebus & noctibus legem [4] ſuſcipiens, jejunavit, & a carnalibus cibis, ut tuæ ſuavitatis capacior eſſet, abſtinuit, de verbo tuo vivens. Cujus [5] & dulcedinem vivebat in ſpiritu, & lucem accipiebat in vultu: unde nec famem corporis ſenſit, & terrenarum eſt oblitus eſcarum: quia illum & gloriæ tuæ clarificabat aſpectus, & influente Spiritu Dei ſermo paſcebat. [6] Hunc panem Domi-

veſtigium inveniri Dominica Septuageſimæ, *vel Sexageſima aut Quinquageſimæ. Praterea in iiſdem hiſce libris ſingulis Quadrageſima feriis propria non deſignantur Miſſarum officia. Noſtro in hocce Miſſali ab initio Quadrageſima uſque ad Feriam* v *in Cœna Domini ſeptem dumtaxat Miſſe numerantur, nullis certis ſtatutiſque diebus adſcripta. Quas ſi pro Dominicis diebus fuiſſe diceremus, conjicere inde eſſet primam hanc Miſſam, qua pro initio Quadrageſima ponitur ad diem Dominicum non adtinere; & fortaſſe ad Feriam* iv *ante Dominicam Quadrageſima, qua olim uti veterum charta demonſtrant, dicebatur* Caput Jejunii: *nunc vero temporis dies Cinerum.*

(1) *Mabill.* depatatam.

(2) turbationum, *non* tentationum *ait Cod. Bob.*

(3) agere *addit ibi de ſuo Mabill.*

(4) *Sacram. Bobienſe*, accipiens.

(5) *Idem Sacram.* cujus dulcedine.

(6) *Idem Sacr.* Hunc panem, Domine, nobis miniſtrare non deſinas, quem ut ſitiamus, *qua in medio ſunt omittens.*

Domine nobis per hos quadraginta dies (in quibus hodie, [1] Quadraginſimale macerationem abſtinentiæ inchoantes, ingredimur) miniſtrare digneris: quem ut [2] ſitiamus indeſinenter, hortaris. Cujus Carne a te ipſo ſanctificata dum paſcimur, roboramur: & Sanguine dum hauſto ſicienter potamus, [3] abluemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem.

Poſt Sanctus.

Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus ſcientiarum Dominus, qui præſtat adinventiones ſuas, & diſponet omnia ſuaviter: qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen eſt illi. Hic panis vivus & verus, qui de cælo deſcendit, ut daret eſcas eſurientium; immo & ipſe eſſet eſca viventium: fiat nobis in pane, quo corda firmantur: ut in virtute panis hujus per hos quadraginta dies ſine impedimento carnis & ſanguinis, jejunare valeamus, Ipſum panem habentes, qui pauperes paſcit panibus: qui Moyſi, & Heliæ per quadraginta dies jejunantibus, Quadraginſima dedicavit: deinde etiam in ſuo ipſe jejunio, eumdem nobis numero dierum jejuni ſolemnitate ſignavit: ut quod ipſe Dominus in [4] noſtro corporis infirmitate, pro nobis jugiter in XL. diebus explevit: id nos vel minutatim eodem numero dierum calculo diſtributa obſervantia, [5] veſpertinis refectionibus ſtudeamus imitari. Per.

Poſt Myſterium.

Accepta tibi ſit Domine noſtræ devotionis oblatio: quæ & jejunium noſtrum, te operante, ſanctificet, & indulgentiam nobis tuæ conſolationis obtineat. Per eum.

Ante Orationem Dominic.

Non agnoſcentes Domine meritum, ſed præceptum, quia jubere dignatus es, audemus dicere.

Poſt Orationem Dominicam.

Adeſto Domine fidelibus tuis: & quos cæleſtibus inſtitues Sacramentis, a terrenis conſerva periculis, Salvator mundi.

Poſt Eucbariſtia.

Concede Domine, quæſumus, morum nos collectione levari: qui cum hæc dona contuleris, cuncta nobis utilia non negabis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Conſummatio Miſſæ. [6]

Virtutum cæleſtium Deus qui plura præſtas, quam petimus, aut meremur: tribue quæſumus, ut tua nobis miſericordia conferatur, quod noſtrorum non habet fiducia meritorum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Bene-

(1) *Mabil.* Quadraginſimalia.

(2) *Retur Mabill. legendum forte eſſe*, eſuriamus.

(3) *Bob. Cod.* abluimur.

(4) *Lege*, in noſtri corporis &c.

(5) Notiſſima Patrum noſtrorum ad veſperam jejunia, ſed tamen vel ad humilitatem noſtram, & pudorem notanda. *Mabill.*

(6) Peculiaris hac die Oratio, qualis in ſuperioribus Miſſis non habetur, præterquam in Miſſa de Natali Domini. Similes in feſto Sancti Johannis Euangeliſtæ, & in Circumciſione, ſupra: Item infra in Miſſa LXXVI & ſequentibus. *Mabill.*

Quæ heic dicitur Conſummatio Miſſæ *aliquando etiam inſcribitur*, Collectio ſequitur *& infra in Miſſali Francorum dicitur*, Ad Plebem.

Digitized by Google

Benedictio populi in initium Quadragesimæ. [1]

Ad cuſtodiam gregis tui animarum Paſtor, qui dormire neſcis, invigila. *Amen.*

Et ne nocturnis terroribus fatigetur, inviſibili eum adtactu ſanctifica. *Amen.*

Fragilem ſolida, contritum eleva, invalidumque confirma, pietate alleva, caritate ædifica, caſtitate munda, ſapientia inlumina, miſeratione conſerva. *Amen.*

Proficiat fidei vigilanti, amoris tui perſeverantia, morum temperantia, miſericordiæ providentia, actuum diſciplina. *Amen.*

Vt per conceſſa miſerationis indulgentia, non abjicias eum a promiſſionis tuæ magnificentia: ſed perducas ad veniam, quem hic tibi adoptaſti per gratiam. *Amen.* Per Dominum.

ITEM MISSA Jejunii. [2]

OMnipotens ſempiterne Deus, qui nobis in obſervatione jejunii & eleemoſynarum ſemine poſuiſti noſtrorum remedia [3] concede peccatorum; quæſumus, nos opere mentis & corporis ſemper tibi eſſe devotos. Quod ipſe præſtare.

Coll. ſequitur.

Deus humanæ ſalutis operator, da nobis exercere jejunia congruenter, quibus noſtræ ſubſtantiæ ſempiterna remedia providiſti.

Coll. poſt nomina.

Deus, qui non tantum nos a carnalibus cibis, ſed ab ipſius animæ noxiis delectationibus præcipis jejunare: ſic nobis, quæſumus, indulgentiæ tuæ præbe ſubſidium, ut jejunando ab inlicitis contagiis, ad ſuperna creſcamus: & nomina, quæ recitata ſunt, in cæleſti pagina conſcribi præcipias. Per.

Coll. ad Pacem.

Concede nobis omnipotens Deus: ut per annua Quadrageſimalis exercitia ſacramenti, & ad intelligendum Chriſti proficiamus arcanum, & affectus ejus digna converſatione ſectemur; ut ſinceram nobis pacem tribuas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Tibi ſanctificare jejunium, quod nos ab initio ſæculi ſervare docuiſti. Magnam enim in hoc munere [4] corporis gratiarum contuliſti: quod ſi illa humani generis Mater interdictam ſibi arborem cuſtodiſſet; & immortalitatem retinuiſſet & patriam. Sed peccatum Matris antiquæ, quod inlicita ligni

(1) *Benedictio Populi heic ponitur, non ut in aliis Miſſis poſt abſolutam Orationem Dominicam, ſed poſt* Conſummationem Miſſæ, *quod & infra obſervari poteſt in Miſſali Gallicano veteri, in ſecunda Miſſa de Adventu.*

(2) *Ita inſcribuntur hæc & ſequentes Miſſæ in Sacram. Cod. Bobienſis.*

(3) Remedia peccatorum, concede quæſumus, *ibi merito habet idem Cod. Bob.*

(4) *Cod. Bob.* corporibus.

ligni [1] vetitus uſurpatione commiſit, [2] in noſtris oramus, abſolve jejuniis: [3] & qui de Paradiſo non abſtinendo cecidimus, [4] eumdem, nunc jejunando, redeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem.

ITEM ALIA MISSA Jejunii.

DEus, qui profundo conſilio proſpiciendo mortalibus, ſancta inſtituiſti jejunia, quibus corda languentium ſalubriter curarentur: Tu animam noſtram, corpuſque caſtifica, corporis animæque Salvator, & æternæ felicitatis benigne largitor. Per coæter.

Coll. ſequitur.

Deus, qui ob animarum medelam, jejunii devotione caſtigare corpora præcepiſti; concede, quæſumus: ut corda noſtra ita pietatis tuæ valeant exercere mandata, quatenus ab omnibus ſemper poſſimus abſtinere peccatis. Per Dominum noſtrum Jeſum.

Coll. poſt nomina.

Defenſio tua, Domine quæſumus, adſit humilibus; & jugiter protegat in tua miſericordia confidentes neceſſariis, in quibus indiget humana conditio, & immortalitatis dona præveniant: & offerentium nomina recitata cæleſti chirographo in libro vitæ jubeas adſcribi. Per.

Cod. Sacram.

Coll. ad Pacem.

Vide, quæſumus, Domine infirmitatem noſtram, & jejunia adflictione poſitis celeri nobis pietate ſuccurre; ut ad ſuperna creſcamus, & ſinceram nobis tribuas pacem. Per.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt, nos tibi hic & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: & tibi ſanctificare jejunium, quod nos ad animarum medelam, & caſtigationem corporum ſervare docuiſti; quia reſtrictis corporibus, animæ ſaginantur; & in quo exterior homo noſter adfligitur, dilatatur interior. Memento Domine in hoc jejunio noſtro miſerationum tuarum, quas peccatoribus pie ſemper jejunantibus contuliſti; ut non ſolum a cibis, ſed a peccatis omnibus abſtinentes, grato tibi jejunio placeamus, in quo non inveniantur voluntates noſtræ a tua voluntate diſſimiles. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Ante cujus.

ITEM MISSA Jejunii.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ſic hominem condidiſti, ut meliorem temporalibus beneficiis competenter inſtructum, ad cæleſtia dona proveheres; præſta quæſumus: ut ſicut per inlicitos appetitus de indulta beatitudinis regione decidimus: ſic per alimonia tuo munere diſtributa,

(1) *Lege vetiti, ex eodem Bob. Cod.*
(2) *Idem Cod.* & noſtris.
(3) *Idem Cod.* ut qui.
(4) *Cod. Bob.* eodem. *Mabill.* ad eundem.

& tranſitoria ſuſtentetur humanitas, & amiſſa reparetur æternitas. Per.

Coll.

Semper nos, Domine quæſumus, continentia ſalutaris erudiat; quæ & nos jejunio intentos efficiat puriores, & tua nobis dona conciliet. Per.

Coll. poſt nomina.

Tua nos, Domine, gratia & ſanctis exerceat veneranda jejuniis, & cæleſtibus myſteriis efficiat aptiores, & recitata nomina cæleſti chirographo in libro vitæ jubeas adſcribi. Per.

Coll. ad Pacem.

Præſta nobis omnipotens Deus: ut quia vitiis & litibus ſubiacet noſtra mortalitas; tua, per præſentia jejunia, nos medicina purificet per caritatem ſinceram. Per Dominum.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt, Te auctorem & ſanctificatorem jejunii conlaudare, per quod nos liberas a noſtrorum debitis peccatorum. Ergo ſuſcipe clemens jejunantium preces: atque ut nos a malis omnibus propitiatus eripias; iniquitates noſtras, quibus juſte adſligimur, rogamus, abſolve. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

... Oratio poſt Sanctus in Quat.

[a] Deus rerum omnium Conditor atque Creator, qui Vnus in Trinitate, & Trinus in Vnitate cognoſceris; cujus magnitudinem difficiens eſt lingua humana narrare: quem ſine ceſſatione proclamant Angeli, Sanctus. Ideo nos minimi famuli tui, ore quidem indigno non tres Sanctus, ſed ter Sanctus [1] præconiæ vocis attollemus: ut conſono modulaminum proclametur ter [2] repetitur laudatio. Ob hoc pietatem tuam, Clementiſſime Domine, exoramus, optata tribuas, præſumta indulgeas: ut deterſa nube peccaminum, pura & libera conſcientia, tuam mereamur [3] obolentia conlaudare. Salt.

ITEM MISSA Jejunii.

Oncede, quæſumus, Domine Deus noſter: ut quod nobis de alimoniis ob macerationem carnis ſubtrahimus, jejunando; voluntate a te data jocunda, conferamus pauperibus largiendo; quia tunc jejunii obſervatio probabitur fructuoſa, ſi & corporis ſenſibus per continentiam caſtitatis mens noſtra ſit purior; & conſcientiam pietatis fœcundet affectus.

Coll. ſequitur.

Da nobis omnipotens Deus: ut jejunando a corporalibus eſcis, ſpiritu vege-

a. Hæc Oratio charactere Longobardico in propria exilique membrana ſcripta, inſerta eſt Exemplari.

(1) *Mabill.* præconio vocis attollimus.
(2) *Idem Mabill.* repetita.

(3) *Denuo a Mabill. emendatur locus corruptus.* omnipotentiam *pro* obolentia *legendo.*

vegetati, ſatiemur [1] rubore: & abſtinendo ab alimoniis, pariterque deliciis, cunctis proficiamur in virtute hoſtibus fortiores.

Coll. poſt nomina.

Præſta nobis Domine, quæſumus, tuæ auxilium gratiæ: ut jejuniis & orationibus convenienter & devote intenti, mentis & corporis a vitiorum hoſtibus liberemur: quique ad hoc eſſe jejunium dare dignatus, ut abſtinentia & caſtigatione macerati carnali, in fide inveniamur firmi, & in operibus efficaces: ſuſcipe jejunantium preces cum libatione præſenti, defunctis refrigerium, ſuperſtitibus indulgentiam donans, per eam placatus: & nomina, quorum ſunt diſtincte vocata, figere inſcriptione ſempiterna digneris.

Coll. ad Pacem.

Acceptum tibi ſit, Domine quæſumus, hoc ſacrificium jejunii noſtri, quod expiando nos caritatis donum tuæ faciat ſinceritate capaces; & per eam conjunctos ad promiſſa ſempiterna perducat: cordibuſque noſtris jejunii adtenuatione intentis, per fraterna oſcula, [2] pura tuæ dilectione, & proximi puritatem benignus infunde: ut a terrenis jurgiis vel læſionibus cum abſtinentia quieſcentes, propenſius cæleſtia meditemur.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt, nos tibi ſemper gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: ut modulum terrenæ fragilitatis aſpiciens, non in ira tua pro noſtra pravitate nos arguas: ſed immenſa clementia purifices, erudias, conſoleris: quia cum ſine te nihil poſſumus facere, quod tibi ſit placitum; tua nobis gratia ſola præſtabit, ut ſalubri converſatione vivamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem majeſtatem.

ITEM MISSA IN *Quadragiſima.* [3]

Domine Deus, qui populis tuis & juſte iraſceris, & clementer ignoſcis; inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris: ut qui te in jejuniorum tuorum obſecratione totis ſenſibus confitemur, non judicium tuum, ſed indulgentiam ſentiamus. Per.

Coll. ſequitur.

Oblata munera ſuperpoſita Altario tuo, Domine ſanctificare dignare; & per ea placatus, peccata noſtra, quæſumus, in die jejunii noſtri, memor humanæ conditionis abſolve; & quicquid eorum retributione meremur, averte. Per Dominum noſtrum.

Poſt nomina.

Deus bonarum actionum & inſpirator & doctor, qui voluptates per inedia jejunii corporalis reſtrictas, agnitionem tuam noſtris cordibus tribues: da nobis fidei, ſpei, & caritatis augmen-

(1) *Mabill.* robore.
(2) *Mabill.* puram tuæ dilectionis & proximi caritatem benignus infunde.

(3) *An* Miſſa in Quadragiſima *aliquid denotet diſcriminis a* Miſſa Jejunii, *& an eo titulo Miſſa Dominica Palmarum diſtinguatur ab aliis, me latet*

mentum: ut per ſanctificationem jejunii, tuum in nobis ſit templum, quod præmio fiat æternum: & nomina quæ vocabulorum ſunt pro ætatibus memorata, æternitatis titulo jubeas præſignari.

Ad Pacem.

Omnipotens & miſericors Deus exaudi preces jejunantium ſupplices, & miſericordiæ tuæ munus, omni ceſſante fraudulentia, propitius impende: ut per conjunctionem pacis, omne ſimultate compreſſa, ſecuris tibi mentibus ſerviamus. Per.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt, nos tibi & ubique gratias agere, omnipotens ſempiterne Deus. Qui juſte corrigis, & clementer ignoſcis, in utrumque miſericors: quia nos ea lege diſponis, ut coercendo, perire non ſinas in æternum; & [a] paſcendo, ſpatium tribuas corrigendi. Per Chriſtum.

MISSA IN SYMBVLI[1] traditione.

In geminas partes diem hunc excolendum complectitur, Domine, noſtræ ſervitutis famulatio, vel de jejunio culto ſacrato, vel de inſignibus tuis, quæ hodie fulſerunt, mirabilibus: quo Lazarum reduxiſti poſt tartara, cum ad vocem tuam intonatem exilivit, & quatriduani jam fætentis funus vivificans animaſti: vel etiam cauſa miraculis obſtupefacta, plaudens turba Bethania occurrit cum palmis tibi obviam Regi. Exaudi nos in hoc geminato ſervitutis noſtræ obſequio, & præſta propitius atque placatus: ut animæ noſtræ quæ tumulo ſunt peccatorum concluſæ, & cicatricum [2] morbidata decorruptæ, reviviſcant ex tua interius viſitatione; ſicut Lazari viſcera a tua fuerunt animata voce. Sal.

Collectio ſequitur.

Bone Redemptor noſter Domine, qui manſuetus manſueti animalis aſelli terga inſedens, ad Paſſionem redemptionis noſtræ ſpontaneus adpropinquas, cum tibi ramis arboreis certatim ſternitur via; & triumphatricibus palmis cum voce laudis occurritur: quæſumus Majeſtatem tuam divinam, ut oris noſtri confeſſionem, atque corporis in [3] jejunii humiliationem libens ſuſcipias; & fructum nos viriditatis habere concedas: ut ſicut illi in tua fuerunt obvia cum arboreis virgis egreſſi; ita nos, te redeunte in ſecundo adventu, cum palmis victoriæ mereamur occurrere læti. [4] Sal. m.

Collectio poſt nomina.

Ecce, Domine, de te Caiphæ Pontificis vaticinium ignarum ſibi ipſi, in populis eſt probatum, ut unus occumberes pro gente, ne cuncti pariter interi-

a. paſcendo. *leg.* parcendo.

(1) Pro Dominica in Palmis, ut notatur in lib. 1I, ad hanc diem, & inferius in Miſſali Gallicano. *Mabill. Vide quæ diximus ſupra ad pag. 44. not.* (1)

(2) *Legendum cum Mabill.* morbida tabe corrupta. *Cetera vel ſola hæc Præfatio denotat quod paullo ſuperius erat a clariſſimo viro obſervatum: officium nimirum pertinere ad Dominicam in Palmis.*

(3) *Mabill.* in jejuniis.

(4) Sal. m. Salvatur mundi *interpretatur Mabill. Et quidem bene.*

Digitized by Google

terirent: & tu ſingulare granum in terra moreris, ut ſeges plurima naſceretur. Supplices tibi ipſi, qui pro mundi ſalute es Hoſtia cæſus, deprecamur: ut nobis de te [1] ipſum veniam dones, qui te ipſum obtuliſti pro nobis. Et hos, quos recitatio commemoravit ante ſanctum Altare, qui in pacem jam tuam ab his ſunt vinculis corporeis tranſlati, quæſumus Domine, ut te habeant Ereptorem, quem per Baptiſmum meruerunt Redemptorem habere. Sed & ſi qui inter hos adſtantes, qui ad Baptiſmi ſalutaris Sacramenta præparentur, quæſumus Domine Deus noſter: ut imbutos in fide, inſtructos in ſenſu, confirmatos in gratia, ad percipiendam plenitudinem gratiæ tuæ, Spiritus tui munere jubeas præparare: ut ſancti Lavacri fonte deſiderato mereantur renaſci. Quod.

Coll. ad Pacem.

Vniverſorum ipſe dominator qui conditor, creaturæ tuæ præſtanter amabilis & amator: cui Martha ſatagit, Maria pedes abluit, cum quo Lazarus redivivus accumbit, (tota nempe domus eſt in amore) annue plebi tuæ, ita ſe exercitare per dilectionem, ut in te poſſit unita manere per pacem. Miniſtra in nobis illas lacrymas, quas Maria de multa dilectione protulit: flagrare orationem noſtram facito, ſicut unguentum piſticum, ſacris plantis infuſum, Mariæ flagravit: ut eam pacem conſequamur per oſcula noſtra in alterutrum porrecta; quam conſequuta eſt Maria, ſui oſculans Redemptoris veſtigia. Salvator mundi.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt, tibi Domine ab omni ſexu, ætate, & ſenſu dicere laudem in hac die jejunii, & laudis tuæ triumphali præconio: quo ab Hieroſolymis & Bethania occurrerunt tibi plurimæ populorum catervæ una voce perſtrepentes: Oſianna Fili David, Benedictus qui venit in nomine Domini. Tibi enim cum lingua, coma ſervivit arborea, cum arenoſa itinera ramis viruerunt compoſita. Plebis quoque indumentum tuis plantibus ſternitur, nudatiſque viris via veſtitur; Victori novo populus præſtat triumphum. Surgit totus clamor in laude; voces clamantium penetrant Templum dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Ecce Hieruſalem qualiter tibi Rex tuus ſedens ſuper aſinum, manſuetus advenit. Adveni ergo, rogamus, & in medium noſtri adſiſte: & qui nos tunc reparaſti per Crucem, per iſtum immolatum Panem & Sanguinem iterum lapſos repara: ut te advenire in noſtris cordibus ſentientes, exeamus obviam tui; & cum ſupernis illis Virtutibus clamemus dicentes. *Sanctus*.

Poſt Sanctus.

Hæc eſt ſine fine felicitas, hæc eſt beatitudo ſine termino: Sic Deo indeſinenter hærere, ut ipſe ſit ſpes, ipſe ſit requies. In ipſo vigilet negotium, in ipſo otium conquieſcat. Sic nobis cibum præbendum vel poculum; ut quicquid præfiguravit in myſteriis, reddat in præmiis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui prid.

Poſt

(1) *Leg.* de te ipſo.

Poſt Secreta.

[1] Aſpices in cælo vultum tuum pie miſerator hæc munera [2] quæ ſemper es propenſus ad dona: & ipſa contemplatione oblata ſanctifices naturali majeſtate, qui perpetue Sanctus es, & ſancta largiris. Quod ipſe præſt.

Ante Orationem Dominic.

Venerabilibus [3] informator præceptis, incitati munere pietatis, qui Mariæ flentis lacrymas non ſpernis; Lazaro dignanter cognomentum Fratris imponis, Eccleſiæ ſobolis appellas ore gratiæ Coheredes: tibi ſupplices clamamus, & dicimus. Pater.

Poſt Orationem Dominic.

Exerce liberator in nobis juris proprii facultatem: [4] qui Lazarum virtute, Mariæ pietate, Martha labore remuneras; favorem plebis excitas, & Patris voce concina gloriaris omnipotens Deus. Qui in T.

MISSA IN COENA Domini.

SAcroſanctam, Fratres dilectiſſimi hodierna die inchoandæ Paſchæ Solemnitatem, ac ſalutiferam Dominicæ [5] immolationem effigiem in Sacrificio ſpiritali, Chriſto offerente, transfuſam, non jam in amaritudinem azymi, neque in fermento veteris malitiæ celebrantes; ſed in novam & ſinceram conſparſionem, immaculatas ſacris Altaribus Hoſtias offerentes; omnipotentem Deum per Vnigenitum Filium ſuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum deprecemur; qui hæc in ſacri Corporis & Sanguinis ſui oblatione benedicere & ſanctificare dignatus eſt; ita offerentium famulorum ſuorum munera oblata benedicat; & per inluſtratione Spiritus Sancti, deferentibus nuntiis, odor ſuavitatis aſcendat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Fil.

Collectio ſequitur.

Deus ſanctificationum, & Dominus cæleſtium virtutum, exaudi preces noſtras: & benedictam hanc plebem, Domini noſtri Jeſu Chriſti redemptam Sanguine, de ſede ſancta, inacceſſibilis claritas exaudi. Per coæt.

Poſt nomina.

Diverſis oblationibus ſacris Altaribus, una tamen fidei devotione conlatis, mutuæ invicem ſolicitudinis vota promamus, a Domini pietate poſcentes: ut corda omnium offerentum ad Hoſtiam rationabilis & complacitæ ſibi ſanctificationis emundet: & quieſcentium animas in ſinu Abrahæ collocare dignetur; & in parte primæ reſurrectionis admittat. Per Dominum noſtrum.

Collectio ad Pacem.

Deus, qui aſſumptum hominem evecturus

(1) *Leg.* Aſpice in cælo vultu tuo. *ex Mabill.*
(2) qui *eſt ibi legendum*.
(3) *Mabill. ait*, Informati.
(4) *Idem Mabill.* qui Lazari virtutem, Mariæ pietatem, Marthæ laborem remuneras.
(5) *Leg.* Immolationis.

ſturus ad cælos, inter præcipua mandatorum tuorum Patribus noſtris Apoſtolis [1] reliquiſti: tribue nobis famulis tuis ſectatoribus eorumdem, per exterioris hominis oſculum interioris hominis pacem. Quod ipſe.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt. Per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum. Qui ſuorum pedes Diſcipulorum linteo præcinctus abluit; & humilitatis exemplum tranſiturus eiſdem de mundo reliquit. Magiſter quippe veriſſimus factis informat, quos monitis ſalutaribus frequenter inſtruxerat. Sed quid [2] nimirum ſi præcinxit ſe linteo; qui formam ſervi accipiens, habitu eſt inventus ut homo? Aut quid [3] nimirum ſi miſit aquam in pelvem, ut lavaret pedes Diſcipulorum; qui in terra ſanguinem fudit, ut immunditiam dilueret peccatorum? Ille itaque linteo quo erat præcinctus, pedes quos laverat, terſit; qui [4] carnem qua erat indutus, Euangeliſtarum veſtigia confirmavit. Lavit ergo pedes Diſcipulorum Dominus: quorum autem pedes extrinſecus abluebat, ipſorum animas indulgentiæ hyſopo intrinſecus expiabat. O admirabile Sacramentum, grande Myſterium! Turbatur Petrus cernens exemplum tantæ humilitatis in [5] Regem tantæ Majeſtatis: tremiſcit pavens humanitas, quia ad ejus veſtigia ſeſe inclinare dignatur Divinitas. Sed niſi Deus ad hominem humiliatus inclinaretur, ad Deum homo erectus nunquam levaretur. Ex tunc enim homo, viventium terras cœpit adpetere; ex quo Deus in regione mortalium, humanitatis eſt dignatus lumen oſtendere. Ante c.

Poſt Sanctus.

Vere Sanctus & juſtus es Domine, vere magnus & pius es: qui Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum nobis lumen ad terras ex ſumma cæli arce miſiſti captivorum corporum redemptorem. Ipſe enim q.

Poſt Secreta.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, reſpice in nos: & miſerere nobis, factus nobis ipſe Hoſtia, qui Sacerdos; ipſe præmium, qui redemptor; a malis omnibus quos redemiſti, cuſtodi. Sal.

Ante Orationem Dominicam.

Vivi panis alimenta, & ſacri Sanguinis dona ſumpturi, Dominica prece [6] mentis & corda firmemus. Agnoſcat Altiſſimus Filii ſui vocem: & verba Chriſti ad aures Paternas concordis populi clamor adtollat, & dicat. Pater.

Poſt Orationem Dominicam.

Libera Domine, libera nos ab omni malo: & a fortiſſimis adverſariis diabolo & morte, ea, quæ cunctis fortior eſt, virtutis & dexteræ tuæ protectione defende.

Poſt

(1) *Mabill.* pacem reliquiſti.
(2) *Lege* quid mirum *ex Mabill.*
(3) *Idem Mabill.* mirum ſi miſit.
(4) *Mabil.* carne.
(5) *Leg.* in Rege.
(6) *Mabill.* mentes.

Digitized by Google

Poſt Communionem.

Concede nobis omnipotens Deus; ut ſicut temporali Cœna tuæ Paſſionis reficimur, ita ſatiari mereamur æterna.

INCIPIVNT ORATIONES in Biduana. [1]

DA nobis Domine perpetuæ benedictionis munus accipere, pro quibus Vnigenitus tuus ſputis inlitus, palmas accepit & colaphos. Qui tecum.

Oratio nunc ad Sextam. [2]

Reſpice Domine ſuper hanc familiam tuam propitius, pro qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis ſubire tormentum. Per eum.

Oratio nunc ad Nonam.

Deus, qui pro redemptione noſtra accepiſti Sanguinem Jeſu Chriſti, ſolve operam diaboli, & omnes laqueos diſrumpe peccati: ut creaturam regenerationis nulla pulluant contagia vetuſtatis. Per.

Oratio ſequitur.

Deus a quo & Judas reatus ſui proditor pœnam, & confeſſionis ſuæ Latro præmium ſumpſit; concede nobis [3] pie petitionis effectum: ut ſicut in Paſſione ſua Dominus noſter Jeſus Chriſtus diverſa utriſque intulit ſuſpendia meritorum; ita a nobis ablato vetuſtatis errore, Reſurrectionis ſuæ gratiam largiatur. Per Dominum noſtrum Jeſum.

Item Orationes in [4] *Bid. die Sabbati ad Se.* [5]

DEum omnipotentem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, univerſitatis unum creatorem in hac magna magni matutina Sabbati, Dominici ſcilicet Corporis requiei, Fratres Kariſſimi, ſuppliciter deprecamur: ut qui Adam de profundis infernalis limi miſericorditer eripuit; nos ejus Filius de luto faecis hujus cui inhæſimus, ſola miſericordia tantum clamantes eruat. Clamamus nanque & oramus, ne urgeat ſuper nos Inferni puteus os ſuum; eruti de luto pecc ati, ne infigamur. Per Dominum.

Colle-

(1) Sic vocabant *Biduum* ante Paſcha, ita ut una ſeorſim dies *Biduana* diceretur, infra in Sabbato Sancto. Miror hic non referri varias illas orationes, quas in die Sancto Paraſceves cum præviis genuflexionibus poſt Paſſionem decantari mos eſt. Certe Gregorius teſtis eſt; eas jam ſæculo ſexto in Gallicanis Eccleſiis in uſu fuiſſe. Sic enim habet in lib. V, cap. xi. *Sacerdote quoque orante*, ſcilicet Avito Arvernorum Epiſcopo pro Judæis, *ut converſi ad Dominum, velamen ab eis litteræ rumperetur* (quæ fere verba ſunt orationis noſtræ pro Judæis) *quidam ex his ad Sanctum Paſcha ut baptizaretur, expetiit*. An potius Sabbato Sancto tunc fiebant ejuſmodi orationes? quales habentur infra, ſed nulla pro Judæis. In Miſſali Gallicano inferius orationes noſtræ ſolitæ in Paraſceve referuntur. *Mabill.*

(2) Ad ſextam, *referatur ad veterem apud Gallos morem ſingulis horis canonicis recitandi partem aliquam Paſſionis Chriſti ex omnibus Evangeliſtis catena in modum compoſitam. Paſſioni præmittebatur* Lectio *ex veteri Teſtamento: qua de re conſuli debent Lection. Luxov. & Sacram. Bobienſe. Paſſionem vero excipere conſueviſſe orationem, prodit præſens Miſſale. Videatur Mabill. in Obſervat. ad præſentem locum Luxov. Lect.*

(3) pie, *ita Mſ. Cod.*

(4) In Biduana; *juxta ſuperius dicta a Mabill.*

(5) An *ad ſextam*, ut in die præcedente. *Mabill.*

Collectio ſequitur.

Domine Chriſte Jeſu, Deus pie exaudi nos; & praſta, precamur, quæ corde rogamus: & hoc rogamus, ut tibi placiamus, tibi hæreamus ſine fine: ut ſemper tibi gratias agamus, quia Domine redemiſti nos in æternam vitam de æterna morte. Qui deſcendiſti in lacum, ut ex Inferis vinctos educeres; deſcende nunc quoque, precamur, viſceribus tuæ pietatis: ut ex vinculis peccatorum quibus unuſquiſque conſtringitur, nos abſolvas. Sal.

PRAEF. IN VESPERA *Paſchæ*. (1)

Domini (2) gratiam per aquam & Spiritum renati, & per multiplicem Paternæ dilectionis proviſionem innumeris laqueis abſtracti, hujus divinæ dignationis Auctorem Dominum incenſu veſpertinæ precis Sacrificio, & in cæleſti patina per ſpiritum erecto, & igne illo quem ipſe in nobis accendi deſiderat, ſolemniter afflato, precariis affectibus, Fratres Kariſſimi, deprecemur: ut totius vitæ crimina, & cotidiani erroris maculas, & humanæ fragilitatis debita, in anni (3) ſeptimanæ dierum quadraginta, ac ſepulti Corporis ſui Sabbato nobis concedat. Nos quoque in numero veri Iſrahelis Ægypto egredi faciat: & inimicis percuſſis, in unam Eccleſiam Catholicæ domum pacis Domini celebrantis, Agni immaculati Sanguine corporum noſtrorum poſtibus aſperſis, in iſtius noctis venerabilis (4) ſolemnitatem, vaſtatura mundum morte defendat, orantibus nobis. Per Dominum.

Collectio ſequitur.

Chriſte Jeſu, in veſpera mundi veſpertino ſacrificio per Crucem (5) effectu, dignare nos nova corpori tuo (6) fore ſepulchra. Sal.

PRAEF. AD INITIO *noctis ſanctæ Paſchæ*.

AUctorem lucis, principem luminis, inſpectorem cordis, credentium redemptorem, Fratres dilectiſſimi, cunctis confeſſionibus veneremur: ut vergente die voces rugitus exaudiat; & ſupervenientem caliginem noctis, luminis ſui ſplendore inluſtret: ne ſit in nobis ulla tentandi vexandique occaſio tenebrarum. Sit noſter defenſor, qui eſt veræ lucis indultor: ut ſemper ſimus in lumine ejus, qui Chriſtum Dominum noſtrum gloriamur auctorem. Per.

Oratio ſequitur.

Rege nos Domine per alternas temporum vices, & conſerva nos per diſpares dierum ac noctium ſucceſſiones: ut adjuti Sanctorum tuorum precibus, qui diem hunc per muuus miſericordiæ tuæ duximus, noctem quoque i-

(1) *Conferantur quæ occurrunt in ſuperiori pag. 73, not. (1) & pag. 76, atque not. (5) aut in antiquis Miſſarum libris, Tom. V, pag. 94, not. (2) de Officio Sabbati Sancti in nocte Sanctum Paſchatis diem præeunte celebrando.*

(2) *Leg.* gratia.

(3) Gallicano, *in annis*, forte, *in fine*. *Mabill.*

(4) *Leg.* ſollemnitate.

(5) *Leg.* effectus.

(6) Id eſt *eſſe*, ſtilo veterum. *Mabill.*

ſtam [1] placitam tibi animarum & corporum puritatem ducamus. Per reſurgentem a mortuis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

BENEDICTIO CERAE Beati Auguſtini [2] *Epiſcopi, quam adhuc Diaconus cum eſſet, edidit & cecinit.*

EXultet jam Angelica turba cælorum, Exultent divina myſteria, & pro tanti Regis victoria tuba intonet [3] ſalutaris. Gaudeat ſe tantis illius inradiata fulgoribus: & æterni [4] regni ſplendore luſtrata, totius [5] urbis ſe ſentiat amiſiſſe caliginem. Lætetur & Mater Eccleſia, tanti luminis adornata fulgore, & magnis populorum vocibus hæc aula reſultet. Quapropter adſtantibus vobis, Fratres Kariſſimi, ad tam miram ſancti hujus luminis claritatem, una mecum, quæſo, Dei omnipotentis miſericordiam invocate: ut qui me non meis meritis, intra [6] Sacerdotum numero dignatus eſt adgregare; luminis ſui gratia infundente, Cerei hujus laudem implere præcipiat. Per Reſurgentem Fil. ſuum.

Conſecratio Ceræ.

Dignum & juſtum eſt. Vere quia dignum & juſtum eſt, inviſibilem Deum omnipotentem Patrem, Filiumque ejus Unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum toto cordis ac mentis affectu, & vocis miniſterio perſonare. Qui pro nobis æterno Patri Adæ debitum ſolvit, & veteris piaculi cau-

(1) *Mabillonio placet eſſe legendum*, placita tibi animarum & corporum puritate ducamur.

(2) Sic invenimus ſcriptum in aliis codicibus Mſs. Quamquam hanc benedictionem Sancto Leoni potius quidam tribuendam cenſent. Confer dicta in lib II ad hanc diem. Eadem habetur in Miſſali Gallicano infra. *Mabill.*

Si evinci poſſet Auguſtinum habere auctorem, quæ in præſentia occurrit Cerei Paſchalis Benedictio, quemadmodum ab hoc Miſſali & inferius a Gallicano, & in I Tomo Muſei Italici a Cod. Bob. ei tribuitur, originem ſexto ſeculo longe antiquiorem ritus iſte ſibi vindicaret. Sexto inquam ſeculo antiquiorem, nam exſtat gemina Ennodii Ticinenſis Epiſcopi Cerei Paſchalis benedictio ante annum DXX *adornata, quæ porro dubitare non ſinit per illud tempus ritum illum in uſu fuiſſe. Vetuſtiorem ejuſdem originem agnoſcunt vulgatus Alcuinus, lib. de Officiis divinis cap. de Sabbato Sancto; Amalarius lib. I de Offic. Eccl. cap.* XVIII, *atque non pauca veterum Mſs. membrana de rebus liturgicis agentes, atque eam Zoſimo Pontifici tribuentes. Altius adhuc eam repetunt alii, illas agnoſcere dum ſibi videntur in Prudentii hymno, qui inſcribitur* ad incenſum Cerei Paſchalis, *aliis* ad incenſum Lucernæ. *Huic opinioni certo adhæſit Ven. noſter Thomaſius, quod ſatis indicat & inſcriptio hymno Prudentii præfixa in ſuo Hymnario, editionis noſtræ Tom. II, pag. 367, & quæ inſuper nota c* *obſervaverat ad ſuperiorem præſentis tomi paginam 68, epiſtolam nimirum ad Præſidium Diaconum de Cereo Paſchali, quæ inter S. Hieronymi ſcripta legitur, licet Hieronymi opus nulla ſit, ipſo tamen recentiorem non eſſe. In nova Operum S. Auguſtini editione lib.* XV *de Civit. Dei cap.* XXII, *idem Sanctus Hipponenſis Antiſtes quoſdam verſus refert,* quos in laude quadam Cerei ſe ſcripſiſſe *innuit. Hæc ſane demonſtrant, non quidem Auguſtini eſſe noſtro in Miſſali heic occurrentem Cerei benedictionem (id enim nullus adfirmo, aliorum judicio potius permitto), nec Prudentium in prælaudato hymno de hac benedictione egiſſe, de quo hymno videndus Menardus in notis ad Sacram. Greg. & in Concordia Regularum cap.* XXIV, §. 2, *videndus & Mabillonius in Luxov. Lect. ad hunc locum, & ut multos prætercam Ed. Martene de antiq. Eccl. Diſcipl. in divin. celeb. Officiis cap.* XXIV. *Demonſtrant inquam, antiquiſſimum merito reputandum eſſe ritum Cereum ſollemni ceremonia benedicendi in Officio Sabbati Sancti; quod temere e recentioribus aliqui in dubium revocare præſumſere.*

(3) *Cod. Bob.* Salvatoris, *non* Salutaris.

(4) *Idem Cod. & Mabill.* æterni regis.

(5) *Iidem*, orbis.

(6) Melius alii, *intra Levitarum numerum*, ut inferius in Miſſali Gallicano: quandoquidem Levitæ hanc benedictionem canere ſolent, & Auguſtinus eam, *cum eſſet Diaconus*, cecinisse dicitur: quod an verum eſſe poſſit alii viderint. *Mabill.*

li cautionem pio cruore deterſit. Hæc ſunt enim feſta [1] Paſchalium, in quibus verus ille Agnus occiditur, ejuſque Sanguis poſtibus conſecratur. In qua primum Patres noſtros filios Iſrahel educens de Ægypto, rubrum Mare ſicco veſtigio tranſire feciſti. Hæc igitur nox eſt, quæ peccatorum tenebras Columnæ inluminatione purgagavit. Hæc nox eſt, quæ hodie per univerſum mundum in Chriſto credentes, a vitiis ſæculi ſegregatos & caligine peccatorum, reddit gratiæ, ſociat [2] ſanctitate. Hæc nox eſt, in qua deſtructis vinculis Mortis, Chriſtus ab inferis victor aſcendit: nihil enim naſci profuit, niſi redimi profuiſſet. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! O inſtimabilis dilectio caritatis; ut ſervum redimeres Filium tradidiſti! O certe neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem! O beata nox, quæ ſola meruit ſcire tempus & horam, in qua Chriſtus ab inferis reſurrexit! Hæc nox eſt, de qua ſcriptum eſt: Et nox ut dies inluminabitur. Et, Nox inluminatio mea in deliciis meis. Hujus igitur ſanctificatio noctis fugat ſcelera, culpas [3] levat, reddit innocentiam lapſis, & mæſtis lætitiam: fugat odia, concordiam parat; & curvat Imperia. In hujus igitur noctis gratia ſuſcipe Sancte Pater incenſi hujus ſacrificium veſpertinum; quod tibi in hac Cerei oblatione ſolemni per Miniſtrorum tuorum manus de operibus apum ſacroſancta reddit Eccleſia. Sed jam columnæ hujus præconia novimus, quam in honore Dei rutilans ignis accendit. Qui licet diviſus in partes, mutuati luminis detrimenta non novit. Alitur liquantibus ceris, quam in ſubſtantia pretioſæ hujus lampadis Apis mater eduxit. Apis [4] cæteris quæ ſubjecta ſunt homini, animantibus antecellit. Cum ſit minima corporis parvitate, ingentes animos anguſto verſat in pectore; viribus imbecilla, ſed fortis ingenio. Hæc, explorata temporum vice, cum canitiem [5] proinoſa hyberna poſuerint, & [6] glacialem ſenio verni temporis moderata [7] deterſerit, ſtatim prodeundi ad laborem cura [8] ſuccedit; diſperſæque per agros, libratim paululum pinnibus, [9] cruoribus ſuſpenſis inſedunt, partem ore legere floſculos [10] oneratis victualibus ſuis ad caſtra remeant: ibique aliæ inæſtimabili arte cellulas tenaci glutino inſtruunt: aliæ liquentia mella ſtipant: aliæ vertunt flores in cera: aliæ ore [11] natus ſingunt: aliæ collectis e foliis nectar includunt. O vere beata & mirabilis Apis, cujus nec ſexum maſculi violant, fœtus non quaſſant, nec filii deſtruunt caſtitatem! ſicut Sancta concepit Virgo Maria, Virgo peperit, & Virgo permanſit. O vere beata nox, quæ expoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos! Nox, in qua terre-

nis

(1) *Cod. Bob. & Mabill.* Paſchalia.

(2) *Alii legunt* ſanctitati; *& quidem rectius.*

(3) *Mabill.* lavat.

(4) Quæ ſequuntur uſque ad, *O vere beata nox*, habentur etiam in aliis codicibus, ſed modo omittuntur. *Mabill.*

(5) Pruinoſa in aliis: Sic *u* in *o* facilis & promiſcua quondam mutatio. Sic infra *præmonitam* pro *præmunitam*; & alia id genus permulta. *Mabill.*

(6) *Cod. Bob. & Mabill.* & glaciale ſenium.

(7) *Mabill.* deterſerint.

(8) *Cod. Bob.* ſuccendit.

(9) *Mabill.* cruribus *pro* cruoribus: *& paullo inferius Cod. Bob.* inſidunt *non* inſedunt. *Mabill. ſuſpicatur eſſe legendum* inſident.

(10) *Mabill.* oneratæ.

(11) *Leg.* natos.

nis cæleſtia junguntur! Oramus te, Domine, ut Cereus iſte in honore nominis tui conſecratus, ad noctis hujus caliginem deſtruendam indeficiens perſeveret, in odorem ſuavitatis acceptus ſupernis luminaribus miſceatur. Flammas ejus Lucifer matutinus inveniat: ille, inquam, Lucifer, qui neſcit occaſum: ille qui regreſſus ab inferis, humano generi ſerenus inluxit. Precamur ergo Domine: ut nos famulos & famulas tuas, omnem Clerum & devotiſſimum populum una cum Patre noſtro Beatiſſimo Viro *Illo*, quiete temporum conceſſa, in his Paſchalibus gaudiis conſervare digneris. Per reſurg. a mor. Dominum noſtrum Fil. t.

Coll. poſt Benedictionem. Ceræ.

Sancte Domine, omnipotens Deus, qui ad noſtram contemplationem tenebrarum hæc in mundi hujus obſcuro luminaria emicare juſſiſti; præſta, ut dum ad illum æternitatis diem, & Unigeniti tui properamus occurſum; ad hanc interim, quam tenebris præparaſti, lucernam, dum nox iſta tranſcurritur, ſine peccatorum offendiculo ambulemus. Per reſurg.

Coll. poſt [1] *Hymnum Ceræ.*

Deus templum ignis æterni, Deus vere lucis habitaculum, Deus ſedes perpetuæ claritatis, vota tibi, Domine, ſolemnia diei conſummationis, & noctis inchoationis celebrantes, ac luminibus Altaris tui incenſis temporarium lumen offerentes, ut famulis & famulabus tuis verum ac perenne lumen largiaris, oramus. Per reſurg.

ORAT. PASCHALES duodecim cum totidem Collectionibus.

Oratio [2] *pro Gratiarum actione. Præfatio.*

Expectatum, Fratres Kariſſimi, & deſideratum nobis Paſchæ diem adepti, gratias agamus omnipotenti Deo Patri, quod nos in hanc eamdem diem per Filium ſuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum (quem pro nobis Hoſtiam dedit in ſalutem æternam) vocavit: ob hoc fideli gratiarum actione laudemus, benedicamus, honorificemus benedictum & beatum nomen Dei Patris in Filio, Filiique in Patre & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum.

Oratio ſequitur.

Sancte Domine, omnipotens Pater exaudi, tuere, ac ſanctificare plebem tuam præmonitam ſigno Crucis, Baptiſmate purificatam, Chriſmate delibutam; quos ad celebrandam præſentis ſolemnitatis beatitudinem congregaſti: univerſiſque notitiam Tui, participationem Sancti Spiritus propitius infunde. Per.

Orat. pro Exulibus. Præf.

Vnianimes, & unius corporis in Spiritu

(1) Coll. poſt hymnum Ceræ; *ita legitur & infra in Miſſali Gallicano.*

(2) Aliæ orationes habentur, ſed ſimiles in Miſſali Gallicano inferius. *Mabill.*

ritu Dei Patris omnipotentis, Domini miſericordiam deprecemur pro fratribus, & ſororibus noſtris captivitatibus elongatis, carceribus detentis, metallis deputatis: ut eis Dominus adjutor, protector, & conſolator exiſtat: neque deeſſe ſibi reputet eos, qui fideli in ſe innocentia perſeverant.

Orat. ſeq.

Tribue Domine relegatis patriam, vinctis abſolutionem, captivis libertatem: ut plebs tua & in hoc ſæculo & in futuro miſericordiæ tuæ munere liberetur. Per.

Orat. pro Sacerdotibus.
Præf.

In Sanctorum Sancta admiſſi, & Altaris cæleſtis Sacerdotii æterni participes effecti, Dei Patris omnipotentis miſericordiam deprecemur: ut Sacerdotes ſuos, ac Miniſtros donis repleat ſpiritalium gratiarum.

Orat. ſeq.

Domine Deus virtutum juſtifica & ſanctifica Paſtores & Præpoſitos ovium tuarum: ut adverſarius noſter diabolus fide eorum & ſanctitate ſuperatus, contingere dominicum gregem, ac violare non audeat. Per reſurg.

Orat. pro Virginibus.
Præf.

Incorruptæ æternitatis Deum, & inviolabilis naturæ Dominum unanimiter deprecemur, orantes pro fratribus noſtris, qui glorioſam virginitatem corpore ac mente voverunt: uti eos uſque ad conſummationem propoſiti ſui, miſericordiæ Spiritus proſequatur. Per.

Oratio ſequitur.

Reſpice Domine Virgines ſacras, & Spadones voluntarios, ideſt pretioſas Eccleſiæ margaritas: ut corpora eorum ac ſpiritum inlæſa caſtitatis conſcientia, pari exæſtimatione cuſtodiant. Per reſurg.

Orat. pro Eleemoſynas facientibus.
Præf.

Sanctum ac benedictum retributionis Deum [1] unianimis, Fratres dilectiſſimi, oratione deprecemur, obſecrantes pro fratribus & ſororibus noſtris, quorum miniſterio atque ſumptu inopiam non ſentiunt, qui in Eccleſia ſunt indigentes: ut iiſdem Dominus ſpiritales divitias communicet, qui fidelium animarum inopiæ, ſæcularis ſubſtantiæ participant facultatem. Per reſur.

Oratio ſequitur.

Piis ſervorum tuorum precibus annue miſericors Domine: ut quicunque præceptorum cæleſtium memores, pauperibus tuis quæ ſunt neceſſaria, ſubminiſtrant, incorruptibili & cæleſti gloria miſerationis tuæ & miſericordiæ coronentur. Per.

Orat.

(1) *Mabill.* unianimes.

Orat. pro Peregrinantibus.
Præf.

Cæleſtium, & terreſtrium, & infernorum Dominum Deum Patrem omnipotentem, Fratres dilectiſſimi, deprecemur, obſecrantes: uti fratres noſtros ac ſorores, quicunque peregrinationum neceſſitatibus ſubjacent, omnipotens Deus auxilio ſuo comes adjutor reducat ac protegat. Per.

Coll. ſequitur.

Reſtitue Domine peregrinis deſideratum patriæ ſolum: ut [1] contemplationem miſericordiæ tuæ dum ad præſens agunt beneficiis tuis gratias; cives eſſe Sanctorum, ac tui domeſtici concupiſcant. Præſta per reſurg.

Orat. pro Infirmis.
Præf.

Vniverſæ ſalutis Deum, & univerſæ virtutis Dominum deprecemur pro fratribus & ſororibus noſtris, qui ſecundum carnem diverſis ægritudinum generibus inſultantur: ut his Dominus cæleſte medicinæ ſuæ munus indulgeat. Per.

Orat. ſeq.

Domine, cui vivificare mortuos, facile eſt, reſtitue ægrotantibus [2] priſtinæ ſanitati: ne terreni medicaminis remedia deſiderent, quicunque medelam cæleſtis miſericordiæ tuæ deprecantur. Per reſurg.

Orat. pro Pœnitentibus. [3]

Confitentes bonitatis ac miſericordiæ Deum, qui peccatorum mavult pœnitentiam quam mortem, communicatis precibus ac fletibus pro fratribus ac ſororibus noſtris Domini miſericordiam deprecemur: uti eos peccati ſui crimina confitentes, a bonitatis ſuæ venia non repellat. Per.

Orat. ſeq.

Rex gloriæ qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat; da nobis peccatorum labe pollutis pœnitentiam: ſimul ut flere cum flentibus & dolentibus, & cum gaudentibus gaudere poſſimus. Per reſ.

Orat. pro Vnitate.
Præf.

Vnum Deum Patrem, ex quo omnia ſunt, & unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum per quem omnia, Fratres Kariſſimi, deprecemur: ut unitatem Eccleſiæ ſuæ concordi congregationis noſtræ [4] voluntatem confirmet. Per reſ. Fil. ſ.

Coll.

(1) *Leg.* contemplatione.

(2) *Mabill.* priſtinam ſanitatem.

(3) Pœnitentes quondam, alii velantarii, alii addicti erant. Ex primis erat vir magnificus ille Agricola Gallus, qui morbo ingruente, ut pœnitentem profiteretur, *pullis veſtibus* indutus eſt, teſte Ruricio Epiſcopo Lemovicenſi in lib. II, epiſtola xxxi. Lege Præfationem alteram tertii ſæculi Benedictini num. 193. Avitus in Homilia de Rogationibus, de nocte Paſchæ hæc habet. *Sed fuit ergo nox illa venerabilis, quæ ad ſpem publicæ abſolutionis veterum ſollemne patefecerat*, Mabill.

(4) *Mabill.* voluntate.

Coll. ſequitur.

Omnipotens Domine qui es Deus bonitatis & totius conſolationis, te ſupplices deprecamur: ut Hæreticos & Infideles a perpetuis gehennæ ignibus manifeſtatione tuæ veritatis eripias: quoniam vis omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Orat. pro Pace Regum.
Præf.

Dominum dominantium, & Regem regnantium, Fratres Kariſſimi, oratione unianimes deprecemur: ut nobis populo ſuo pacem Regum tribuere dignetur: ut mitigatis eorum mentibus, requies nobis congregationis iſtius perſeveret. Per.

Coll. ſeq.

Carnis ſpirituum totius ſator, cunctorumque Regnorum mundialium indultor, da Regum culmini Religionis proſperitatem & pacis: ut nobis regno tuo cæleſti in terris adhuc poſitis liberius liceat deſervire. Per reſurg.

Orat. pro Spiritibus pauſantium.
Præf.

Deum Judicem univerſitatis, Deum cæleſtium, & terreſtrium, & infernorum, Fratres dilectiſſimi, deprecemur pro ſpiritibus carorum noſtrorum, qui nos in Dominica pace præceſſerunt: ut eos Dominus in requiem collocare, & in parte primæ reſurrectionis reſuſcitet. Per.

Orat. ſeq.

Jeſu Chriſte, vita & reſurrectio noſtra, dona Conſacerdotibus & caris noſtris, qui in tua pace [1] requiverunt, exoptatæ manſionis refrigerium: & ſi qui ex his dæmonum fraude decepti, errorum ſe multis maculis polluerunt, Tu Domine qui ſolus potens es, peccata eorum concede: ut quos damnationis ſuæ participes diabolus gloriabatur effectos eſſe, per miſericordiam tuam ſocios tuæ beatitudinis ingemiſcat. Sal.

Orat. pro Cathecumenis.
Præf.

Precem ſpei Fratrum noſtrorum, Kariſſimi, unianimes adjuvemus: ut i Dominus omnipotens ad fontem eos beatæ Regenerationis ſuæ euntes, [2] omnis miſericordiæ ſuæ auxilio Spiritus proſequatur.

Coll. ſeq.

Creator omnium Domine, & fons aquæ vivæ, qui per lavacrum Baptiſmi peccata eorum deles, quibus jam donaſti Reſurrectionis fidem, ut mortem hujus ſæculi non timeant: reple eos Spiritu Sancto, ut formari in illis Chriſtum ac vivere glorientur. Per.

AD

(1) *Mabill.* requieverunt.

(2) *Idem Mabill.* omnes.

[1] *AD CHRISTIANUM faciendum.*

Domine dignare benedicere hujus [2] infantia famulo tuo *Ill.* quoniam nec [3] conditionem quicquam, nec ætate depellitur, dicente dilectiſſimo Filio tuo Domino noſtro: Nolite prohibere infantes venire ad me. [4] Hic enim, Domine, antequam bonum aut malum ſciant, Crucis tuæ [5] ſigilla ſignentur: & [6] quæ indiget [7] dietatem ad ſacris nominis tui Baptiſmum percipere mercantur. Per Dominum.

Item Coll.

Accipe ſignaculum Chriſti, Suſcipe verba divina, inluminare [8] verbum Domini: quia hodie confeſſus es a Chriſto. Per Dominum.

Item Coll.

Signo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut ſis Chriſtianus: Oculos, ut videas claritatem Dei: Aures, ut audias vocem Domini: Nares, ut odores ſuavitatem Chriſti: [9] converſus, ut confitearis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: Cor, ut credas Trinitatem inſeparabilem. Pax tecum. Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: qui cum Patre, & Spiritu Sancto viv.

COLL. AD FONTES benedicen.

Stantes, Fratres Kariſſimi, ſuper ripam [10] vitrigi fontes novos homines adhuc eis de terra litori mercatores ſua commercia ſinguli navigantes pulſent mare novo non virga ſed Cruce, non tactu ſed ſenſu, non baculo ſed Sacramentum. Locus quidem parvus, ſed gratia plenus. Bene gubernatus eſt Spiritus Sanctus. Oremus ergo Dominum & Deum noſtrum, ut ſanctificet hunc fontem: ut omnes qui deſcenderint in [11] hanc fontem; faciat eis lavacrum Beatiſſimi regenerationis in remiſſione omnium peccatorum. Per Dominum.

Coll. ſeq.

Deus qui Jordanin fontem pro animarum ſalute ſanctificaſti, deſcendat ſuper aquas has Angelus benedictionis tuæ: ut quibus perfuſi famuli tui, accipiant remiſſionem peccatorum; ac renati ex aqua & Spiritu Sancto, devoti

---

(1) *Idem titulus & in ſacram. Codicis Bobienſis, ſed orationes diverſæ. Conſerantur iſta, quæ in præſenti habentur de ritu baptiſmum conferendi in Sabbato Sancto, cum iis quæ de eodem ritu ſupra occurrunt in Gelaſii Sacramentario.*

(2) *Mabill.* infantiæ.

(3) *Idem Mabill.* conditione.

(4) *Lege* Hi.

(5) *Legendum* ſigillo *ex Mabill.*

(6) *Idem Mabill.* qui indigent.

(7) An *pietate*, vel *ætate*, alii divinabunt. *Mabill.*

(8) *Mabill.* verbo.

(9) Lege *linguam, converſus ut confitearis. Mabill.*

(10) Forte legendum, *ſuper ripam vitrei fontis*, & infra *mercatores* pro *mercatores*. Niſi ſi in priori loco *Vitrigi* eſt nomen proprium loci, ubi Baptiſterium erat, vel conditoris.

Obſerva locum veteris librarii negligentia vitiatum, quem eximius noſter editor ſine interpunctione legentium judicio permiſit. Mabillonius autem ita interpunctione diſtinguit: . . . . . Super ripam vitrigi fontes, novos homines adhuc eis de terra litori mercatores ſua commercia: ſinguli navigantes pulſent mare novum, non virga, ſed cruce; non tactu ſed ſenſu; non baculo, ſed Sacramento.

(11) *Lege* in hunc fontem.

voti tibi ſerviant in æternum. Per Dominum.

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt: Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, initiator Sanctorum, Chriſmatum Pater, & novi per unicum Filium tuum Dominum & Deum noſtrum [1] indetor Sacramenti: qui portantibus aquis Spiritum tuum Sanctum ante [2] diviciæ mundi largires: qui Bethſaidas aquas, [3] Angelum medicante procuras: qui Jordanis alveum, Chriſto Filio tuo dignante, ſanctificas. Reſpice Domine ſuper has aquas, [4] qui præparatæ ſunt ad delenda hominum peccata. Angelum pietatis tuæ his ſacris fontibus adeſſe dignare: vitæ prioris abluat, & parvum habitaculum ſanctificet [5] tui procurans, ut Regenerandorum viſcera æterna floreſcat: & vere Baptiſmatis novitas reparetur. Benedic Domine Deus noſter hanc creaturam aquæ, & deſcendat ſuper eam virtus tua: deſuper infunde Spiritum tuum Sanctum Paraclytum, Angelum veritatis. Sanctifica Domine hujus laticis undas, ſicut ſanctificaſti fluenta Jordanis: ut qui in hanc fontem deſcenderint, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & peccatorum veniam, & Sancti Spiritus infuſionem conſequi mereantur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui eſt benedictus apud Patrem, & Spiritum Sanctum per omnia ſæcula ſæculorum.

Deinde facis cruce de [6] Chriſma, & dicis.

Exorcizo te creatura Aquæ. Exorcizo te omnis exercitus diaboli; omnis poteſtas [7] adverſariæ, omnis umbra dæmonum. Exorcizo te in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Nazarei, qui incarnatus eſt in Maria Virgine; cui omnia ſubjecit Pater in cælo & in terra. Time, & treme tu, & omnis malitia tua: da locum [8] Spiritum Sanctum, ut omnis qui diſcenderint in [9] hanc fontem, fiat eis lavacrum Baptiſmi regenerationis in remiſſione omnium peccatorum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: qui venturus eſt in ſedem majeſtatis Patris ſui cum ſanctis Angelis ſuis judicare te, Inimice, & ſæculum per ignem in ſæcula ſæculorum.

Deinde inſufflas [10] aqua per tres vices, & mittis Chriſma in modum crucis, & dicis.

Infuſio Chriſmæ ſalutaris Domini noſtri Jeſu Chriſti: ut fiat fons aquæ ſalientis cunctis deſcendentibus [11] in ea, in vitam æternam. *Amen.*

(1) *Mabill.* inditor.
(2) *Idem Mabill.* divicias.
(3) *Idem*, Angelo.
(4) *Leg.* quæ.
(5) *Mabill.* ſanctificet tibi, procurans, ut.
(6) Sic *chriſma* flectebant veteres, ut in Concilio Bracarenſi ſecundo, canone XV, *ut pro chriſma nihil Epiſcopus accipiat*. *Mabill.*
(7) *Mabill.* adverſaria.
(8) *Mabill.* Spiritui ſancto, ut omnes qui.
(9) *Lege* hunc.
(10) *Mabill.* aquam.
(11) *Mabill.* in eo.

Dum baptizas interrogas ei, & dicis.

Baptizo te [1] *Ill.* in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti in remiſſionem peccatorum; ut habeas vitam æternam. *Amen*.

Dum Chriſma eum tangis, dicis.

Perungo te Chriſma ſanctitatis, [2] Tunicam immortalitatis, qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus traditam a Patre primus accepit: ut eam integram & inlibatam perferas ante tribunal Chriſti; & vivas in ſæcula ſæculorum.

Dum [3] pedes ejus lavas, dicis.

Ego tibi lavo pedes. Sicut Dominus noſter Jeſus Chriſtus fecit Diſcipulis ſuis: tu facias hoſpitibus & peregrinis, ut habeas vitam æternam.

Dum veſtimentum imponis, dicis.

Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Collectio.

Oremus Fratres Kariſſimi Dominum & Deum noſtrum pro [4] aufetis ſuis [5] quomodo baptizati ſunt: ut cum in majeſtate ſua Salvator advenerit, cujus regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, faciat eos ex æternitate veſtire ſalutem. Per Dominum.

Item alia.

Baptizatis & in Chriſto coronatis, quos Dominus noſter a Chriſma petentibus regeneratione donare dignatus eſt, precamur omnipotens Deus: ut Baptiſmum quod acceperunt, immaculatum ipſum perferant uſque in finem. Per Dominum.

MISSA IN VIGILIIS Sanctæ Paſchæ.

SAcroſanctæ noctis iſtius gratia, tenebris ſæcularibus liberati, & ad juſtitiæ atque lucis cæleſtis gratiam promiſſam electi, omnipotentis Dei Patris infatigabilem bonitatem per Chriſtum Filium ejus, Fratres dilectiſſimi, deprecemur: ut Eccleſiam ſuam ſanctam Catholicam [6] deſuſam per orbem terrarum, quam ſibi amantiſſimi

(1) Hac nota eſt nominis proprii, quod in Baptiſmate impoſitum fuiſſe intelligimus ex Gregorio de Vitis Patrum cap. VIII, ubi Nicetius nomen in Baptiſmo accepiſſe perhibetur. *Mabill.*

Ex Gelaſii Codice, ſupra ad pag. 37. & ex VII Ordine Romano colligitur nomina infantibus impoſita vel ſaltem deſignata fuiſſe ante baptiſmum; quod nec clariſs. Mabill. fugit: ipſum conſule in adnotationibus ad memoratum modo Romanum Ordinem.

(2) *Aliquid eo in loco deſiderari ipſe contextus indicat. Fortaſſe* induo te, *vel* induere.

(3) Hujuſce lotionis poſt baptiſmum mentio fit, ut initio hujus libri diximus, (*pag. nimirum* 179. *num.* 9.) apud Ambroſium in lib. de myſteriis cap. VI, & in lib. III de Sacramentis cap. 1; ubi in Romana Eccleſia id inuſitatum dicitur. Idem ritus infra in Miſſali Gallicano. *Mabill.*

(4) Corruptus locus, ubi legendam videtur *pro neophytis. Mabill.*

In poſtremo tomo Bibliothecæ Patrum, ubi hujus Miſſalis fragmenta quædam adducuntur ex Officio tridui ante Paſcha, hoc in loco legitur, pro amphibiis ſuis.

(5) *Mabill.* qui modo baptizati ſunt.

(6) *Mabill.* diffuſam.

tiſſimi Filii ſui Paſſione, & glorioſiſſimo Sanguine conqueſivit, jugi majeſtatis ſuæ protectione cuſtodiat; atque contra omnes mundi inſidias tutam defenſamque concedat; ac præſtet ei tempora tranquilla in perpetuum. Per reſurgentem.

Collectio.

Redemiſti nos Domine Deus per lavacrum regenerationis, & Sanguinem Crucis: ut illa caro quæ prius in Adam mortalis fuerat effecta, per Paſſionem majeſtatis tuæ rurſum revocaretur in cælum. Sal.

Poſt nomina.

Oremus pro his qui offerunt munera Domino Deo noſtro ſacroſancta ſpiritalia pro ſe, & pro caris ſuis, & pro ſpiritibus carorum ſuorum, in commemoratione Sanctorum Martyrum: ut Dominus Deus noſter preces illorum clementer exaudire dignetur. Per reſurg.

Ad Pacem.

Comple Domine vota ſupplicum, exaudi gemitus peccatorum; oſculetur nos ab oſculo oris ſui pacis magiſter & conditor: ut in nobis hoc recipientibus Holocauſtum, pacem quam ſperamus, habeamus. Per.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt, æquum & juſtum eſt, nos tibi hic & ubique gratias agere, tibi laudes dicere, & Hoſtias immolare, & confiteri miſericordias tuas, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quoniam magnus es Tu, & faciens mirabilia. Tu es Deus ſolus. Tu feciſti cælos in intellectu. Tu formaſti terram ſuper aquas. Tu feciſti luminaria magna, Solem in poteſtatem diei, Lunam & Stellas in poteſtate noctis. Tu feciſti nos, & non ipſi nos: opera manuum tuarum non omittas. Tuus eſt dies, & tua eſt nox: In die enim mandaſti miſericordiam tuam, & in nocte declaraſti: quam hodiernis vigiliis in luminis hujus feſtivitate celebramus. Hæc eſt enim nox ſalutarium conſcia Sacramentorum. Nox, in qua veniam peccatoribus præſtas; de veteribus hominibus, novos efficis: de ſenibus [1] effectis, maturos reddis infantes: quos in novam creaturam renatos de ſacro fonte producis. Hac nocte in æternum diem renaſcentes populi procreantur, Regni cæleſtis atria reſerantur, & beata lege commerciis divinis humana mutantur. Hæc eſt enim nox illa, quæ facta eſt in deliciis: in qua maxime delectaſti nos Domine in factura tua. Nox, in qua inferna patuerunt. Nox, in qua abſolutus eſt Adam. Nox, in qua inventa eſt dragma quæ perierat. Nox, in qua boni Paſtoris humeris reportata eſt ovis perdita. Nox, in qua diabolus occubuit, & Sol juſtitiæ Chriſtus exortus eſt: & ſolutis inferni nexibus, clauſtriſque perfractis, multa Sanctorum corpora de ſepulchris erumpentia, intraverunt in ſanctam Civitatem. O vere beata nox, quæ ſola meruit ſcire tempus & horam, qua Chriſtus reſurrexit! de qua jam in Pſalmo fuerat prophetatum: quia nox ut dies inlumina-

(1) *Mabill.* effetis.

minabitur. Nox, in qua exorta eſt reſurrectio in æternum! Te enim, omnipotens Deus, creaturarum cæleſtium multitudo, & innumerabiles Angelorum chori ſine ceſſatione proclamant, dicentes. *Sanctus*.

Poſt Sanctus.[1]

Tuo juſſu, Domine, condita ſunt univerſa in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. Tibi Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, atque omnes Sancti gratias agunt: quod & nos facientes, has Hoſtias ſpiritales, & ſincera libamina, ut libens exaudias, deprecamur. Te oramus, uti hoc Sacrificium tua benedictione benedicas, & Spiritus Sancti tui rore perfundas; ut ſit omnibus legitima Euchariſtia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui pridie.

Coll. ad Panis fractionem.

Reſpice ad hanc oblationem omnipotens Deus, quam tibi offerimus in honorem nominis tui pro ſalute Regum, & exercitu eorum, & omnium circumadſtantium, & præſta: ut qui ex ea ſumpſerint, accipiant ſanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam ſalutis, intellectum ſenſus Chriſti, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei, æternitatem Spiritus Sancti. Præſta per eum, qui tecum viv. & reg.

MISSA PRIMA DIE
Sanctum Paſchæ.

Coll. poſt Prophetia.[1]

SVmme omnipotens Deus, qui cornu ſalutis noſtræ in Crucis tuæ myſterium extuliſti, ut nos in domo David pueri tui regali faſtigio ſublimares: in quo etiam trifario titulo Trinitatis nobis Vnitas manifeſtata clareſcens oſtenditur: Salvator nempe in homine, Sacerdos quippe in Chriſmate; Rex ſcilicet ſecundum carnem ex genere: preces noſtras tuæ ſupplices proſternimus Majeſtati: ut quos in tuo nomine per lavacrum regenerationis conſecrare dignatus es, præſtes etiam in ſanctitate & juſtitia tibi Domino ſervientes, unanimitatem fidei per infuſionem Spiritus tui Sancti inviolabiliter cuſtodire; ac per viam pacis liberis greſſibus properantes, cæleſtia regna conſcendere. Per reſurg.

Poſt Prec.[2]

Deus qui evulſis ſuperſtitionum ſpinis, in Eccleſia tua plantaria fidei alta radice poſuiſti; exaudi precem familiæ tuæ: reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam, & præſta: ut te irrigante, fructum accipiat in ubertate; quæ, te plantante, incrementum accipit in germine. Per reſurg.

[3] *Apologia Sacerdotis*.

Ante tuæ immenſitatis conſpectum, & an-

(1) *Vide quæ obſervata nobis ſunt ſuperiori not.* (2) *ad pag* 234.

(2) Id eſt *poſt Precem*, ut in Natali Domini, ſcilicet poſt hymnum trium Puerorum, ut quidem interpretamur. *Mabill.*

(3) Apologia *eſt oratio, quam in Miſſa ante Offertorium Sacerdos pronunciabat, ut ſe excuſaret, quod indignus ad tam veneranda & tremenda Myſteria accedat. Vide Menardum in notis ad Greg. Sacram.*

& ante tuæ ineffabilitatis oculos, o Majeſtas mirabilis, ſcilicet ante tuos ſanctos vultus, magne Deus, & [1] maxime pietatis & poteſtatis omnipotens Pater, quamlibet non ſine debita reverentia, attamen nulla officii dignitate, vilis admodum precator accedo, & reus conſcientiæ teſtis adſiſto. Quidne rogabo quod non mereor? At ne pie (non ſine Dei pace dictum ſit) quod peccati magis eſt accuſator, qui pro peccatis debuit eſſe interventor? Accuſo ergo me tibi, & non excuſo: & coram teſtibus confiteor injuſtitiam meam tibi Domino Deo meo. Confiteor, inquam, confiteor ſub teſtibus injuſtitiam impietatis meæ, ut remittas impietatem peccati mei. Confiteor, quod niſi remittas, recte me punias. Habes me confitentem reum, ſed (ſcio) niſi verbis non emendantem. Verbis enim placo, operibus offendo: Culpam ſentio, emendationem differo. Subveni ergo, ſubveni pietas ineffabilis. Ignoſce, ignoſce mihi Trinitas mirabilis. Parce, parce, parce, ſupplico, Deitas placabilis. Exaudi, exaudi, exaudi me, rogo, his verbis illius filii tui clamantem: Pater, æterne Deus, peccavi in cælo, & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ut unum de mercenariis tuis. Et nunc Pater miſericors unicum miſericordiæ tuæ portum, Chriſto favente, peto: ut quod per me viliſcit, per illum acceptum ferre digneris. Qui in æternum tecum vivit & regnat.

[2] *Præfatio Miſſæ.*

Expectatum, Fratres Kariſſimi, & deſideratum nobis, atque univerſo generi humano ſalutarem Paſchæ diem adepti, concordi ac religioſa prece omnipotenti Deo gratias agamus, poſcentes ejus miſericordiam in hac [3] Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii ſui, ut tribuat temporum quietem, Regum [4] pagabilitatem, Judicum manſuetudinem, hoſtium infirmitatem, corporum ſalubritatem, aeris temperiem, anni benignitatem, fructuum copiam, Sciſmatum pœnitentiam, Gentium vocationem: & conventum [5] Eccleſiaſticæ pacifica & pura congregatione, Paraclyti ſui ſanctificatione conluſtret: devotum ac dicatum ſibi Virginalem pudorem, & continentiæ propoſitum glorioſum atque beatum in omnibus cuſtodiat: Viduarum laborioſam continentiam ſua miſeratione confoveat: Orphanis opem pietatis paternæ impertiat. Per reſurgentem a mort. Dominum noſtrum.

Collectio ſequitur.

Deus omnipotens exaudi populum tuum, hac die ad gloriam Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui in tuo nomine congregatum, & majeſtatem tuam ſuppliciter exorantem dirige ex præſenti Feſtivitate in lætitiam ſempiternam: atque ex hac hodiernæ ſolemnitatis exultatione ad gaudia incorrupta tranſmitte. Per reſurg.

Poſt

(1) *Mabill.* maximæ.

(2) *De Præfatione hoc in Miſſa loco poſita vide quæ diximus ſupra ad pag. 215 not. (1)*

(3) *Vocem* die *ibi eſſe ſupplendum vult Mabill.*

(4) *Idem Mabill.* pacabilitatem.

(5) *Mabill.* Eccleſiaſticam.

Poſt nomina.

Suſcipe, quæſumus, Domine Hoſtiam placationis &[1] laudes, & has oblationes famulorum famularumque tuarum, quas tibi offerimus, hodie in Reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem, placatus adſume. Tribue etiam per interceſſionem Sanctorum tuorum caris noſtris, qui in Chriſto dormierunt, refrigerium in regione vivorum. Per.

Ad Pacem.

Annue, quæſumus, Domine ſupplicibus tuis: ut hæc noſtræ ſervitutis oblatio in diem Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſalutem nobis conferat & pacem. Per reſurgentem.

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare eſt, nos tibi hic & ubique ſemper gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Sed in hac die Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui gratulatio major exultat in cordibus noſtris. Hic eſt enim dies, in quo nobis exorta eſt perpetuæ cauſa lætitiæ. Hic eſt dies reſurrectionis humanæ, & vitæ natalis æternæ. Hic eſt dies, in quo ſatiati ſumus mane[2] miſericordiam tuam: quo nobis ille Benedictus, qui venit in nomine Domini, Deus noſter inluxit nobis. Hic enim Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus adimplens Prophetias[3] temporum præſtitutis, viſitavit nos poſt biduum, die tertia reſurrexit. Hic eſt enim dies tanti muneris benedictione ſignatus, qui hodierna feſtivitate gaudentibus in toto orbe mortalibus frequentatur. Quia omnium mors perempta eſt in Cruce Chriſti; & in Reſurrectione ejus omnium vita ſurrexit. Et nunc, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſupplices deprecamur: uti hanc oblationem benedicere & ſanctificare digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Poſt Sanctus.

Hæc te vox, Domine, miſtica luce comitatur, quæ cum in ſupernis Dominicæ perennitatem laudes exerceat, celebrationem tanti nominis invexit & terris: ut hujuſmodi Perſonas ſi homines tacerent, ſaxa clamarent. Viderunt te Inferi, Deus, viderunt, & timuerunt a voce tonitrui tui, dicentes: Abſorpta eſt Mors in victoria tua. Vbi eſt, Mors, aculeus tuus? Adtonita paululum miſerorum ſtetere ſupplicia, nec habuerunt tormenta cruciatum; & Judicem ſuum ipſa etiam pœna contremuit: quia natura terribilium tenebrarum, præſentia tui fulgoris habita, jam tunc timuit judicari. Exultaverunt Sancti in gloria, lætantes in cubilibus ſuis; quod Auctorem promiſſæ ſibi lucis agnoſcerent. Quorum tu Domine ſtipatus agminibus, & tibi tantum[4] noti ſplendore perfuſus, Sacrificia per te inſtituta ſanctifica non invitantes merito, ſed[5] ſanctificantes exemplo: ut cunctis rite perfectis, Salvatore

(1) *Mabill.* & laudis.
(2) *Leg.* miſericordia tua.
(3) *Mabill.* temporibus.
(4) *Mabill.* noto.
(5) *Lege* ſanctificantis.

vatore noſtro ab inferis jam reverſo, & mors ſe intelligat victam, & vitam revocatam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui pridie quam p.

MISSA MATVTINALIS per totam Paſcha pro Parvulis qui renati ſunt.

Secunda Feria.

Deus qui credentes in te populos gratiæ tuæ largitate multiplicas; reſpice propitius ad electionem tuam: ut qui ſacro Baptiſmate ſunt renati, Regni cæleſtis mereantur introitum. Per Dominum.

Coll.

Famuli tui, Domine, qui ad tuam ſunt gratiam vocati, tuo indeſinenter protegantur auxilio; ut qui divino ſunt Baptiſmo regenerati, nunquam a tui Regni potentia poſſint evelli. Per.

Poſt nomina.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris: & oblationes famulorum ac famularum tuarum, quas tibi offerimus, placidus ac benignus adſume. Per.

Ad Pacem.

Concede quæſumus, omnipotens Deus: ut feſta Paſchalia, quæ devotione colimus, moribus exequamur. Per.

Immol.

Vere dignum & juſtum eſt: quia verus ille Agnus, qui pro nobis eſt immolatus. Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit; & vitam noſtram reſurgendo reparavit Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Cui merito omnes Angeli.

ITEM MISSA PASCHALIS. Tertia Feria.

Deus, qui omnes in Chriſto renatos genus Regium & Sacerdotale eſſe feciſti, da nobis velle & poſſe quod præcipis: ut populo ad æternitatem vocato una ſit fides mentium, & pietas actionum. Per.

Coll.

Omnipotens ſempiterne Deus, per quem nobis redemptio præſtatur & adoptio: reſpice in opera pietatis tuæ, & quæ dignatus es conferre, conſerva: ut in Chriſto renatis æterna tribuatur hæreditas, & vera libertas. Per.

Poſt nomina.

Suſcipe Domine munera [1] nomine tuo oblata; quæ in Filii tui Reſurrectione [2] triumphantes in gloria, univerſalis ejus adquiſita Sanguine, offert Eccleſia. Per.

Ad Pacem.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte, reſeraſti; erige ad te corda credentium, ut omnes in Chriſto renati ex aqua & Spiritu San-

(1) *Lege* nomini. (2) *Lege* triumphantis.

Sancto, regnum cælorum ingredi mereantur. Per.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt, nos tibi gratias agere omnipotens ſempiterne Deus per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum. Per quem humanum genus vivificans, Paſcha etiam per Moyſen & Aaron famulos tuos Agni immolatione juſſiſti celebrari:conſequentibus temporibus uſque ad adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti (qui ſicut agnus ad victimam ductus eſt) eamdem conſuetudinem in memoriam obſervare præcepiſti. Ipſe eſt Agnus immaculatus, qui prioris populi [1] prima Paſcha in Ægypto fuerat immolatus. Ipſe eſt Aries in verticem montis excelſi de vepre prolatus, ſacrificio deſtinatus. Ipſe eſt Vitulus ſaginatus, qui in tabernaculo patris noſtri Abrahæ propter hoſpites eſt victimatus. Cujus Paſſionem & Reſurrectionem celebramus: cujus & adventum ſperamus. Et ideo cum Angelis & Archangelis clamā. dic.

ITEM MISSA Paſchalis. Quarta Feria.

DEus, qui populum tuum ſacrum, Jordane flumine tranſacto, terram tuæ feciſti repromiſſionis intrare; concede quæſumus: ut & nos quoque, majeſtatis tuæ [2] relevato myſterio, divina ſemper beneficia ſentiamus. Per.

Collect.

Annue nobis, quæſumus, Domine: ut quemadmodum myſteria Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſolemnia colimus; ita & in adventu ejus gaudere cum Sanctis omnibus mereamur. Per.

Poſt nomina.

Auditis nominibus offerentum, debita cum veneratione Beatiſſimorum Apoſtolorum, & Martyrum, omniumque Sanctorum commemoratione decurſa, & offerentum & pauſantium commemoremus nomina: ut æternalibus indita paginis, Sanctorum cœtibus adgregentur. Per.

Ad Pacem.

Deus, per cujus os prolatum eſt, quod pacem omnibus dares, & pacis ſtatuta relinqueres; infunde in cordibus noſtris pacis ſtudium, & piæ voluntatis affectum:ut vitiorum omnium labe purgati, pacem, quam labiis ore proſequimur, immaculatis cordibus teneamus. Per.

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt, nos tibi ſemper laudes & gratias agere, omnipotens ſempiterne Deus, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum. Qui ſicut ovis ad occiſionem pro nobis ductus eſt: & ut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Hic enim eſt Agnus Dei, Unigenitus

(1) *Mabill.* primum. (2) *Mabill.* revelato.

genitus Filius tuus, qui tollit peccatum mundi: qui ſe pro nobis offerendo non deſinit; noſque apud te perpetua advocatione defendit: quia nunquam moritur immolatus, ſed ſemper vivit occiſus. Paſcha enim noſtrum immolatus eſt Chriſtus: ut jam non in fermento veteri, neque in carnalium ſanguine victimarum, ſed in azymis ſinceritatis & [1] corporis veritatis immolemus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

ITEM MISSA PASCHALIS,
Quinta Feria.

Deus, qui ſolemnitate Paſchali cæleſtia mundo remedia benignus operaris, [2] annue feſtivitatis hujus dona proſequere: ut per obſervantiam temporalem ad vitam nobis proficiat ſempiternam. Per.

Collectio.

Deus qui & libertatis noſtræ auctor es & ſalutis, exaudi ſupplicantium voces: atque eos, quos Sanguinis tui effuſione redemiſti, præſta, ut per te vivere, & perpetua in te facias incolumitate gaudere. Sal.

Poſt nomina.

Auditis nominibus offerentum, æternitatis Dominum deprecemur: ut in nobis vel timor ejus, vel cordis puritas, vel caritas quæ caſum non habet, immobilis perſeveret. Quia hæc eſt ſalutaris oblatio, hæc vera, hæc pinguis Hoſtia. Iſta ſunt pura libamina, quæ & pro nobis, & pro requie defunctorum, contritis & humiliatis cordibus offeruntur. Per.

Ad Pacem.

Tribue Domine, ut ita apud univerſos redemptioni tuæ famulos infractæ caritatis exundet affectus; ut nihil odiorum interpellatio prævaleat adpetitus: ſed teſtimonium oſculi, quod per perfectione manſuræ pacis impenditur, nulla deinceps ſimultatis fraude fruſtretur. Sal.

Immolatio.

Vere dignum & juſtum eſt, unanimes & concordes omnipotentem Deum profuſius deprecari cum unico Filio ejus Domino Jeſu Chriſto Salvatore noſtro, qui Eccleſiam ſuam ſecunda liberavit a morte, quando Sanguis ipſius effuſus eſt ſuper Cruce. Per ipſum te rogamus, omnipotens Deus: ut Eccleſiam tuam augeas in fide, cuſtodias in ſpe, protegas in caritate: & Sacrificia noſtra libens ſuſcipere digneris cum gloria & honore. Et ideo cum Angelis, & Archangelis laudamus, dicentes.

ITEM MISSA PASCHALIS.
Sexta Feria.

Deus qui ad æternam vitam in Chriſti Reſurrectione nos reparas, da nobis cæleſtia ſapere, & a terrenis cupiditatibus abſtinere. Per.

(1) Sic inferius in Miſſali Gallicano, ubi plures eadem, quæ hic, orationes, & quædam ſupplentur ad Miſſarum integritatem. *Mabill.*

(2) *Lege* annuae.

Coll.

Deus gloriæ, cui complacuit in Vnigenito tuo omnem plenitudinem habitari, omnes principatus & poteſtates exuere, atque in eo reconciliare omnia, in quo condideras univerſa: aſpice feſtivas ſubditæ congregationis excubias, accipe preces Paſchalis ſupplicationibus votivas: & qui dediſti nobis Dominicæ Reſurrectionis temporum revolutione [1] victoria, da nobis ipſius Feſtivitatis operum ſanctificatione lætitiam. Per.

Poſt nomina.

Da miſericors Deus, ut in Reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti percipiamus veraciter portionem. Per.

Ad Pacem.

Deus qui populum tuum tuæ feciſti redemptionis participem, concede nobis, quæſumus: ut de [2] Reſurrectionis Dominicæ in perpetuo gratulemur. Per.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt, nos tibi gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, quem pro nobis omnibus tradi Hoſtiam voluiſti. O mira circa nos pietatis tuæ dignatio! O ineffabilis dilectio caritatis; ut ſervum redimeres, Filium tradidiſti! O certe neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem! Nunquam enim quanta circa nos pietatis tuæ dilectio eſſet, cognoſceremus, niſi ex morte Vnici & coæterni Filii tui Domini ac Dei noſtri Jeſu Chriſti probaremus. Vicit malitiam diaboli pietatis tuæ dignatio: quia ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia. Sed plus nobis tua miſericordia reddidit, quam invidus inimicus abſtulerat. Ille Paradyſum invidit, tu cælos donaſti. Ille mortem temporalem intulit, tu vitam perpetuam tribuiſti. Propterea profuſis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat: ſed & ſupernæ concinunt Poteſtates hymnum gloriæ tuæ, ſine fine dicentes.

MISSA IN DIE SABBATO *Octava Paſchæ.*

Conſerva Domine familiam tuam, quos ex aqua & Spiritu Sancto propitius redemiſti: ut veterem hominem cum ſuis actibus expoliantes, in ipſius converſatione vivamus; ad cujus ſubſtantiam, per hæc paſchalia dierum octavarum tuæ Reſurrectionis myſteria, tranſtuliſti. Per.

Coll.

Fac omnipotens & miſericors Deus, ut quod octavarum dierum Reſurrectionis tuæ paſchalibus celebramus officiis, fructiferum nobis omni tempore ſentiamus. Sal.

Poſt

(1) *Legendum ibi victoriam.* (2) *Mabillonius ibi ſupplet de ſuo vocem die.*

Digitized by Google

Poſt nomina.

Deus miſericordiæ [1] ſempiterne, qui in ipſo Paſchalis [2] feſtæ recurſum fidem ſacratæ tibi plebis accendis, auge gratiam, quam dediſti: ut digna omnes intelligentia compræhendant, quo lavacro abluti, quo Spiritu regenerati, quo Sanguine ſunt redempti. Per.

Ad Pacem.

Deus, qui per Vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte, reſeraſti; deduc nos ad ſocietatem cæleſtium gaudiorum: ut Spiritu Sancto renatos, regnum tuum facias introire. Per reſurg.

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt, neceſſarium & ſalutare eſt, ut te Dominum ac Deum totis viſceribus humana conditio veneretur, Rex mirabilis Chriſte. Cujus condemnatione, tartareis vinculis abſoluta credentium turba, libertatis inſignia gratulatur. Qui vere ut Leo de tribu Juda mundo oſtenſus, animarum devoratorem extinctum leonem diabolum omnis terra lætatur. [3] Permittes te clavorum nexibus alligatum ad ſtipitem Crucis [4] tereri: ut non ſit parva, quem impius quondam expaveſcat, potentia. Ad cujus vocem emittens ſpiritum, terra tremuit, cælum expavit, dies fugit, ſol obſcuratus eſt, aſtra abſcondentes radios ſuos, ſimul omnia migraverunt. Cujus deſcenſu, confractis portis, luget Infernum. Quo reſurgente, lætantur Angeli, exultat terra cum habitatoribus ſuis. In quo triumpho conſpicitur comitatio illa, Prophetico ore promiſſa: Ero mors tua, o Inferne. Vbi eſt ergo victoria tua? Nec enim ab alio poterat, niſi a vita mors devorari. Qui deſcenſu ſuo eos qui tenebantur a morte, ſuperis reddidit reſurgendo: ut ejus Reſurrectio vivorum vel mortuorum teſtimonio formaretur. Vnde ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum gloria tibi ſemper; qui in te, & ex te, & tecum ſemper eſt. Per quem te laud. [5]

MISSA [6] CLAVSVM Paſchæ.

DEum, qui pro ruina totius mundi unicum Filium ſuum, adſumptam ex carne Virginis viri hominis formam, mittere dignatus eſt, Fratres Kariſſimi, ſuppliciter exoremus: ut ſicut in hac Reſurrectione ejuſdem nos a morte perpetua cum illo reſuſcitavit; ita pietatis ſuæ dono ab omnibus nos inimici tutans inſidiis, inlæſos faciat in Matris Eccleſiæ gremio reſedere: & conſcientiæ integritate de rege-

(1) Mabill. ſempiternæ, *loco caſtigationem prorſus non exigente.*

(2) Mabill. feſti.

(3) Mabill. Permittis.

(4) Sic in Miſſali Gallicano. an *teneri*? Mabill.

(5) Nihil hic de Paſcha *annotino*, quod Baptizatus quiſque anniverſarium, id eſt ipſo die quo Baptiſmum ſuſcepiſſet, quotannis rememorari debebat, ex Herardo ſæculi noni Epiſcopo Turonenſi in capitulo xe111. Mabill.

Confer quæ occurrunt ſupra ad pag. 83, quæque ibidem diximus not. (1) *Vide & Tom.* v. *pag.* 106, *col.* 2, *& ad eum locum not.* (8)

(6) Clauſum Paſchæ, *ita legitur hoc eodem in loco & in Luxov. Lect. Eo nomine denotabant veteres Paſchatis Octavam qua ſollemnitas ipſa concludebatur. Vide Gelaſii Sacram. ſuperiori pag.* 86, *& aliis ſequentibus.*

generatione gaudentes, æternæ primitivorum Eccleſiæ, quemadmodum devotione ad præſens, ita & remuneratione adſociet in æternum; & hæc munera plebis ſuæ benedicere dignetur. Sal.

Coll.

Deus totius claritatis conditor & moderator, quem cæleſtia mirantur, & terrena pavitant, inferna tremiſcunt: cui Angelorum turmæ, & Archangelorum exercitus militant: non uti mundum expugnes, quem ipſe feciſti; ſed ut ſubruas mundi peccata, quem diabolus adinvenit: quia ita dignatus es diligere hunc mundum, ut Vnigenitum tuum traderes pro noſtra ſalute: cujus Cruce redempti ſumus, Morte vivificati, Paſſione ſalvati, Reſurrectione glorificati. Per ipſum itaque te ſupplices invocamus: ut huic familiæ tuæ in omnibus adeſſe digneris, ſicut adfuiſti patribus noſtris ſperantibus in tua miſericordia: ſic & his omnibus adeſſe dignare, ut ſit in ſenſibus eorum timor devotionis tuæ, in corde fides, in opere juſtitia, in actu pietas, in lingua veritas, in moribus diſciplina: ut digne recteque immortalitatis ſibi præmium conſequi mereantur. Per.

Poſt nomina.

Concede quæſumus, omnipotens Deus, ut qui Reſurrectionis Dominicæ ſolemnia colimus, per innovationem tui Spiritus, a morte animæ reſurgamus. Per.

Ad Pacem.

Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens Deus; & his oblationibus precibuſque ſuſceptis, præſentiæ tuæ virtutis interſere: ut quod ſinguli ad Majeſtatis tuæ obtulerunt honorem, cunctis proficiat ad ſalutem. Per reſurg.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt, neceſſarium & ſalutare eſt, nos tibi gratias agere, omnipotens Deus, licet gloriæ tuæ mortalium membra non congruant, Redemptionis noſtræ perferre præconia: dum hominum genus mancipatum morte, infernorum ſedibus tenebrarum vincla reſtringerent, ſpiritali Verbum, per quod in principio omnia fuerant conſtituta, deſcendit in Mariam: quæ dum partum ſuum Virgo miratur, incluſum hominem edidit Deum. Quæ tamen tuum eſſe, ſumme omnipotens Deus, antequam naſceretur, cognoverat: quippe quæ ſciebat mundi eſſe Principium. His namque Crucem, ſpontanea voluntate propter redemptionem humani generis, de inimico tyranno triumphaturus, aſcendit: & relicto paulisper Corporis templo, inferorum clauſtra confringens, priſtinæ, ut ante fuerat, vitæ reſtituit. Nec ſuffecerat ſolum hominem emendaſſe peccatum: ſed per ablutionem cæleſtem renatus redivivo ac novo nativitatis genere, remeans ad originem ſuam nos ad cæleſtia regna perduxit. O conſilium divinæ providentiæ! O inæſtimandum reparationis auxilium! Per Virginem nobis glorioſa vita [1] reſtituetur, quæ per ligni inobedientiam credebatur extincta: per aquam mundi peccata diluuntur; per quam ante ſenſerat mundus ipſe naufra-

(1) *Mabill.* reſtituitur.

naufragium. Tibi ergo, ſumme Genitor, pura devotione immaculatum munus offerimus: & elevatione manuum noſtrarum juxta Filii tui Jeſu Chriſti diſpoſitionem, pium Sacrificium celebramus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. [1]

MISSA IN INVENTIONE [2] *Sanctæ Crucis.*

Gloriemur in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, Fratres Kariſſimi, & tota mentis exultatione lætemur: & hujus diei feſtivitatem cum grandi reverentia, & ſpiritali gaudio celebremus. In qua Cruce ipſe Dominus noſter & Salvator pro noſtra ſalute pependit, & diabolum triumphavit. Per hanc ergo Crucem, malæ concupiſcentiæ adpetitum, quod dulcedo arboris inlexit, amaritudo fellis coercuit: & gulæ deſiderium, quod ſuavitas pomi decepit, aceti aſperitas refrænavit. Sal.

Coll.

Dona nobis omnipotens Pater per myſterium Crucis Vnigeniti tui: [3] & venenum ſerpentes antiquæ (quod fidelis nititur propinare) per illud medicamentum quod Chriſti manavit latere, poſſit a fidelium pectoribus expurgari: quoſque tranſgreſſio præcepti de Paradiſo expulit, confeſſio nominis Chriſti in Paradyſo reformet. Sal.

Poſt nomina.

Domine Jeſu Chriſte qui in patibulo [4] Cruce ſuſpenſus, Patrem ex forma ſervi quam ſuſceperas, ut quid te dereliquerit, adclamaſti; ut perſecutoribus veniam tribueret, poſtulaſti: tuam ſupplices imploramus clementiam; [5] & quod tunc pro ſuſcepta carnis humilitate a Patre expetere videbaris; nunc cum eodem, connexa ſemper Divinitatis poteſtate, conſiſtens præſtare digneris. Sal.

Ad Pacem.

Deus, qui Eccleſiam tuam Catholicam, quam tuo ſancto Sanguine redemiſti, nunquam derelinquis; nobiſque indignis in eadem concurrentibus, criminum indulgentiam placatus [6] concedas: & qui Latronis tecum in Cruce pendentis confeſſionem juſtificare dignatus es; quæſumus, ut omnium in te credentium fidem augeas, multiplices; & ſolita pietate pacem, quam cuſtodire juſſiſti, inlibatam in nos conſervare digneris. Sal.

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt, omnipotens Deus, tibi ſacrificiorum vota perſolvere, Te in laudis præconio indeſinenter adtollere, [7] ac de utriuſque ad illius

(1) *Nulla heic adſignantur Miſſæ pro Dominicis inter Octavam Paſchæ occurrentibus & Aſcenſionis feſtum: quod idem quum obſervetur in Sacram. Bobienſi, vetur Mabillonius id contingere quod Paſchales repeterentur.*

(2) Hoc feſtum item præſcriptum eſt in Ordine Gregoriano. *Mabill. Alde & in Gelaſiano, ſupra pag.* 134.

(3) *Mabill. ibi ut poſuit pro &.*

(4) *Mabill.* Crucis.

(5) *Mabill. ut loco &.*

(6) *Mabill.* concedis.

(7) *Mabill.* ac utriuſque, & illius ſcillicet.

illius ſcilicet habitatoris Paradyſi, & iſtius Redemptores humani generis exempla proponere. Ille quidem prior, ſed iſte melior. Ille terreuus, iſte cæleſtis. Ille de limo factus, iſte verbo conceptus. Tunc diabolo ſuadente, Eva decipitur; nunc Angelo nunciante, Maria clarificatur. Tunc per invidiam Serpentis homo qui fuerat creatus, perimitur, nunc per miſericordiam redimentis homo qui perierat, liberatur. Tunc homo mandatum non cuſtodiendo, de Paradyſo pellitur; nunc Latro Chriſtum Dominum confitendo, [1] Paradyſo meretur. Vnde ſupplices rogamus, clementiſſime Pater, per inclytæ Crucis innarrabili Sacramento, & per Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui admirabile Regnum: [2] ut hodiernum diem, in quo Crucis ejus feſtivitatem celebramus, nos omnes cum lætitia ſpiritali, & modeſta exultatione peragere, & inter cæleſtium Virtutum laudes, humilitatis noſtræ voces ſuſcipias, multiplici confeſſione ita dicentes. *Sanctus*.

MISSA SANCTI JOHANNIS [3] *Apoſtoli & Euangeliſtæ.*

OMnipotens ſempiterne Deus, qui hujus diei feſtivitatem feciſti ad lætitiam Beati Johannis Euangeliſtæ: da Eccleſiæ tuæ [a] etiam amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Coll.

Deus, qui per os Beati Johannis Euangeliſtæ, Verbi tui arcana reſeraſti; præſta, quæſumus: ut quod ille noſtris auribus excellenter infudit, intelligentiæ competenti eruditione capiamus. Per.

Poſt nomina.

Præſta omnipotens Deus, ut Verbum caro factum, quod Beatus Johannes Euangeliſta prædicavit, per interceſſionis ſuæ præſidium habitet ſemper in nobis. Per.

Ad Pacem.

Pacem tuam Domine de cælo da nobis: & poſſide nos, ut non hæreat in viſceribus noſtris fraudulentus oſculos Proditoris; ſed pax illa, quam tuis reliquiſti Diſcipulis, ſemper inlibata permaneat in cordibus noſtris. Per.

Immolatio.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare eſt, nos tibi, omnipotens Deus, gratias agere, Beati Johannis Apoſtoli tui & Euangeliſtæ natalitia venerantes. Qui Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui vocatione ſuſcepta, terrenum reſpuit patrem; ut poſſet invenire cæleſtem. Retia ſæculi quibus implicabatur, abjecit, ut æternitatis dona mente libera ſectaretur. Natantem in fluctibus navem reliquit, ut Eccle-

a. Etiam. *leg*. &.

(1) *Mabill*. Paradiſum.

(2) *Mabill*. ut ejus feſtivitatem celebramus, hodiernum diem, in quo crucis nos omnes cum letitia.

(3) Ad portam Latinam appellamus. *Mabill*.

Eccleſiaſticæ gubernationis tranquillitate conſiſteret. A piſcium captione ceſſavit ut animas mundanis gurgitibus immerſas, calamo doctrinæ ſalutaris abſtraheret. Deſtitit pelagi profunda rimari: ſecretorum ſcrutator redditur divinorum, eo uſque procedens; ut in Cœnæ myſticæ [1] ſacroſanctæ convivio, ipſius recumberet [2] pectoris Salvatoris: & [3] cum in Cruce Dominus conſtitutus, Vicarium ſui magiſtri, Virginis filius ſubrogaret: & in principio Verbum, quod Deus erat apud Deum, ipſe præ cæteris oſtenderet prædicando. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

MISSA PRIMA DIE in Rogationibus. [4]

IN jejunio [5] hoc afflicti corpore, & corde contriti frequentamus ad te preces, clementiſſime Deus, ut cum abſtinentia corporali, abſtinentia nobis vitiorum donetur: ut reſtricto corpore ab epulis, Tu, qui es refectio vera, in noſtris cordibus oriaris. Per.

Gratias tibi agimus, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; qui nos poſt tranſgreſſionem jejunii vetita contingendo, ad continentiam ſalutis reparaſti per Chriſtum; Te in hoc jejunium ſupplices, ac provoluti rogamus: ut dones nobis rectam a vitiis mentem, & Spiritu principali (qui eſt mortificationis amator) nos corrobores: ut poſt actum jejunium ad æternæ refectionis nos paſcua perducas. Per.

Poſt nomina.

Tua ſunt, Domine, alimonia, quibus in cotidiano victu ad ſuſtentationem reficimur: tuaque jejunia, quibus carnem a lubrica voluptate, te præcipiente, reſtringimus. Tu ad conſolationem noſtram viciſſitudines temporum diſpoſuiſti: ut tempus edendi corpora noſtra refectio ſobria aleret; & jejunandi tempus ea in juſtitiam tibi placitam faceret macerata: hanc Hoſtiam ob jejunio triduanæ macerationis a nobis oblatam ſanctificans dignanter adſume, & præſta placatus: ut ſopita delectatione corporea, mens ab iniquitatibus pariter conquieſcat. Per.

Ad Pacem.

Refectio tua, Domine, reſtrictis corporibus, in ſpiritu contribulato guſtatur: & ideo proſtrati jejunii pœnitentia, ſupplices exoramus, miſericordia ſola petentes, quod opere non meremur: ut ſentiamus in ſpiritu dilectionis tuæ pabulum ſuave; quod corda noſtra ab epulis vacantia, ad proximi dilectionem ſuccendat. Per.

Immo-

(1) *Mabill.* Sacroſancto.

(2) *Lege* pectore.

(3) *Mabill.* & cum.

(4) *De Rogationibus diſſeruimus tom. CV, pag. 109, ad not.* (1)

(5) Non ſolum, ut modo, abſtinentiam, ſed etiam jejunium in Rogationibus præcipiunt Concilia Gallicana, Aurelianenſe I canone XXVII, & Turonenſe II canone XVII. Unde *Rogationum* OBSERVANTISSIMAM *feſtivitatem* appellat Avitus in Homilia de Rogationibus. *Feſtivitas ſiquidem eſt, cujus jocunditas tota ſola ſobrietas, cujus epulæ lacryma; cujus paſtus eſuries eſt. Hæc non per Gallias modo, ſed pæne per orbem totum* celebris initio Homiliæ dicitur. Tunc lectum fuerat Evangelium ex Matthæi cap. VIII, de Chriſto Domino in navi dormiente, & a diſcipulis excitato: quod Evangelium in noſtro Lectionario non præſcribitur. Itaque varia erat Evangeliorum in diverſis provinciis lectio, licet idem eſſet ubique Galliarum ordo ac ritus. *Mabill.*

Immolatio.

Vere dignum & juſtum eſt, Te in obſervatione jejunii quærere, qui es panis verus & vivus de cælo deſcendens. Te itaque humiliatis jejunio corporibus, mente famulantes devota per [1] hoc Sacrificii immolatione rogamus: ut humiliationem jejunii hujus, quam pro noſtris reatibus in hac triduana obſervatione perſolvimus, ita intuearis placatus: ut a delictis jejunantes abſolvas, quos incontinentia [2] vorarum in pravitatis tranſgreſſione immerſit. Per Chriſtum Dominum.

ITEM MISSA SECVNDA DIE *in Rogationibus.*

DEus, cujus exemplo jejunium datum eſt poſt guſtum prohibitionis, per inobedientiam ligni ingreſſum; Tibi, Domine, corda noſtra in jejunii maceratione ſubjecta per inluſtrationem tuæ inſpirationis ſanctifica: & de cæleſtibus ſedibus tuis nos in luto fæcis ac ſqualore jejunii ſubſtratos intuens, in virtutum ſucceſſibus releva. Per.

Coll.

Omnipotens ſempiterne Deus, mundentur, quæſumus, viſcera noſtra a cunctis carnis delictis, jejunii adtenuatione confecta: & in ipſius jejunii humilitate proſtratis non valeat carnis infirmitas dominari: quia tu inſtitutor ſobrietatis, ſi vis, potes noſtri citius miſereri: ut ſpiritalia cogitemus, & concupiſcentias carnis, te adjuvante, vincamus. Per.

Poſt nomina.

Deus, qui mentis puritatem adprobas, non jejunium a cibis ſolummodo gloriam humanam captantem; dignare oculos cordis noſtri in hoc jejunio ita inluminare introrſus; ut tibi in his, quæ homines neſciunt, in occulto a vitiis jejunio placeamus: quia doni tui eſt hoc ipſum, quod a cibis abſtinemus; ſit numeris tui, ut a peccatis etiám cum jejunio emundemur: & deſiderabile fonte ubertatis ita hæc munera [3] ymbrem Sancti Spiritus perfunde: ut a jejunantibus percepta, cuncta vitia mundent, & virtutes inſerant morum. Per.

Ad Pacem.

In jejunii humilitate ſubſtratis omnipotens ſempiterne Deus abſterge omnem labem peccati: ut mundata noſtri cordis arcana, cum abſtinentia ciborum, jurgiorum etiam inquietudines excluſas, dilectio tua & [4] proximis, noſtris in cordibus pura ſuccreſcat. Per.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt, Te tota cordis contritione in jejunio, omnipotens ſempiterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui nos myſteriorum tuorum ſecretis informans, pacificum nemus ore columbæ geſtatum, Noe oculis oſtendens, nobis

(1) *Mabill.* per hanc Sacrificii immolationem.
(2) Vorarum, *Vide Du-Cangium ad hanc vocem.*
(3) *Mabill.* imbre.
(4) *Mabill.* & proximi.

Digitized by Google

bis de virente arbore Crucis glorioſum ſignum expreſſit: quem columbæ ſpecies in Chriſti decoravit honore cunctis colendum Spiritus ſanctificatione demonſtrans. Cujus animalis innocentia eſſe ſimiles præoptantes, ab eoque ſanctificari Spiritu, cujus ipſe ſumpſit in ſpeciem, exorantes; in hoc jejunio triduana humiliatione inſtituto, invictum hoc Signum [1] cum plebium cuneis præferentes, atque Majeſtatem tuam [2] pſallencii modulatione laudantes, petimus, omnipotens Deus: ut accipias cuncta plebis vota, quæque quoquo rito tibi reddit ſubjecta: & ita eos in hoc jejunio ſanctifices, ut a cunctis merantur exui peccatis. Per Chriſtum Dominum.

MISSA TERTIA DIE in Rogationibus.

DEus, quem nullus mortalium ſenſus, uſus carnis inlecebra prægravatus, niſi a te jejunii expiatione fuerit inluſtratus, agnoſcit; pelle de cordibus noſtris cum abſtinentia [3] turba vitiorum de ingluviæ ſaturitate gignentium: ut pura tibi ſerviat etiam poſt exactum jejunium, quam tu propitius donaveris, devotio novitatis. Per.

Collectio.

Jam in triduani jejunii fine concluſa, ſinceritatem tuam, Domine, deprecamur in viſceribus noſtris, maceratione jejunii adflictis, advenire: & ut de atria tua ſancta exaudias peccatores in ſqualore miſeriarum jacentes rogamus: ut des nobis fontem gratiarum tuarum; & pandas iter quo, poſt jejunium eſcarum carnalium, itur ad refectionem paſcuæ ſempiternam. Per.

Poſt nomina.

Jejunantium Domine, quæſumus, ſupplicum vota propitius intuere; & munera præſentia ſanctificans, per perceptionem earum occulta cordis noſtri remedia tuæ clarifica pietatis: ut opera carnalia, nec fluxa non teneant, quos inſtitutor jejunii Chriſtus reparavit redemptor. Per.

Ad Pacem.

Deus, qui intemperantiam ſaturitatis, tuæ abſtinentiæ dedicatione ſuperaſti; & puritatem caſtimoniæ, ut cognoſcaris, dediſti; ſerenus nos tuo vultu circumſpice: & jejunantibus pacem proximi & [4] tua largiaris; quam ad Patrem aſcendens, nobis reliquiſti ſectandam. Per.

Immolatio.

Vere dignum & juſtum eſt, ſatiſque eſt dignum, te ſolum a jejunantibus quærere, qui es magiſter abſtinentiæ, & continentiæ remunerator æterne: quique a jejunantibus, fidele tantum corde expoſcant, abſtergis omnem maculam, quam ſaturitas contrahit indecens. Hoc itaque ſanctum jejunium in Le-

(1) Hinc probatur, quod in lib. 1 (*in obſervat. nimirum ad præſentem Luxov. Lect. locum*) ex Gregorio Turonenſi Epiſcopo diximus, crucem in his ſupplicationibus fuiſſe prælatum. *Mabill.*

(2) Avitus in ſermone de Rogationibus ait, Mamertum *cum Deo* definiiſſe, *quidquid hodie Pſalmis ac precibus mundus inclamat*. *Mabill.*

(3) *Lege* turbam.

(4) *Mabill.* & tuam.

in Leviticis apicibus per famulum tuum Moyſen evidentius declaraſti: in quo juſſiſti ut humiliaremus animas noſtras, ne exterminaremur; ſicut eſu gulæ deditus populus, exterminatur. Quod etiam nobis Unigenitus tuus ita ſanctificavit implendo: & ut regnum perditum per jejunium panderet, & peccatis veniam daret. Et ideo quæ inſtituiſti, jejunia ſuſcipe libens, per ea nos a reatibus cunctis abſolvens. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Poſt Sanctus per totas tres Miſſas dicis.

Hanc igitur oblationem familiæ tuæ tibi adſtantis, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, quam tibi offerunt pro devotione animorum ſuorum: pro quorum tibi placitis deſideriis, ſupplicamus, memor eſſe dignare Domine, Sancte Pater, æterne Deus, in diebus jejuniorum ipſorum: ut a cunctis eos peccatis abſtergas, & reſiduum temporis, quo eis alimoniorum perceptio concedetur, ita eos conſervare digneris; ut ſobriam vitam habentes, non involvantur peccatorum laqueis ab epulis excitatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæſumus, benedictam, aſcriptam. *Et reliqua.*

COLL. IN ROGATIONIBUS per diverſa loca Sanctorum.

In Sancto Petro nunc. [1]

Deus refugium pauperum, ſpes humilium, ſaluſque miſerorum, interveniente pro nobis Beatiſſimo Fundatore Eccleſiæ tuæ Petro, ſupplicationes ſupplicum tuorum in die triduani hujus jejunii clementer exaudi; & tranquillitatem a vitiis pariter & hoſtibus, noſtris concede temporibus: ut quos juſtitia flagellorum tuorum juſte facere poteſt eſſe adflictos, abundantia miſericordiæ tuæ, ipſo Beato Petro obtinente, faciat conſolatos. Per.

Coll.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Beato Petro Apoſtolo, conlatis clavibus Regni cæleſtis, animas [2] ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti; exaudi propitius preces noſtras in die jejunii hujus, & interceſſione ejus, quæſumus, ut a peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Per.

Coll. in Sancto Paulo.

Vide Domine, quæſumus, infirmitatem noſtram: & in diebus jejuniorum iſtorum, quos trina conſecratio trino numero facit extenſos, interveniente Beato Apoſtolo tuo Paulo, celere nobis pietate ſuccurre: ut quos juſtitia corripis, miſericordia conſoleris. Per.

Item

(1) Hæc particula *nunc* paſſim occurrit in Miſſali Gallicano. *Mabill.*

(2) Sic in vetuſtis aliis Mſs. in collecta ſeu oratione de S. Petro, ubi modo legitur abſolute *ligandi*, omiſſa voce *animas*. *Mabill.*

Vide ſupra pag. 139. col. 2. circa finem: & Orationale Thomaſianum, Tom. 1, pag. 503, col. 1.

Item Coll.

Exaudi Domine, quæſumus, gemitum noſtrum in diebus jejuniorum trino numero trinitate ſacratorum: & intercedente Beato Paulo Magiſtro noſtro atque Doctore, quæſumus; ne apud te plus valeat offenſio delinquentium, quam miſeratio tua, ſemper indulta fletibus ſupplicantium. Per.

Oratio in Sancto Stephano.

Præſta, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus; ut fragilitati noſtræ adflictæ in diebus iſtorum jejuniorum magnificus Levita ac Beatus Stephanus auxilium interventionis exhibeat: qui imitator Dominicæ Paſſionis & Pietatis, primus in cruore Martyrii enituit: & ſemper ſit perfectus [1] ſuffratur, atque, te concedente, promptus adjutor. Per.

Item Coll.

Preces noſtras in hoc jejunio protentas, quæſumus Domine, Beati Levitæ & Martyris tui Stephani proſequatur oratio: & ut adſit nobis adflictis miſericordia tua, ejus precibus adjuvemur. Per.

Oratio in Sancto Martino.

Porrige dexteram tuam, quæſumus Domine, plebi tuæ, in die jejuniorum ſuorum miſericordiam poſtulanti: & intercedente Beato Martino, terrores imminentes declinemus, & ſolatia vitæ immortalitatis accipiamus; & ſempiterna gaudia comprehendamus. Per.

Item alia.

Deus auctor jejunii, inſtitutor abſtinentiæ, qui jejunii [2] forma complectens, ſubmoviſti ingluviem ſaturitatis, ut in nobis caſtimoniæ ſobrietas regnaret; reſpice Domine propitius ſuper hos ſupplices tuos, jejunio triduanæ abſtinentiæ vacantes: & intercedente ſummo viro Beato Martino, gratiam tuam benedictionis tuæ nobis omnibus, ab eo exoratus infunde: ut ſicut hoc jejunium ad cultus tui timorem conſtitutum, vincit ingluviem gulæ; ita inluminatio tua in ſenſibus noſtris ſuperet omnem noſtrorum fomitem vitiorum. Per.

Oratio in Sancto Gregorio.

Omnipotens ſempiterne Deus, jejuni, de tuis etiam donis ſatiati, vel qualibet maceratione confecti, Majeſtatem tuam ſupplices exoramus: ut expulſis de cordibus noſtris peccatorum tenebris, in die hac jejunii, intercedente ſummo Antiſtite noſtro & divinorum myſteriorum capace Gregorio, ad veram lucem, quæ Chriſtus eſt, nos facias pervenire.

Coll.

Omnipotens ſempiterne Deus, cujus juſſu caro a voluptatibus jejunii maceratione reſtringitur; & Satorem ſuum caro noſtra per ſobrietatem reſtricta, cognoſcit; per interceſſionem Summi Apoſtolici Patris noſtri Gregorii,

(1) *Lege ſuffragator.* (2) *Mabill. formam.*

Digitized by Google

gorii, in hoc jejunio tribue cunctis immaculatum in te credentibus exercere cultum: ut etiam ſi jejunantibus vitia ſuccedunt, & deſerunt virtutes, tua erga eos, Pater omnipotens, cuſtodia perſeveret. Per.

MISSA IN ASCENSIONE Domini. [1]

DEus, qui Eccleſiam tuam Euangelicæ exhortatione doctrinæ, quæ ſurſum ſunt jubes ſapere; & ad eam ſe altitudinem, ad quam Salvator mundi conſcendit, erigere; da ſupplicibus tuis ſubſequi intellectu, quod multi viderunt conſpectu; ut in ſecundo Mediatoris adventu ditentur donis, qui tuis crediderunt promiſſis. Per.

Præſta nobis omnipotens & miſericors Deus, ut ſicut humani generis Salvatorem conſedere tecum in tua Majeſtate confidimus: ita uſque ad conſummationem ſæculi manere nobiſcum, quemadmodum eſt pollicitus, ſentiamus. Per.

Poſt nomina.

Sacrificium, Domine, pro Filii tui in cælis hodie Aſcenſione deferimus, præſta quæſumus: ut ad tuam gloriam per ipſum his commerciis venerandis ſurgamus. Per.

Ad Pacem.

Deus, qui dudum ſubſellia Dietatis aſcendis, obſervare nos pacem Euangelica auctoritate non deſinis docere; da nobis placidus pacem tuam, ut dum diſcordiæ prona refugimus, cæli ardua conſequamur. Per.

Immolatio.

Vere dignum & juſtum eſt, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Aſcendit ſuper omnes cælos, & exaltatus throno gloriæ tuæ, ſedetque ad dexteram tuam, promiſſum Sanctum Spiritum in filios adoptionis effudit. Vnde lætantes inter Altaria tua, Domine virtutum, hoſtias tibi laudis offerimus cum Angelis & Archangelis. Per Chriſtum Dominum.

MISSA IN DIE SANCTO Pentecoſten. [2]

DEus, inluminantio & vita credentium, cujus munerum ineffabilis magnitudo hodiernæ Feſtivitatis teſtimonio celebratur; da populis tuis capere intellectu quod [3] dicere miraculo: ut adoptio, quam in eos Spiritus Sanctus advocavit, nihil in dilectione tepidum, nihil habeat in confeſſione diverſum. Per.

Coll.

(1) Inter Alcimi Aviti fragmenta unum eſt ex ſermone de Aſcenſione Domini. *Mabill.*

(2) Et de hoc feſto habentur duo fragmentà ex ſermone Aviti, in quorum primo egregius locus eſt de Spiritus-Sancti divinitàte. Mabill.

Miſſæ hujus Officium in Sacram. Bobienſi inſcribitur: Miſſa in Quinquaginſimo. *Notum eſt* Quinquageſimam Paſchæ *vocatum a veteribus fuiſſe tempus illud interjacens inter Paſcha diem & Pentecoſten. Unde iſte &* Quinquageſimus *appellabatur*.

(3) *Mabill.* didicere.

Coll.

Mentes noſtras, quæſumus Domine, Paraclytus Spiritus, qui de te procedet, inluminet: & ad omne opus bonum perducat, ſicut nobis promiſit Filius veritatis. Per.

Poſt nomina.

Munera noſtra, quæſumus Domine, Sancti Spiritus tui dignatione ſacrentur: per quæ a peccatis omnibus adoptiones [1] tui filii renaſcamur. Per.

Ad Pacem.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Eccleſiæ multiplicatur & regitur, conſerva in novam familiæ tuæ progeniem ſanctificationis gratiam, quam dediſti: ut corpore & mente renovati puram tibi animam cum ſecuritate pacis, & purum pectus ſemper exhibeant. Per.

Immolatio.

Vere dignum & juſtum eſt, nos tibi ſemper hic & ubique gratias agere, & gloriari in operibus tuis, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, in hoc præcipue die: in quo ſacratiſſimum Paſcha quinquaginta dierum myſteriis tegitur; & per ſua veſtigia, recurſantibus dierum ſpatiis, colleguntur: & diſperſio linguarum, quæ in confuſioue facta fuerat, per Spiritum Sanctum adunatur. Hodie enim de cælis repente ſonum audientes Apoſtoli, unius Fidei Symbulum exceperunt: & linguis variis Euangelii tui gloriam Gentibus tradideruut. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

MISSA SANCTORVM
[1]Ferreoli, & [2] Ferruci.

DOminum Deum noſtrum, Fratres Kariſſimi, ſupplices exoremus, qui ſanctis Martyribus ſuis Ferreolo, & Ferruccione quædam tribuit futurorum præmia gaudiorum in ipſa præſentium conditione certaminum (dum [3] perire extinguibilem ſui amoris ardorem intelligunt ſuavitatem vitæ damnis adquirere, & mortem, moriendo, calcare: quibus dum prætervolans hic dies per urgentium pœnarum acerbitate concluditur, aditus æternæ lucis aperitur) det nobis famulis ſuis: ut ſicut illos nulla tormentorum genera, corpore licet deferente, fregerunt; ita nos nullæ mundi hujus inlecebræ a ſuæ propoſito ſervitutis pernicioſa ſecuritate deflectant. Vt virtutem fidei noſtræ divinus ille ſuæ caritatis accendat, & omnia in nobis corporalium vitiorum fundamenta conſumat. Per.

Coll.

Deus, cujus amore piiſſimi Confeſſores & [4] Martyris tui Ferreoli, & Ferrucionis cruore adſerunt, & morte confirmant: qui dum tibi tam libenter, ſumptum a te, vitæ munus inpendunt, neminem non pro vitæ mori te-

---

(1) *Mabill.* tua.

(2) *Mabill.* & Ferrucionis. *Vide Greg. Turon. lib.* 1, *de Gloria Martyrum cap.* LXXI.

(3) *Mabill.* dum per inextinguibilem ſui amoris.

(4) *Lege* Martyres.

ri teſtantur: concede ut fidem, quam cordibus noſtris proprio inſcriptam ſanguine reliquerunt, vitæ meritis excolamus: & quod in eis admiramur, imitemur; quod colimus, diligamus; quod laude proſequimur, converſatione ſectemur. Per.

Poſt nomina.

Recenſitis nominibus fratrum, carorumque noſtrorum oremus Dominicam miſericordiam: ut in medio Hieruſalem in congregatione Sanctorum hæc nomina ſibi faciat ab Angelo ſanctificationis in beatitudinem æterni gaudii recenſeri: Sacrificiumque hoc noſtrum ſicut in præformationem Melchiſedech, in virtute ſanctificet: preces quoque offerentium in hac [1] oblationem propitiatus exaudiat [2] commemorationem Beatiſſimorum Martyrum Ferreoli, & Ferrucionis, omniumque Sanctorum: ut eorum precibus adjuti, non ſolum viventibus præſidia, verum etiam defunctis caris noſtris requiem obtinere mereantur. Per.

Coll. ad Pacem.

Mirabilis in Sanctis tuis, Domine virtutum, & peccatoribus nobis Beatiſſimorum Martyrum tuorum Ferreoli, & Ferrucionis patrocinio largire. Illi coronas inſignis gemmibus, lapidibus pretioſis Martyrii virtute meruerunt: nos eorum ſuffragiis, te donante, delictorum veniam conſequamur; & concede nobis, ut conjunctio labiorum, copula efficiatur animarum: & miniſterium oſculi perpetuæ proficiat caritati. Per.

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt. Vere dignum & juſtum eſt: quotienſcumque pugna Sanctorum [3] recolemus, te laudamus: & in quo Martyres tuos Ferreoli, & Ferrucionis proferimus, tuis virtutibus adſcribamur: quia illorum corona, tua eſt gloria: qui per unicum Filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum ac Salvatorem noſtrum mortalia corpora docuiſti pretioſi palmam portare Martyrii. Juſte autem tuis meritis exhibemus, quo fortiſſimorum Martyrum facta veneramur: qui humanas mentes ad certamen cæleſtis gloriæ amore tuæ pietatis accendis. Tuæ nanque virtutis eſt præmium, pœna Sanctorum: nam in qua ſubjacuerunt ſævi membra carnificis, tibi ſervit Martyrum effuſus ſanguis; tibi triumphum reportat manus cruenta lictoris: quique gladio voluntaria colla ſubpoſuit, tibi vicit: quique ungulis flammiſque ſubjacuit, tui palmam nominis reportavit. Habes ergo Domine in quo exultes, quotienſcumque tantæ virtutis memoriam recolimus: nec immeritu ſingulis quibuſque cæleſtia dona diſponis, qui tantum per Sanctos tuos undique amorem [4] adquires. Quis non poſt tantam pietatis tuæ magnificentiam, animam ad Martyrii vota componat? aut quis non [5] pio vocitur ad pugnam, cum videat magno laboris fructu remuneratam Martyrum fuiſſe victoriam? Rogamus ergo Domine, ut in commemorationem Sanctorum tuorum Ferreoli, & Ferrucionis, illorum pretioſæ virtutis memoriam recolen-

(1) *Lege* oblatione.
(2) *Mabill.* in commemorationem.
(3) *Mabill.* recolimus.
(4) *Mabill.* adquiris.
(5) *Mabill.* non provocetur.

Digitized by Google

colentes, partem remunerationis admittas; [1] hæc præſtes, ut familia tua perſeverare curſum cœpti laboris expediat: quatenus qui in te credunt, & tibi ſerviunt, & ſi non in prima, vel in ſecunda remunerationis ſorte, locum apud te mereantur obtinere juſtitiæ. Et ideo cum Angelis atque Archangelis clamant dicentes.

MISSA IN NATIVITATE Sancti Johannis Baptiſtæ.

DEus, qui Beatum Johannem Baptiſtam veritatis teſtimonium decoraſti; da nobis, quæſumus, humilitatis ejus exemplum audire, ut deſideremus intelligere quod exercuit; & adſequi toto amore quod meruit. Per Jeſum Chriſtum.

Coll. ſequitur.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Beatiſſimum Præcurſorem tuum Johannem Baptiſtam ad præparandas Vnigeniti tui vias naſci juſſiſti; præſta quæſumus, ut interceſſionis ejus auxilium tribuas: ad implenda mandata præpares voluntates. Per Dominum noſtrum.

Poſt nomina.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hunc diem honorabilem nobis in Beati Johannis Baptiſtæ nativitate feciſti inſignem, quæſumus: ut tuus Præcurſor ([2] qui inter natos mulierum omnibus major non ſurrexit) noſtram fragilitatem tuæ pietati commendet: & caris noſtris, quorum ſunt nomina recitata, ita refrigerium pietatis impetret; ut ibi recipiantur vel ultimi, ubi ſummus [3] præmanet in regno cælorum Baptiſta. Quod ipſe.

Coll. ad Pacem.

Deus [4] qui præſentem diem honorabilem nobis in Beati Johannis nativitate; da populis tuis ſpiritalium [5] gratia gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam ſalutis & pacis. Per.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum eſt nos tibi ſemper hic & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui in omnium Sanctorum tuorum es ſplendore mirabilis: qui præſentem diem honorabilem nobis in Beati Johannis nativitate feciſti; ut, gratiæ tuæ operante virtute, ille (quo inter natos mulierum nullus major) oriretur: da populis tuis eruditionem ſpiritalium gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam ſalutis & pacis: ut quem manifeſtavit teſtificatio nuntii, impleat præſentia nuntianti. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem majeſtatem tuam.

Bene-

(1) *Mabill.* ac præſtes, *non* hæc præſtes.
(2) *Lege* quo.
(3) *Mabill.* præminet.
(4) Hæc collectio eadem in Ordine Gregoriano. *Mabill.* *Vide & Gelaſianum ſuperiori pag. 138, ubi eadem hæc oratio legitur.*
(5) *Mabill.* graciam.

Benedictio Populi.[1]

Deus, qui per Zachariæ loquelam manifeſtaſti nativitatem Sancti Johannis. † Præſta, quæſumus: ut qui natalitio ejus devotiſſime colimus, interceſſione illius gaudeamus. † Vt populus tuus, qui ad nativitatem ejus convenerunt, ſalventur meritis per interventu omnium Sanctorum[2] deprecationem illius meritis adjuventur. † Da Domine, ut[3] illi Angelus Gabriel (qui Zacharie loquente obmutuit) interceſſor adſiſtat: & meritis adjuventur & moribus. Illi vos.

MISSA SANCTORVM Petri, & Pauli.

OMnipotens[4] ſempiterne Deus, qui hunc diem Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Martyrio conſecraſti; da Eccleſiæ tuæ toto terrarum orbe diffuſæ, eorum ſemper Magiſterio gubernari; per quos ſumpſit Religionis exordium. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Collectio ſequitur.

Exaudi, quæſumus, Domine populum tuum cum Sanctorum Apoſtolorum tuorum Petri, & Pauli patrocinio ſupplicantem: ut tuo auxilio ſervati, ſecura tibi poſſit devotione ſervire. Per Jeſum.

Coll. poſt nomina.

Apoſtolorum tuorum, Domine, Beatorum Petri, & Pauli deſiderata ſolemnia recenſemus, præſta quæſumus: ut[5] honona gloria paſſionis, ſicut illis magnificentiam tribuit ſempiternam; ita nobis veniam largiatur optatam: & nomina eorum, quæ recitata ſunt, in libro vitæ cenſeas deputari. Per eum, qui tecum vivit.

Collectio ad pacem.

Deus pacis conditor, Deus caritatis indultor, da nobis placidus pacem tuam, & præſta; ut dum Sanctorum tuorum Apoſtolorum Petri, & Pauli feſta celebramus, per eorum[6] interceſſione pacis ſecuritatem cum peccatorum venia conſequi mereamur. Per Dominum noſtrum Jeſum.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: præcipue hodie in honorem Beatiſſimorum Apoſtolorum & Martyrum tuorum Petri, & Pauli: quos ita electio tua ſibi conſecrare dignata eſt, ut Beati Petri ſæcularem piſcandi artem in divinum dogma converteret, quatenus humanum genus de profundo iſtius mundi, præceptorum tuorum retibus liberares. Nam[7] cum Apoſtolum ejus Paulum men-

(1) Tres cruces hic denotant trinam populi benedictionem. *Mabill.*

(2) *Mabill.* & deprecationem *addita conjungendi vocula* &.

(3) *Idem Mabill.* illis: *& paullo inferius* Zacharias *pro* Zacharie.

(4) Affinis eſt hæc oratio Gregorianæ. *Mabill.*

(5) *Pro* honona *Mabill. ſcripſit* honora.

(6) *Lege* interceſſionem.

(7) *Mabill.* Nam Coapoſtolo ejus Paulo.

mentem cum nomine commutaſti: & quem prius perſecutorem metuebat Eccleſia; nunc cæleſtium mandatorum lætatur ſe habere Doctorem. Paulus cæcatus eſt, ut videret. Petrus negavit, ut crederet. Huic claves cæleſtis Imperii tradidiſti: illum ad evocandas Gentes divinæ legis ſcientiam contuliſti. Nam ille introducit, hic aperit. Ambo igitur virtutis æternæ præmia ſunt adepti. Hunc dextera tua gradientem in elemento liquido, ne mergeretur, erexit: illum autem tertio naufragantem, profunda pelagi fecit vitare diſcrimina. Hic portas inferni, ille mortis vicit aculeum. Paulus capite plectitur, quia Gentibus caput fidei comprobatur. Petrus autem præmiſſis in eruce veſtigiis, Caput omnium noſtrum ſecutus eſt Chriſtum. Cui merito om.

Benedictio Populi in Natale Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Deus, qui membris Eccleſiæ velut gemellum lumen, quo caveantur tenebræ, feciſti Petri lacrymas, Pauli litteras coruſcare. *Amen.*

Hanc plebem placitus inſpice, qui cælos facis aperire Petro in clave, Paulo in dogmate. *Amen.*

Ut [1] præviantur ducibus illie grex poſſit accedere, quo pervenerunt pariter tam ille Paſtor ſuſpendio, quam iſte Doctor per gladium in congreſſo. Per Dominum noſtrum.

MISSA IN NATALE [2] *unius Apoſtoli & Martyris.*

Domine Deus, omnium Sanctorum ſplendor mirabilis, qui hunc diem Beati Apoſtoli tui *Ill.* martyrio conſecraſti; da Eccleſiæ tuæ digne de tanto gaudere Apoſtolo: ut aput miſericordiam tuam, & [3] exemplum ejus juvemur & meritis. Per Dominum noſtrum Filium tuum.

Collectio ſequitur.

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplicirer exoramus: ut ſicut Eccleſiæ tuæ Beatus *Il.* Apoſtolus prædicator & doctor extitit; ita ſit pro nobis perpetuus ſuffragator. Per Dominum noſtrum Jeſum.

Coll. poſt nomina.

Lætificet nos, quæſumus Domine, munus oblatum: ut ſicut in Apoſtolo tuo te mirabilem prædicamus; ſic per illum præſumamus indulgentiæ largitatem. Præſta nobis ejus deſiderata commercia: ut cujus perpetuam dignitatem ſacroſancto Myſterio frequentamus in terris, & præſentia nobis ſubſidia poſtulet & æterna. Per Dominum noſtrum.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt, te laudare, omnipotens Deus, præcipue in Beati Apoſtoli tui *Il.* feſtivitate: in qua glorioſus ejus ſanguis pro Chriſto effuſus

(1) *Mabill.* Ut prævlantibus decibus.

(2) Deeſt hæc Miſſa communis in Lectionario noſtro, in quo nullum eſt Commune Apoſtolorum. *Mabill.*

(3) *Lege* exemplo.

ſus eſt. Cujus venerabilis annuæ recurſionis ſolemnitas & perpetua ſemper & nova eſt: quia & in conſpectu tuæ majeſtatis permanet mors tuorum pretioſa Juſtorum: & reſtaurantur incrementa lætitiæ, cum felicitatis æternæ recoluntur exordia. Supplices te rogamus, omnipotens Deus: ut nobis donare digneris Apoſtolum tuum *Il.* pro peccatis noſtris interceſſorem, neceſſitatibus patronum: ut qui pro veritate ſacrum ſanguinem fudit, ipſe ante conſpectum majeſtatis tuæ vota noſtra ſuſcipiat. Et ita ei obſequiorum noſtrorum officioſitate placeamus: ut dum nos ei ſupplicamus in terris, ille nos commendare dignetur in cælis Domino Jeſu Chriſto. Cui merito omnes Angel.

MISSA IN DIEM Paſſionis Sancti Johannis Baptiſtæ & Martyris. [1]

Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum humili confeſſione, & ſupplici devotione, Fratres Kariſſimi, unianimes obſecremus: ut nos hodie vaticinatæ Vocis, Verbi Præcurſoris, legum limitis, lucernæ lucentis, Sancti Martyris Baptiſtæ Johannis paſſionem celebrantibus, ejuſdem interceſſione inluminet, defendat, & ſanctificet: ut qui pro veritate ſacrum ſanguinem fudit, pro nobis ad Deum preces fundere dignetur. Per Dominum n.

Coll. ſequitur.

In honorem Beatiſſimi Martyris tui Baptiſtæ Johannis, cujus hodie paſſionem celebramus, his majeſtati tuæ, omnipotens Deus, laudibus ſervientes, ſolemnia feſta [2] concinemus, ſuppliciter deprecantes: ut cujus meritis obſequimur, ejus, te donante, aput clementiam tuam precibus adjuvemur. Per.

Poſt nomina.

Munera populi tui omnipotens Deus, quæ tibi in hac Beatiſſimi Martyris tui Baptiſtæ Johannis feſtivitate deferimus, quæſumus, propitiatus intende: ut perfecti hujus Sacrificii ſanctificatione purgati, noſtrorum a te mereamur conſequi veniam delictorum. Per.

Coll. ad Pacem.

Suſcipe, quæſumus, Domine preces noſtras: & interceſſione Martyris tui Baptiſtæ Johannis, quem in tuo honore veneramur, Eccleſiæ tuæ vota confirma: qui etiam dignus eſt habitus, ut [3] te baptizandum, mundi Salvator, offerres. Dignum eſt enim hoc mereri; ut omnes nos Baptiſmatis tui gratia conſecutos, meritorum ſuorum interceſſione, conciliet, Salvator mundi.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare

(1) *Extat idem officium, licet non iiſdem conſtans orationibus, & in Sacram. Gallicano Cod. Bobienſis; extat & in Luxov. Lection.*

(2) *Mabill.* concinimus.

(3) *Mabill.* ut ei *addita vocula* ei.

lutare eſt, nos tibi ſemper agere gratias, omnipotens & miſericors Deus, inter has Sacramentorum epulas, Martyris tui caput cum euangelica recordatione miſceri: & velut in diſco metalli radiantis, ita ſuper menſam tuæ propitiationis offerre. Sit ergo nobis, Domine, jocunda laudatio, ſit in honorem Martyris recordatio cantici triumphalis. Et cum his cæleſtibus ſuperniſque Virtutibus, fidelis populi ſinphonia miſceatur: quæ a dextris tuis conſona voce ſub trina repetitione [1] eſtan dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*.

MISSA IN NATALE S. Sixti [2] Papæ Urbis Romæ.

DOmine Deus, fidelium inſuperabilis fortitudo, qui inter mundana converſationis adverſa, Sanctorum nos maxime glorificatione ſolaris, tui indeſinenter accendis: excita Domine in Eccleſia tua Spiritum, cui ille ſervivit: ut ſtudeamus diligere quod amavit, & [3] opera exercere quod docuit. Per Dominum noſtrum Jeſum Filium tuum.

Collectio ſequitur.

Præſta nobis omnipotens & miſericors Deus: ut Beati Sixti Martyris tui repetita ſolemnitas, & liberationem nobis perfectam tribuat & ſalutem. Per Dominum noſtrum.

Coll. poſt nomina.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & interceſſione Martyris tui Sixti perpetuam nobis miſericordiam benignus inpende: & nomina, quæ recitata ſunt, noſtrorum carorum in cæleſti pagina jubeas intimari. Per Dominum noſtrum.

Collectio ad Pacem.

Accipe, quæſumus, Domine munera dignanter oblata: & Beati Sixti Epiſcopi & Martyris ſuffragantibus meritis, ad noſtræ ſalutis augmentum provenire concede: & [4] illa, quæ in eo flagravit fortis dilectio, in nobis adſpira benignus. Per eum q.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare eſt, tibi aſſiduas laudes canere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui per adventum ſuum credentes in ſe homines ad cæleſtia regna tranſire permiſit: quoniam hii qui ſe tuæ teſtes offerunt veritatis, inimicum, dum occiduntur, occidunt. Ex quibus eſt Sanctus ac Venerabilis Sixtus Martyr; cujus hodie ſolemnitas celebratur: qui dum Apoſtolicæ Sedis excepiſſet inſignia, & ſe [5] Pri-

 mum

(1) *Mendoſum verbum* eſtan *pro* cantant *reddit Mabillonius.*

(2) *Obſerva* S. *Sixtum vocari* Papam Urbis Romæ, *ita & in altera veteri membrana Archivi Baſilicæ Vaticanæ Sanctus Silveſter dicitur* Urbis Romæ Epiſcopus. *Tom. IV, pag. 46, quemadmodum adnotavimus ſub num.* (1) *ad eumdem locum.*

(3) *Mabill.* & opere.

(4) *Lege* & illam.

(5) Et ſe PRIMUM eſſe conſpiceret SACERDOTUM. *Obſervetur locus ad adſtruendum Romani Pontificis Primatum idoneus, quem expendit Mabill. Præfat. ad Liturg. Gallic. num.* XI. Sacerdotum *nomine Epiſcopi ſæpe deſignantur in hiſce Miſſalibus, quod & in Gelaſii Sacramentario obſervavimus ſuperiori pag. 219, not.* (2) *& conſequenti pag. 220, not. itidem* (1)

mum eſſe conſpiceret Sacerdotum, occaſionem ſalutaris paſſionis excipiens, non tantum ſæculares exuit ſordes contagii, verum etiam exemplum fuit cæteris. Nam mox ſuus quoque Miniſter eximius Venerabilis Laurentius victoriæ palmam imitatus, accepit ornamentum, quod debuit pœna ſubire; ut gloriam mereretur æternam conſequere. Per Chriſtum.

MISSA IN NATALE
Sancti Laurenti Martyris.

DEus, fidelium tuorum, Salvator & rector, omnipotens ſempiterne Deus, adeſto votis ſolemnitatis hodiernæ; & Eccleſiæ gaudiis de glorioſa Martyris tui paſſione Beati Laurenti conceptis, benignus aſpira: augeatur omnium fides tantæ virtutis ortu, & corda lætantium ſupplicio Martyrum igniantur: ut apud miſericordiam tuam illius juvemur merito, cujus exultamus exemplo. Per Dominum noſtrum.

Collectio ſequitur.

Deus mundi Creator & rector, qui hunc diem in Levitæ tui Laurenti martyrio conſecraſti; exaudi propitius ſupplices tuos, & concede: ut omnes qui Martyrii ejus merita veneramur, interceſſionibus ejus ab æternis gehennæ incendiis liberemur. Per Dominum.

Coll. poſt nomina.

Concede nobis Domine gratiam tuam in Beati Laurenti Martyris celebritate multiplicem: ut de tanti agone certaminis diſcat populus Chriſtianus, & firmam ſolidare patientiam, & pia exultare victoria.

Collectio ad Pacem.

Sancti Laurenti nos, Domine quæſumus, precatio juſta tueatur: & quod noſtra conſcientia non præſumit, ejus nobis, qui tibi placuit, oratione donetur. Per Dominum noſtrum Filium tuum.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens ſempiterne Deus, tibi in tanti Martyris Laurenti laudis hoſtias immolare: [a] qui hoſtiam viventem hodie in ipſius Levitæ tui Beati Laurenti Martyris miniſterio per florem caſti corporis accepiſti. Cujus vocem per hymnidicum [1] modolamini Pſalmi audivimus canentis atque dicentis. Probaſti cor meum, Deus, & viſitaſti [2] noctem, ideſt in tenebris ſæculi: igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas. O glorioſa certaminis virtus! O inconcuſſa conſtantia confitentis! Stridunt membra viventia ſuper graticulam impoſita: & prunis ſevientibus, anhelantes inceuſum ſuum in modum thymiamatis divinis naribus exhibent odorem. Dicit enim Martyr ipſe cum Paulo: Chriſti bonus odor

a. qui hoſtiam viventem. *leg.* qui hoſtiam viventem. qui hoſtiam viventem.

(1) Lege *modulum*, vel *modulati*. Hic ergo verſiculus tunc in feſto S. Laurentii, uti nunc, canebatur in Ordine Gallicano. *Mabill.*

(2) *Mabill.* nocte.

odor ſumus Deo. Non enim cogitabat quomodo in terra poſitus, a paſſionis periculo liberaretur; ſed quomodo inter Martyres in cælis coronaretur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem.

MISSA S. YPPOLITI Martyris.

DA nobis omnipotens & miſericors Deus: ut Beati Yppoliti Martyris tui veneranda ſolemnitas, & devotionem nobis augeat & ſalutem. Per Dominum noſtrum Filium tuum.

Collectio ſequitur.

Præſta nobis omnipotens & miſericors Deus: ut Beati Yppoliti Martyris tui repetita ſolemnitas, & liberationem nobis perfectam tribuat & ſalutem. Per Dominum noſtrum.

Collectio poſt nomina.

Deus tuorum gloria, Martyri tuo Yppolyto, quæſumus, ut pro nobis ſupplicantem,[1] omnia nobis proſpera concede. Per Dominum noſtrum Filium tuum.

Collectio ad Pacem.

Vt nobis tua, Domine, remedia dent ſalutem, Beatus Yppolitus Martyr, quæſumus, pro nobis ſupplicans cupioſus audiatur. Per Dominum noſtrum.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens æterne Deus. Qui Beatum Yppolitum tyrannicis adhuc obſequiis occupatum, ſubito feciſti Laurenti ſocium. Qui ſpiritali ardore ſuccenſus, dum Vnigenitum Filium tuum Dominum noſtrum coram poteſtatibus veraciter confitetur, pœnis ſubjicitur, vinculis inligatur, cardis configitur, equorum ferocitate diſiungitur: & adepta palma Martyrii, vita perpetua cum lucratore & magiſtro Laurentio coronatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

MISSA IN NATALE Sanctorum Martyrum Cornili, & Cypriani.[2]

SAncte Domine[3] omnipotenſq; Cornilius, & Cyprianus triumphali ſanguine confitendo, venerabiles extiterunt. Præſta, quæſumus, ut uterque nobis jugiter ſuffragentur. Per.

Collectio ſequitur.

Sanctus Cornilius, & Cyprianus ſuffragia nos, Domine, conſueta dependant: & pari ſemper interceſſione nos foveant. Per Dominum.

Colle-

(1) *Eo in loco aliquid omiſiſſe veterem Scriptorem retur Mabill.*

(2) Tam celebre quondam erat his in partibus S. Cypriani feſtum, ut ab eo ſequentes in Adventum Dominicæ, prima, ſecunda, & ſic deinceps numerarentur. *Mabill.* *Conſuli de hac re poterunt Thomaſii noſtri* Lectionarius Miſſæ, & Capitulare Evangeliorum *in antiquis Miſſarum Libris Tom. V, pag.* 374, *&* 497, *ac aliis inde ſequentibus. Videſis & Jo. Fronteaus Kalend. Rom.*

(3) *Mabill.* omnipotens, quem Cornilius.

Collectio poſt nomina.

Beatorum Martyrum pariterque Pontificum Cornili, & Cypriani nos, quæſumus, feſta tueantur, eorum nos tibi Domine commendet oratio: ut caris noſtris qui in Chriſto dormiunt, refrigeria æterna concedas. Per.

Collectio ad Pacem.

Prætende nobis miſericordiam tuam, & eſto populi tui defenſor & cuſtos: [1] & Sanctorum tuorum Cornili, & Cypriani veneranda ſolemnia ſecuro [2] poſſunt frequentare conventu. Per.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt ſemper & ubique tibi gratias agere, omnipotens, æterne Deus: Teque in Sanctorum Martyrum prædicare virtute, quos diſcretis terrarum partibus greges ſacros paſcentes, una eademque fide, de diverſis licet temporibus, conſonante, parique nominis tui confeſſione coronaſti. Per Dominum noſtrum. Per quem.

MISSA IN NATALE Sanctorum Germanorum Johannis, & Pauli.

Quæſumus, [3] omnipotens & miſericors Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ feſtivitatis excipiat; quæ de Beatorum Martyrum tuorum [a] Johannis & Pauli glorificatione procedit: quos eadem fides & paſſio fecit eſſe germanos. Per.

Collectio ſequitur.

Omnipotens ſempiterne Deus, ne aput juſtitiam tuam peccata noſtra nos adgravent, Germanorum Martyrum ſuffragiis adjuvemur: quos & partus, una & par Martyrii palma conjunxit. Per.

Collectio poſt nomina.

Suſcipe Domine propitius preces noſtras, & tuorum deprecatione juſtorum Johannis, & Pauli, pietati tuæ perfice benignus acceptas: & quos ſanguis propinquitas conjunxit & fides, patrocinium nobis deferant ſolaminis. Per.

Collectio ad Pacem.

Intende Domine munera, quæſumus, Altaribus tuis pro Beatorum Martyrum tuorum Johannis, & Pauli commemoratione prępoſita, ut ſicut per hæc beata myſteria illis gloriam contuliſti, nobis indulgentiam largiaris. Per Dominum.

Immolatio Miſſæ.

Vere ſatis eſt dignum atque juſtum, in horum Martyrum Johannis, & Pauli germanitate pariter, & [4] beatitudo conſortes, tibi, omnipotens Deus, dicere laudes: quos & fratres ſorte naſcen-

a. tuorum. *leg.* tuorum tuorum.

(1) *Mabill.* ut, *non* &.
(2) *Idem Mabill.* poſſint.
(3) Eadem nunc in Ordine Gregoriano. Hæc Miſſa extra ordinem, uti & ſequens. De his fratribus lege epigramma in tomo IV Analectorum, Damaſo (ut puto) auctore.
(4) *Lege* & beatitudine.

naſcendi, & magnifica præſtitiſti paſſione germanos: ut ſimul eſſent venerandæ gloria genitricis, & florentiſſima prolis Eccleſiæ. In quorum memoria paſſionis oblatum Sacrificium accipe libens Domine, & per eum nos cum ipſorum Martyrum interceſſione [1] emundans: ut liberis vocibus, & conſonis mentibus tibi hymnum dicere laudis mereamur, cum Angelis & Archangelis clamantes. *Sanctus*.

MISSA IN NATALE *Beatiſſimi Sinfuriani Martyris*.

SAcratam myſteriis cæleſtibus diem ad officium devotionis noſtræ ſolemnitatis ingreſſi, Fratres dilectiſſimi, laudemus Dominum in Sanctis ſuis: [2] cumque in Beatiſſimi Sinfuriani Martyris honore veneremur, agentes ei gratias pro triumphis ejus & gloria, [3] quam adverſus corporis infirmitatem pœnarumque ſævitiam, ſpiritus fortitudinem [4] demigantem, ſpei viribus roboravit, muro credulitatis incluſit, ſucceſſuque victoriæ ad præmia immortalitatis invexit. Oremus quoque, ut nos in hoc ſæculo, etſi non pari agone certantibus, ſimilis fortitudo non deſinat: & ſicut illum exhortatio piæ matris extulit ad peragendam certaminis hujus victoriam; ita nos Catholicæ fides Eccleſiæ inreprehenſibiliter cuſtodita, perducat ad veniam, provehat ad coronam. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Collectio ſequitur.

Sanctorum omnium glorioſa protectio, Deus, qui Beato Martyri tuo Sinfuriano auxilium non negaſti, & per iniqua mortis ludibria ad hanc gloriam vocare dignatus es, præſta: ut ſimiles nos fides martyrio copulet, quos tempus paſſionis in ſtadio non reliquit: ac ſicut illum iter durum & ſcupoloſum per ærumnas paſſionum Paradyſo conlocavit; ita nos præſentium voluptatum contemptus. [5] Per Dominum noſtrum.

Coll. ſequitur.

Recitatis nominibus offerentum, Fratres Kariſſimi, omnipotentis Dei miſericordiam deprecemur: ut plebi, quæ in honore Beati Sinfuriani Martyris vota reddit Altaribus, divinæ credulitatis infundatur affectus: ut ejus adminiſtratione firmentur, qui Martyris meritis non [6] junſuntur: ac ſicut ille poſt carceris ſepta, poſt pœnarum ligamina, poſtque famis inediam, æternitatis gaudia infinita perfruitur; ita defunctorum animæ, laxatis inferni preſſuris, Abrahæ patris gremio conlocentur. Quod ipſe præſt. dignetur q.

Collectio ad Pacem.

Largitor bonorum omnium, Deus, qui inter illas Martyrum ſplendentium [7] niveis fide catervas, toto orbe terrarum gratia coruſcante diffuſas, pretioſum

(1) *Lege* emunda.
(2) *Mabill.* cumque.
(3) *Lege* quem.
(4) *Mabill.* demicantem.
(5) *Aliquid ibi deſiderari obſervavit Mabillonius*.
(6) *Mabill.* junguntur.
(7) *Mabill.* nivea.

Digitized by Google

ſum peculiaremque nobis Beatum Sinfurianum Martyrem indulſiſti ; largire cotidianis ſupplicum tuorum votis : ut in cujus feſta devoto exultamus trepudio, ejus in poſterum conſortio conjungamur ; hominum oſculis corporalibus, ſpiritalibus alligari mereamur affectibus. Per.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare eſt, nos tibi in honore Beati Martyris tui Sinfuriani [1] laudem Hoſtias immolare, Domine Deus æterne. In cujus nos ſolemnitate confortat vel ratio manifeſta rerum, vel eruditio perfecta virtutum : qui ſplendere meruit non ſolum terrenorum claritate natalium, verum etiam ſublimitate cæleſtium virtutum : & [2] Fauſti fulgidus genere, fauſto Martyrii levatur in culmine. Qui Beatos Patres Andochium Benignumque ſecutus, per Martyrii flagrantiam electus pervenit ad palmam : qui dum afflictionem ſequitur præſentium, inſtructionem effecit poſterorum. Et materno conloquio pietate transfertur ad præmium : cum ei inſinuatur non debere mortem metuere ; quia Martyribus vita non tollitur, ſed mutatur. O admiranda gratiarum fides! qui de beato filio vitam glorioſo exultat affectu : & quæ lugere credebatur, gaudere cognoſcitur : ſecura de regni tui præmiis, filium exhortatur cum ingenti lætitia, ſcientes morientes in Chriſto, vivere ; & amiſſam vitam, eo reſtaurante recipere. Digne ergo hic honoratur in nomine tuo, qui te honoravit in ſanguine ſuo : qui pro te afflictus eſt in ſupplicio, per te glorificatus eſt in ſepulchro : qui te honoravit in gladio, tecum regnat in cælo: qui per anguſtiam præſentium tribulationum pervenire meruit ad amplitudinem cæleſtium gaudiorum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per q.

MISSA SANCTI ac Beatiſſimi Mauricii cum Sociis ſuis.

Omnipotentis Domini miſericordiam in hujus diei ſex millium ſexcentorum Martyrum ſolemnitate, Fratres Kariſſimi, deprecemur: ut qui tantæ plebi ſuæ [3] gloria Martyrii contulit ; ita nobis diei inmenſa peccaminum miſericordiæ ſuæ largitate [4] lætefecit. Per Dominum noſtrum Jeſum.

Collectio ſequitur.

Deus, qui Sanctis tuis Aeauninſebus pro tuitione Chriſtiani nominis perſecutionis audaciam ſuſtuliſti ; eorumque animum [5] adepiſcendam dignitatis tuæ martyria [6] perſulgentem gratia incitaſti; exaudi ſupplices tuos, & præſta: ut ſicut illi tuo munere meruerunt beatifice coronari ; ita eorum ſuffragiis ab omni conluvione peccati, te auxiliante, reddamur innoxii. Per Dominum.

Collectio poſt nomina.

Auditis nominibus Karorum noſtrorum

(1) *Lege* laudum *cum Mabill.*

(2) Fauſtus Symphoriani pater, genere illuſtris, ex actis, & ex hoc loco. *Mabill.*

(3) Gloria, *potius* gloriam.

(4) Lætefecit *pro* lætificet.

(5) *Mabill.* ad adipiſcendam.

(6) *Idem Mabill.* martyrio præfulgentem, gratiam.

rum, omnipotentem Dominum deprecemur: ut plebis ſuæ Miniſtrorumque vota ſuſcipiens, oblationes noſtras, quas in commemorationem Sanctorum Acaunínſium, ac pro ſpiritibus Karorum noſtrorum offerimus, in odorem bonæ ſuavitatis accipiat. Vnde ſupplices ſimus, ut Beatiſſimorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, & Martyrum, omniumque Sanctorum piis precibus adjuvemur. Per.

Collectio ad Pacem.

Deus, cui acceptiſſimum ac jucundiſſimum ſacrificium [1] eſſe Sanctorum tuorum fides atque devotio; adeſto familiæ tuæ tibi ſupplici, miſericordiam tuam per Sanctorum tuorum Acaunínſium ſuffragia poſtulanti: & da, ut qui te peccatorum ſuorum errore læſerunt, placere tibi per Sanctorum tuorum interceſſione mereantur. Per.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt. Vere æquum & juſtum eſt, nos tibi gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Tu enim Domine Thebeorum exercitum, ad populi tui ſupplicium deſtinatum, ita ſubita juſſionis tuæ [2] gratiam revocaſti; ut plus eligerent ſedula devotione interfici, quam de Chriſtianorum ſanguine ſatiari: nec [3] cum tantis ut te auxiliante [4] perſecutione ſonus excepere, cervices ſuas perſequentibus inclinare. Et cum rabies inimici decerneret, ut Dei populus denumerationis inſtantia deperiret; ille raptus eſt decimus, qui anticipatione martyrii fieret primitivus. Clamor in caſtris oritur; virtus dimicandi contemnitur; de adſumatione Martyrii cotentio ardua commovetur: Dei populus ferro confoditur, ſanguis innocentum effunditur, fides inlibata ſervatur. Sic Domine milites proteges tuos; ut nec defuerit in paſſione patientia, nec [5] inſeſione conſtantia. Inter Beatorum bella, & beata certamina plus metuitglorioſa confeſſio [6] decim miletonum conſortio dividi; quam [7] mano carnificis gloriari. Totus nanque Dei populus [8] tante ardoris fidei alacritate flagrabat: ut [9] ſe tardaretur perſecutio corporis, præcederet devotio paſſionis. Tanta enim fuit conſtantia populi, &..... inimici: ut nec furor invenirit poſtmodum quod occiderit; nec glorioſum remanſerit, quod [10] peririt. Factus eſt ſacer ille Agaunínſium locus per ſuffragia Martyrum ſalus præſentium, præſidium futurorum: quam ſanguis unda perfudit, pretioſorum corporum ſocietas conſecravit. Vnde merito tibi, Domine, inter choros Martyrum, & [11] vocibus Angelorum laudes tibi debitas agemus cum exultatione dicentes. *Sanctus.*

Collectio poſt Sanctus.

Oremus Fratres dilectiſſimi, ut Dominus ac Deus noſter ſpeciem iſtam ſuo miniſterio conſecrandam cæleſtis gra-

(1) *Legendum* eſt *non* eſſe.
(2) *Lege* gratia.
(3) Au *cunctantes*. Mendoſa etiam quæ ſequuntur. *Mabill.* (4) *Fortaſſe* perſecutionis onus.
(5) *Mabill.* nec in confeſſione.
(6) *Mabill.* de commilitonum.
(7) *Idem*, manus.
(8) Tantæ ne, *vel* tanta? *Mabill.*
(9) *Lege*, ut ſi. (10) *Lege* perire.
(11) *Mabill.* & voces.

gratiæ inſpiratione ſanctificet: & humanam benedictionem plenitudine divini favoris adcumulet. Per Dominum noſtrum Jeſum.

MISSA SANCTI Leudegarii[1] *Martyris*.

SVmme, omnipotens, æterne Deus, qui vitam Beati Antiſtitis tui Laudegarii Martyris per iſtius ſæculi ærumnas tranſire juſſiſti; cujus annua feſta devota mente celebramus; quæſumus, ut per ejus interceſſionem plebi tuæ clementiæ famulantem, ita in præſenti foveas, ut ad cæleſtia regna perducas. Per Dominum.

Collectio ſequitur.

Deus, qui Beatum Martyrem tuum Laudegarium in agone probaſti, & probatum in dolore ſuſtentaſti; quem hodierna die in cæleſtibus gaudiis recipere dignatus es: præſta nobis famulis tuis, ut qui gloriam non meremur, indulgentiam peccatorum, ipſo interveniente, adepiſci mereamur. Per.

Collectio poſt nomina.

Auditis nominibus offerentum, Fratres Kariſſimi, Domini majeſtatem deprecemur: ut qui vitam Summi Antiſtitis ſui Laudegarii Martyris tranſtuliſti ad coronam; per interventu Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, & Martyrum, Anachoritarum, & Virginum, omniumque Sanctorum concedere dignetur: ut ſacræ præſentis oblatio quæ offertur, viventibus emendationem, & defunctis remiſſionem[2] obtineant peccatorum: & quorum nomina hic recitatione patefacta ſunt, in cæleſtibus paginis conſcribantur. Quod ipſe præſt.

Collectio ad Pacem.

Pacem tuam Domine noſtris inlabere pectoribus;[3] qui Beatum Martyrem tuum Leudegarium, in hoc ſæculo commorantem, per pacis ſtudium hodie cæleſtis aula ſuſcepit: nobis quoque peccatoribus pacis vinculum, & caritatis ſtudium, ejus meritis ſuffragantibus, largiri jubeas in ævum. Per Dominum.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt. Vere æquum & pulchrum eſt, nos tibi hic & ubique ſemper laudes & gratias agere, laudeſque adtollere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, ab initio ſæculi procreatum, verbum editum patris,[4] principia ſæculi iſtius conlocatum per totum orbem terrarum contuliſti: ubi Beatus Martyr tuus Leudegarius Epiſcopus de altitudine ſæculi hujus per alternas muſitationis diſcerptus, pompas ſæculi fragilitatiſque calcavit.[5] Cujus tu Domine auxilium ferre dignatus es, ut præſentis ſæculi amorem deſpiceret, & cæleſtia adepiſcere promereret: verumtamen crucem ſuam tollens,

---

(1) Vel ex hoc loco patet, Miſſale hoc fuiſſe Ordinis Gallicani: atque hinc colligitur codicis ætas, cum Leudegarius extinctus ſit anno 678. *Mabill.*

(2) *Lege* obtineat.

(3) *Mabill.* & cum beatum.

(4) An Legendum *Principium*. *Mabill.*

(5) *Melius*, Cui tu Domine.

lens, te Paſtorem ſequens, ut Paradiſi delitias poſſideret, præſentia omnia dereliquit. O Beatum virum Leudegarium Antiſtitem! qui per nefandorum conſilia [1] corpus nexibus abſolutum, [2] ora labiis minuatum, oculiſque orbatum, exilium perpetratum, lubricitatis ſæculi poſtpoſitum, diverſis tormentis paſſum, exemplum reliquit Epiſcoporum per ſuam paſſionem vel patientiam: & ad extremum vitæ perpetuæ reſtitutus, cæleſtia regna penetravit; Angelorum choro ſociatur; coronam immarciſcibilibus floribus remuneratur: unde poſt multæ reliquiæ floruerunt in Galleis. Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos tuos omnemque plebem reminiſcentes talem Paſtorem, ejus meritis ſuffragantibus, veniam mereamur obtinere peccaminum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui omnes Angeli.

Poſt Sanctus.

Oſanna excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domini. O vere beata vox, quam Angelorum & Archangelorum concinunt Virtutes! quæ nos hodie in paſſione Beati Martyris tui Leudegarii vox una prorumpit in laude. Vt tu Deus Pater omnium, qui nobis veniam tribuas de peccatis, quæſumus, da oblivione præteritorum facinorum; qui dediſti Martyribus poſt [3] triumpho corona. Per Dominum noſtrum. Q. prid.

Poſt Secreta.

Hæc facimus, Domine, Paſſionem tuam [4] commorans. Hæc facimus, Pater Jeſu Chriſte: qui nobis de lege veteri novam tradidiſti. Concede nobis, intercedente Beato Antiſtite tuo Leudegario Martyre, cujus hodie annuæ commemoratione celebramus: ut deſcendat hic benedictio tua ſuper hunc panem & calicem in [5] transformatione Spiritus tui Sancti; uti hæc benedicendo benedicas, ſanctificando ſanctifices: ut quicunque ex utraque benedictione ſumpſerimus, æternitatis præmium, & vitam conſequi mereamur æternam. Per.

MISSA VNIVS *Martyris.*

Sancti Martyris tui *Ill.* quæſumus Domine, nos oratio ſancta conciliet: quæ ſacris virtutibus veneranda refulget. Per.

Collectio ſequitur.

Beatus *Ill.* Martyr, quæſumus Domine, pia nos interceſſione commendet: & tibi placito fulti ſuffragio, quam non meremur, indulgentiam conſequamur. Per Dominum noſtrum.

Collectio poſt nomina.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris: & interceſſione Beatiſſimi Martyris

(1) Sic accuſandi caſus ponebant pro ſexto caſu abſoluto. *Mabill.*

(2) *Idem Mabill.* os loco ora.

(3) *Potius* triumphum.

(4) *Mabill. interpretatur* commemorantes.

(5) In transformatione. *Vide quæ diximus ſupra ad not.* (2) *pag.* 245, *&* 246. *Sicut & alibi.*

tyris tui *Ill.* perpetuam nobis miſericordiam benignus inpende, & munera ſuperimpoſita dignanter adſume; ut defunctis ad refrigerium, viventibus proficiat ad ſalutem. Per.

Coll. ad Pacem.

Deus pacis conditor, Deus caritatis indultor, da nobis placidus pacem tuam: & præſta ut dum ſancti Martyris tui *Ill.* paſſionem celebramus, per ejus interceſſionem pacis ſecuritatem cum peccatorum [1] veniam conſequi mereamur. Per.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt. Vere dignum & juſtum eſt, nos tibi agere gratias, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Tibi enim feſta ſolemnitas agitur, tibi dies ſacrata celebratur: quam Beatiſſimi Martyris tui *Ill.* ſanguis in veritatis tuæ teſtificatione profuſus, magnifico nominis tui honore ſignavit. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem.

ITEM MISSA
unius Martyris.

SAncti Martyris tui Domine nos, quæſumus, interventio glorioſa commendet: ut quod noſtris actibus non vale...., ejus precibus conſequamur. Per.

Collectio ſequitur.

Tuus ſanctus Martyr *Ill.* nos, quæſumus Domine, ubique lætificet: ut ejus dum merita in præſenti feſtivitate recolimus, patrocinia in augmentum virtutum ſentiamus. Per.

Collectio poſt nomina.

Interveniat pro nobis, Domine petimus, Sanctus tuus Martyr *Ill.* qui ſanguinem ſuum pro tuo nomine glorioſum fudit: & ipſo interveniente, nomina quæ recitata ſunt noſtrorum carorum in cæleſti pagina jubeas intimare. Per.

Collectio ad Pacem.

Sancti Martyris tui, Domine, *Ill.* nos, quæſumus, precatio ſancta tueatur: & quod noſtra conſcientia non præſumit, ejus nobis, qui tibi placuit, oratione donetur: & præſentia munera ita ſerena pietate intuere, ut Sancti Spiritus perfundantur benedictione: & in noſtris cordibus eam dilectionem validam infundant, per quam Sanctus Martyr *Ill.* omnia corporis tormenta devicit. Per.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt. Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens & miſericors Deus, te ſemper in laude Martyrum honorare, & in præſenti feſtivitate ſancti Martyris tui te [2] confitenti gratias agere. Cui dediſti cæleſtis palmam triumphi; nobis quoque, eo ſuffragante, emundationem ac veniam concede [3] peccatis: ut in te etiam exultemus in miſericordia, in quo ille lætatur in gloria. Per.

ITEM

---

(1) *Lege* venia. (2) *Mabill.* confitentis. (3) *Lege* peccati, *vel* peccantibus *aut* peccatoribus.

ITEM MISSA unius Martyris.

DA, quæſumus, Domine, ut ſancti Martyris tui *Ill.* annua ſolemnitate lætemur; [1] ut tantæ fidei proficiamus exemplo. Per.

Collectio ſequitur.

Exaudi Domine preces noſtras, quæſumus: & interveniente ſancto Martyre tuo *Ill.* eas ante conſpectum majeſtatis tuæ placatus admitte. Per.

Collectio [2] *ſequitur.*

Impetret, Domine quæſumus, fidelibus tuis auxilium oratio juſta ſancti Martyris *Ill.* ut in cujus ſumus celebritate devoti, ſimus ejus ſorte participes: proficiant hæc quæ offerimus, pro incolumitate viventium, & pro requie defunctorum. Per.

Collectio ad Pacem.

Suſcipe, Domine, propitius orationem noſtram cum oblationibus hoſtiarum ſuperimpoſitis; & Martyris tui *Ill.* deprecatione pietati tuæ perfice benignus acceptas: & illa quæ in eo flagravit fortis dilectio, in nobis adſpira benignus. Per.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens æterne Deus, te in omnium Martyrum triumphis laudare: quoniam tuis donis atque muneribus Beati Martyris tui *Ill.* paſſionem hodierna ſolemnitate veneramur. Qui pro confeſſione Jeſu Chriſti Filii tui diverſa ſupplicia ſuſtinuit; & ea devincens, meruit coronam perpetuitatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui merito om̄.

MISSA DE PLVRIS Martyris.

DEus, qui ſanctam nobis hujus diei ſolemnitatem pro commemoratione Beatiſſimorum Martyrum tuorum *Ill.* & *Ill.* paſſione feciſti; adeſto familiæ tuæ precibus: & da, ut quorum hodie feſta celebramus, eorum meritis & interceſſionibus adjuvemur. Per Dominum.

Collectio ſequitur.

Annue nobis, quæſumus, Domine Sanctorum Martyrum tuorum *Ill.* & *Ill.* ut opem nobis tuæ deprecationis impendant: & iram tuam, quam noſtris pravitatibus meremur, eis intervenientibus evadamus. Per.

Poſt nomina.

Munera quæ deferimus, Domine benignus adſume: & quia de noſtris impediuntur offenſis, Sanctorum tuorum Martyrum *Ill.* precibus adjuvemur.

Collectio ad Pacem.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris: & his populi tui oblationibus, inter-

(1) *Mabill.* & tantæ fidei.

(2) *Loco verbi ſequitur ſcribendum illic erat* poſt nomina.

intercedentes Martyres tuos *Ill.* & *Ill.* [1] præſentiam tuæ virtutis inluſtra: & celebrantibus tuorum memoriam, eam dilectionem infunde, per quam illi cuncta inlata corporis tormenta devicerunt. Per eum.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt, omnipotens ſempiterne Deus, te victorem mortis, & triumphatorem Martyrum conlaudare & in feſtivitate præſenti; in qua Martyrum tuorum *Ill.* & *Ill.* memoriam frequentamus: quorum nos delectat & certaminis [2] recordare conſtantiam, & victoriæ contemplari præmia. Et ideo te petimus, ut Beatis iſtis Martyribus *Ill.* & *Ill.* fieri nos imitatores concedas: ut vel ultimos in remuneratione eorum participando conſtituas; qui illis pro certaminis conſtantia beatitudinem tribuiſti ſempiternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui merito omnes.

ITEM MISSA
Martyrum.

Adeſto Domine precibus noſtris, quas in Sanctorum tuorum Marrum *Ill.* & *Ill.* commemoratione deferimus: ut qui noſtræ juſtitiæ fiduciam non habemus, eorum qui tibi placuerunt, meritis adjuvemur. Per Dominum noſtrum Filium tuum.

Coll. ſequitur.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & exemplo Sanctorum Martyrum tuorum *Ill.* & *Ill.* flammam in nobis tuæ caritatis accende: ut quorum nos feceris imitatores, jubeas eſſe conſortes. Per.

Coll. poſt nomina.

Sanctorum Martyrum tuorum *Ill.* & *Ill.* quæſumus Domine, precibus adjuvemur: ut quod noſtra poſſibilitas non obtinet, eorum qui ante te juſti inventi ſunt, nobis oratione donetur: & quorum nomina ante Altare ſanctum ſunt recitata, eos quies æterna ſuſcipiat. Per Dominum noſtrum.

Collectio ad Pacem.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in Sanctorum cordibus flammam tuæ dilectionis accendis: da mentibus eamdem fidem, caritatiſque virtutem: ut quorum gaudemus triumphis, proficiamur exemplis. Per.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt nos tibi gratias agere, omnipotens æterne Deus, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui glorificaris in concilio Sanctorum tuorum Martyrum, magnus & terribilis ſuper omnes qui in circuitu tuo ſunt. Tibi enim ſerviunt omnes creaturæ tuæ; quia te ſolum Auctorem & Dominum recognoſcunt: & in omni factura eorum te conlaudant & benedicunt omnes Sancti tui. Qui magnum illud Vnigeniti tui nomen (quod eſt ſuper omne nomen) coram Regibus & Poteſtatibus ſæculi hujus voce libera confitentes, de perſecutoribus tuis & diabolo triumpharunt, & pretioſum tibi ſanguinem glorioſa morte fuderunt.

(1) *Mabill. ait* præſentia. (2) *Mabill.* recordari.

runt. Vnde benedicimus te, Domine, in operibus tuis: teque in Sanctorum tuorum Martyrum *Il.* & *Il.* commemoratione laudamus cum Angelis, & Archangelis, Thronis, & Dominationibus, Cherubin quoque, & Seraphin: qui gloriam tuam non ceſſant clamare dicentes. *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*.

ITEM MISSA Martyrum.

DEus, qui nos Sanctorum Martyrum tuorum temporali tribues commemoratione gaudere; præſta quæſumus, ut in ea numeremur ſorte ſalvati, in qua illi ſunt confeſſione tui nominis glorioſi. Per.

Collectio ſequitur.

Deus, in cujus conſpectu mors eſt pretioſa Sanctorum, tribue, ut nobis fidelibus vita conferat, quicquid illis mors devota conceſſit.

Collectio poſt nomina.

Exaudi Domine offerentium preces, vota ſuſcipe, peccata dimitte. Tribue quoque tuorum interceſſione Sanctorum Martyrum, caris noſtris qui in Chriſto dormiunt refrigerium in regione vivorum. Per Dominum noſtrum.

Collectio ad Pacem.

Omnipotens ſempiterne Deus tribue nobis famulis tuis: ut ſicut Martyres tui ad bradium ſupernæ vocationis tetenderunt; ita nos, ſuperato hoſte, victoriam conſequamur: & pacem quam in labiis oris exequimur, immaculatis cordibus teneamus. Per Dominum.

Immolatio Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt, omnipotens ſempiterne Deus. Quoniam a te conſtantiam fides, a te virtutem ſumit infirmitas: & quicquid in perſecutionibus ſævum, quicquid in morte terribile eſt, nominis tui facis confeſſione ſuperare. Vnde benedicimus te Domine in operibus tuis: Teque in Sanctorum Martyrum tuorum *Il.* & *Il.* glorificatione laudamus, obſecrantes, ut intervenire pro ſe excolentibus jubeas, quos perpetua remuneratione exaltas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem.

MISSA VNIVS Confeſſoris.

DEus fidelium remunerator animarum, præſta: ut celebritate præſenti Sancti Confeſſoris tui & Epiſcopi *Il.* ſit nobis veneranda ſolemnitas, & placitorum tibi precibus indulgentiam conſequamur. Per Dominum noſtrum.

Collectio ſequitur.

Exaudi Domine preces noſtras, quas in Sancti Confeſſoris tui *Il.* [1] commoratione deferimus: ut in conſpectu tuo & qui tibi digne meruit famulari, clarus ſemper exiſtat, & ſupplicatio nos adjuvet tibi grata juſtorum. Per.

Coll.

(1) *Mabill.* commemoratione.

Coll. poſt nomina.

Lætificet nos, quæſumus Domine, Sancti Confeſſoris tui & Epiſcopi *Il.* annua devotione repetita ſolemnitas: ut per hæc pie oblationis officia, & illum retributio beata comitetur, & nobis ſacræ tribuatur ſufficientia ſervitutis. Per.

Collectio ad Pacem.

Per ſtudium caritatis non fictæ, & interceſſione Beatiſſimi Confeſſoris tui & Epiſcopi *Il.* tuere, quæſumus, Domine familiam tuam; & per dilectionis vinculum ſpiritalibus inſtrue diſciplinis. Per.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui glorificaris in confeſſione Sanctorum; & non ſolum excellentioribus præmiis Martyrum tuorum merita glorioſa proſequeris, ſed etiam ſacrum Miniſterium competentibus ſervitiis exequentes, gaudium Domini ſui tribues benignus intrare: ut qui in modico, hoc eſt in parvo vitæ præſentis excurſu, fidelis apparuit, ſupra multa bona utique in ſempiternum manſura beatitudine diſponatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum,

MISSA DE PLURES Confeſſ.

Protege nos, quæſumus Domine, tuorum deprecatione juſtorum: ut quorum circumdamur ſuffragio, foveamur auxilio. Per.

Coll.

Adſit nobis Domine, quæſumus, precatio ſancta Juſtorum: quæ nos a terrenis [1] effectibus inceſſabiliter expeditos, cæleſtia deſiderare perficiat. Per.

Poſt nomina.

Sacrificium tibi, Domine, laudis offerimus in venerabilium commemoratione Sanctorum tuorum. Da quæſumus Domine, ut quod illis contulit ad gloriam, nobis proficiat ad ſalutem. Per.

Ad Pacem.

Oblationes familiæ tuæ, Domine quæſumus, Beatiſſimorum Sanctorum tuorum confeſſio beata conciliet: & quæ noſtris minus apta ſunt meritis, fiant tibi placitæ tuorum deprecatione juſtorum. Per.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt. Vere dignum & juſtum eſt, Qui non ſolum Martyrum, ſed etiam Confeſſorum tuorum es virtute mirabilis: licet enim illi paſſione ſint clari, qui manifeſte acerva ſupplicia ſuſtinuerunt [2] tormenta etiam:

(1) *Juxta Mabill. legendum eſt* affectibus.
(2) *Mabill. non* tormenta etiam: iſti, *ſed* & tormenta; etiam iſti.

iam: iſti tamen occulte propoſito caſtigationis afflicti, cruciati, [1] ſpiritali obſervantiæ diſciplinis, illorum ſunt veſtigia ſubſecuti. Per Chriſtum Dominum. [2]

MISSA SANCTI MARTINI Epiſcopi.

SVmmi Sacerdotis tui Patris noſtri Martini Epiſcopi hodie depoſitionem celebrantibus tribue nobis Domine: ut ſicut commemorationem ejus devotiſſime colimus; ita & opus fideliter imitemur. Per.

Collectio.

Deus, qui ſanctam nobis diei hujus ſolemnitatem prædicandi, ac venerabilis Sacerdotis tui depoſitione Martini Epiſcopi præſtare dignatus es, tribue, quæſumus: ut quod noſtris obtinere precibus non poſſumus, ipſius mereamur obtinere ſuffragiis. Per.

Poſt nomina.

Auditis nominibus offerentum, Fratres Kariſſimi, omnipotentis Dei [3] ininnarrabilem miſericordiam ſupplices poſtulemus: ut nomina noſtra, qui in hunc celeberrimum diem in honorem Sancti Antiſtitis ſui Martini offerimus, benedicere & ſanctificare, ipſo ſuffragante, dignetur: & quod illi hodie conlatum eſt ad gloriam, nobis quoque proficiat ad ſalutem. Per.

Ad Pacem.

Inclina Domine aurem tuam ad preces familiæ tuæ, & da pacem, quam permanere jugiter præcepiſti: illud etiam ſpecialiter præſtare digneris: ut parem caritatem teneamus; quam Pontifex tuus Martinus in hoc ſæculo, te opitulante, meruit obtinere. Per.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt, nos te Domine Deus noſter in laudibus Sancti Martini honorare. Qui Sancti Spiritus tui dono ſuccenſus, ita in ipſo tyrocinio fidei perfectus, ut Chriſtum texiſſet in paupere: & veſtem, quam egenus acceperat, mundi Dominus induiſſet. O felix largitas, qua divinitas operitur! O clamidis glorioſa diviſio, quæ militem texit & Regem! Inæſtimabile donum eſt, quod veſtire Deum meruit Deitatis. Digne huic confeſſionis tuæ præmium commiſiſti. Digne Arrianorum non ſubjacuit ſeritati. Digne tanto amore Martinus perſecutoris tormenta non timuit, ſecurus quia tanta erat gloriatio paſſionis; ut per quantitate veſtis exiguæ & veſtire Deum meruit & videre. O animi imitanda benignitas! O virtutum veneranda potentia! Sic egit ſuſcepti Pontificatus officium, ut per formam probabilis vitæ, obſervantiam exegerit diſciplinæ. Sic Apoſtolica virtute ſperantibus contulit medicinam, ut alios ſupplicationibus, alios viſu ſalvaret. Hæc tua, Domine, veneranda potentia: cui cum lingua non ſupplet meri-

(1) *Idem Mabill.* ſpiritalis.
(2) Mirum eſt nullum hic eſſe Commune Virginum, nec item in Legendario Gallicano. *Mabill.*
(3) *Ita Mſ. Cod.*

meritis exorare, operibus Sancti Martini, te opitulante, mereamur imitari. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

MISSA DOMINICALIS [1]

Deus, qui nobis omnipotentiam tuam parcendo maxime & miſerando manifeſtas; multiplica ſuper nos gratiam tuam: ut ad tua promiſſa currentes, cæleſtium bonorum facias eſſe conſortes. Per.

Collectio.

Omnipotens ſempiterne Deus, cui poteſtas eſt ſine fine miſerendi; reſpice propitius ad humilitatis noſtræ ſupplicem ſervitutem: ut tibi ſubdita mente perpetuum defenſionis tuæ ſervet auxilium. Per.

Poſt nomina.

Iſtis & omnibus in Chriſto quieſcentibus Domine locum refrigerii lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur: ac ſi qui peccatorum meritis [2] Inferni tenebris ac ſuppliciis detinentur, miſericordiæ tuæ, oramus, indulge clementia, eoſque ad requiem tranſire præcipias; [a] & prima anaſtaſi cum Sanctis & Electis tuis jubeas ſociari: ut portio tua ſint in terra viventium. Per.

Ad Pacem.

Deus, [b] cujus ſummum ſacrificium eſt concordans anima; cui holocauſtum pinguiſſimum eſt placata & pura conſcientia; concede nobis, quæſumus: ut conjunctio labiorum copula efficiatur animarum, & miniſterium oſculi perpetuæ proficiat caritati. Per.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt, nos tibi gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Tibi debitas laudes pio honore deferre; & mirabilium tuorum inenarrabilia præconia devotæ mentis veneratione celebrare. Te igitur ineffabilem rerum omnium conditorem laudamus, benedicimus, adoramus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Poſt Sanctus.

Vere Sanctus, vere benedictus Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus. Qui venit de cælis, ut converſaretur in terris: homo factus, ut habitaret in nobis: Hoſtia effectus, ut nos faceret Sacerdotes. Ipſe enim qui prid.

Poſt Secreta.

Oſtende omnipotens Deus gratiam: agno-

a. Et primà. *leg.* Et in prima.

b. cujus. *leg.* cui.

---

(1) Hæc & ſequentes quinque Miſſæ Dominicales aſſignatæ ſunt pro Dominicis poſt Pentecoſten, non de Adventu, de quo Miſſæ duæ initio Miſſalis præmiſſæ erant, ſed avulſæ. *Mabill.*

(2) In ſuperioribus Miſſis XII, XVI, & XX, & in ſequenti XXXI fit mentio *de tartaro.* Similes loquendi modi in Miſſis noſtris pro defunctis. *Mabill.*

Miſſæ heic a Mabillonio numericis notis denotantur, quod ſingulis in præſenti Miſſali ordine numeros præmiſerit. Nobis autem illarum prima, quæ eſt in Aſſumptione ſanctæ Mariæ, *occurrit ſuperiori pag.* 234. *ſecunda eſt de* S. Saturnino *ad pag.* 261: *tertia* in Cathedra S. Petri *pag.*267. *poſtrema demum inter iſtas, quæ* Dominicales *dicuntur, ultimum tenet locum infra ad pag.*337.

agnoſce doctrinam. Tu es myſterium pro ſalute, tu pretium; doce perſeverantiam cum docueris diſciplinam: ut in hac oblatione nos liberes, qui pro occidentibus & moreris. Per.

Ante Orationem Dominicam.

Non ſufficimus tibi gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pro tantis miſericordiæ tuæ donis, quibus nos vivificas, ſanctificas, æternitates præparas: & inſtitutis Unigeniti tui Jeſu Chriſti Domini ac Salvatoris noſtri [1] indulgentiæ pietatis tuæ cum immerita poſcendi orare concedes. Cujus præcepta recolentes, dicemus. *Pater.*

Poſt Orationem Dominicam.

Libera [2] nos ab omni malo omnipotens Deus: & quia tibi ſoli eſt præſtandi poteſtas, tribue, ut ſolemne hoc Sacrificium ſanctificet corda noſtra, dum creditur; deleat peccata dum ſumitur. Per.

Poſt Commun.

Cibati Pane vitæ, & ſalutari Poculo propinati, Fratres Kariſſimi, agamus gratias omnipotenti Deo Patri, obſecrantes miſericordiam ejus: uti hoc ſanctum benedictionis ſuæ donum, quod in nominis ſui honore percepimus, inlæſum atque inviolatum in nobis ſemper ſervare dignetur. Per.

Conſummatio.

Refecti Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, in æternum reſtituti hilares Domini miſericordiæ deprecemur. Per.

ITEM MISSA Dominicalis.

OMnipotens Deus dirige nos in viam juſtitiæ: ut hæc geramus, & illa cogitemus, qui tibi in diem Judicii excuſare poſſimus. Per.

Collectio.

Inmenſam tremendamque pietatis tuæ clementiam, omnipotens Deus, ſupplices exoramus: ut auxilio tuo univerſa a nobis terrenorum vitiorum, ſæculariumque diſcriminum tentamenta diſcedant: atque in Eccleſia tua Catholica religionis ſemper maneat inlibata devotio. Per.

Poſt nomina.

Auditis nominibus recenſitis, dilectiſſimi Fratres, Deum pietatis & miſericordiæ deprecemur: ut hæc quæ oblata ſunt benignus adſumat: nullum unquam ex his, pro quibus holocauſta franguntur, muneris ſui exterum eſſe patiatur, tam viventium quam defunctorum, vel ad merita vel ad peccata reſpiciens, alios jubeat ad gratiam, alios ad veniam pertinere. Per.

Ad Pacem.

Inlabere in animas noſtras omnipotens æterne Deus, & templa, quæ Lapis ille angularis ſtruxit, ingredere:

(1) *Mabill.* Indulgentiam.

(2) Eadem Oratio in Miſſa v Miſſalis Gallicani infra. *Mabill.*

Digitized by Google

[1] & Majeſtati Hoſtias præparatas per ipſum tibi poſſimus offerre ; qui Sanctam conſtituit, & pacem nobis propitiatus indulſit. Per.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt, majeſtati tuæ Sancte Pater omnipotens æterne Deus, laudes pio honore deferre, & mirabilium tuorum inenarrabilia præconia devotæ mentis veneratione celebrare. Te namque incomprehenſibilem atque ineffabilem Dominum, & creatorem omnium ſemper tremendum, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Deum ac Dominum Salvatoremque noſtrum ſentimus, credimus, ſequimur, & oramus. Tibique purum hoc Sacrificium offerimus gloriæ tuæ cum Angelis, & Archangelis, & innumera multitudine nunciorum noſtris laudibus proſequentes: qui in conſpectu majeſtatis tuæ ſine ceſſatione proclamant, dicentes.

Poſt Sanctus.

Vere Sanctus, vere in excelſis Dominus Deus noſter Filius tuus Rex Iſrahel. Qui pridie.

Poſt Secreta.

Per hunc te, Deus Pater, omnipotens deprecamur: ut ſicut ſacri myſterii obeditionem retinemus: ita ad tutelam noſtram cæleſtis virtus operetur. Per.

Ante Orationem Dominicam.

Concede Domine famulis tuis: ut orantes cum fiducia dicamus, ſicut ipſe jubere dignatus es dicere. *Pater.*

Poſt Orat. Domin.

Libera nos a malo omnipotens Deus, & cuſtodi in bono. Qui vivis & regnas.

Poſt Communionem.

Accepto cæleſti Corporis Sacramento, & ſalutis æternæ Calice recreati, Deo Patri omnipotenti gratias agamus, laudeſque dicamus. Per.

Conſummatio Miſſæ.

Deus, gratias tibi agimus, per quem myſteria ſancta celebramus: a te ſanctitatis & miſericordiæ dona depoſcimus. Per Dominum.

ITEM MISSA Dominicalis.

SEmpiternam Dei majeſtatem, Fratres Kariſſimi, deprecemur: ut ſanctam per totius orbis ſpatia tueatur Eccleſiam ; converſationem Sacerdotibus concedat honeſtam ; vitam populis tribuat ſempiternam ; Virginibus, Viduis, Orphanis, ac Pœnitentibus, vel in quibuſcunque neceſſitatibus conſtitutis, oportuna præſidia tribuat ; & ſibi placita vota concedat: in peregrinationibus præmia, in doloribus

(1) *Vocułam & in alteram ut eo loci Mabillonius mutavit.*

bus medicamenta, in laboribus præſtet auxilium.

Collectio.

Deus, qui dives es ad ignoſcendum; & propterea voluiſti carnis humilitatem adſumere, ut nobis humilitatis exempla relinqueres, & in quibuſcunque paſſionibus nos faceres eſſe conſtantes: præſta, ut ſemper bona, quæ a te percipimus, teneamus; & quotiens in peccatis labimur, per pœnitentiam relevemur. Per.

Poſt nomina.

Recenſitis offerentum nominibus, divinam miſericordiam exoremus: ut offerentes ſibi placitos eſſe faciat; & quæ offerunt [a] in odorem incenſi bene flagrantis adſumat; defunctis pro quibus hæc offeruntur, æternam beatitudinem, viventibus gratiam ſuæ pietatis concedat: & quia gratis non merentibus quæ ſunt oportuna præſtare non deſinit; & illis pro quibus oblatio non offertur, remuneratio beatitudinis non negetur. Per.

Ad Pacem.

Deus Pater omnipotens, tuæ pietatis, ac ſi indigni, miſericordiam deprecamur: ut univerſos pacificos eſſe facias (quos in ſancta Eccleſia ut te deprecentur, invitas) concordia in ſe alimenta nutriant; & jurgiorum incrementa ſuccidant: vel qui ſe affectant oſculis, [1] purum ſemper corde complectant: atque etiam illi ſtudeant eſſe pacifici, qui ſe non videntur labiis oſculari, Per.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt. Vere æquum & juſtum eſt, ineffabilis, incomprehenſibilis, ſempiterne Deus, nos tibi ſemper gratias agere, quos immenſa non deſinis miſeratione fovere. Nam quis tuam poſſit digne laudare potentiam, cujus nec divinitas mortali aſpectu cernitur, nec inmenſitas ſermonibus explicatur? Sufficit ergo quod te Patrem diligimus, Dominum veneramur, Creatorem ſuſcipimus, amplectimur Redemtorem. Præſta clementiſſime Dominator: ut anguſti callis, quam præcipis ſemitam poſſimus aſcendere; per quam ad æternam valeamus beatitudinem pervenire: nec ullis impediti obſtaculis teneamur; ſed ſit nobis curſus ipſius itineris æternitas ſalutaris. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Poſt Sanctus.

Vere Sanctus, vere benedictus in excelſis Dominus Deus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus, Rex Iſrahel. Qui ſicut ovis ad [2] occaſionem ductus, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Ipſe enim qui prid.

Poſt Myſterium.

Magnum hoc munus miſericordiæ eſt:

a. in odorem. *leg.* in odorem in odorem.

(1) *Mabill.* puro. (2) *Mabill.* occiſionem.

eſt : qui nobis docuit Redemptionis noſtræ Sacrificia celebrare, [1] ſicut obtulit Dominus noſter Jeſus Chriſtus in terris. Per quem te, Pater omnipotens, deprecamur : ut ſuprapoſita altario tuo munera lætus aſpicias : atque hæc omnia [2] obumbres Sancti Filii tui Spiritus : ut quod ex hac tua benedictione acceperimus, æternitatis gloria conſequamur. Per.

Ante Orat. Dom.

Memores præceptorum tuorum, Domine, oramus & dicimus.

Poſt Orat. Dominicam.

Libera nos a malis Auctor bonorum omnium, Deus : libera nos ab omni tentatione, ab omni ſcandalo, ab omni hæreſi, ab omni opere tenebrarum ; & conſtitue nos in omni opere bono : & da pacem in diebus noſtris auctor pacis, & veritas, Deus, Per.

Poſt Commun.

Spiritalibus paſti epulis, oremus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: ut mortificatis deſideriis carnis, in omnibus ſit noſtra converſatio ſpiritalis. Per.

Conſummatio Miſſæ.

Cuſtodi intra nos Domine gloriæ tuæ munus : ut contra omnia præſentis ſæculi macula Euchariſtiæ viribus, quam percipimus, muniamur. Quod ipſe præſt.

ITEM MISSA
Dominicalis.

AD aures clementiæ tuæ, Deus, vox noſtræ ſupplicationis aſcendat: & tua nos miſericordia conſequatur. Per.

Collectio.

Accepta tibi ſit, Domine, noſtræ ſervitutis oblatio : quæ nos & a reatibus noſtris abſolvat ; & ab immiuentibus malis eripiat. Per.

Poſt nomina.

Offerunt tibi, Domine virtutum, munera & vota credentes. Suſcipe nomine tuo debita honoris obſequia pro pace Eccleſiæ tuæ, pro commemoratione omnium Sanctorum, pro Sacerdotum & Miniſtrorum puritate, pro Regum pacabilitate, pro ſufficientia rerum, & temporum tranquillitate, pro perſeverantia Virginum, & continentia Viduarum, pro Orphanorum tuitione, & Pœnitentium ſublevatione, pro ſalute omnium viventium, & pro requie defunctorum. Per.

Ad Pacem.

A Cunctis iniquitatibus noſtris exue nos omnipotens Deus : & in tua nos fac pace gaudere. Per.

Conte-

(1) Sicut obtulit &c. *Locus notatione dignus ad demonſtrandum ſacrificii Corporis & Sanguinis Chriſti inſtitutionem ab ipſo Chriſto Domino factam in ultima Cœna. Quod & apertiori loquendi ratione dicitur infra in* Conteſtatione *Miſſæ ſequentis.*

(2) Legendum *obumbret*, vel *Spiritus*: infra. *Mabill.*

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt, inviſibilis, inæſtimabilis, immenſe Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui formam Sacrificii perennis inſtituens, [1] Hoſtiam ſe tibi primum obtulit, & primus docuit offerri. Te enim, omnipotens Deus, omnes Angeli.

Poſt Sanctus.

Sanctus in Sanctis, benedictus in terris Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Qui pridie.

Poſt Secreta.

Credimus, Domine, credimus in [2] hac confractione Corporis, & effuſione tui Sanguinis nos eſſe redemptos: confidimus etiam quod ſpe hic interim jam tenemus, in æternum perfrui mereamur. Per.

Ante Orat. Dominicam.

Divino magiſterio docti, & ſalutaribus monitis inſtituti, audemus dicere. *Pater.*

Poſt Orat. Domin.

Libera nos omnipotens Deus a malis, & conſtitue nos in bonis: evacua nos a vitiis, & reple virtutibus tuis. Per.

Poſt Commun.

Corpus [3] tuum, Domine, quod [4] accipimus, & calicem tuum quem potavimus, hæreat in viſceribus noſtris; præſta Deus omnipotens: ut non remaneat macula, ubi pura & ſancta intraverunt Sacramenta. Per.

Conſumm. Miſſæ.

Exaudi preces familiæ tuæ omnipotens Deus, & præſta: ut ſancta hæc, quæ te donante, ſumpſimus, incorrupta in nobis, te donante, ſervemus. Per.

ITEM MISSA Dominicalis.

Deus, qui nos regendo conſervas, parcendo juſtificas: & a temporali tribulatione nos eripe, & gaudia nobis æterna largire. Per.

Coll.

Deus in te ſperantium miſericors eruditor, ab omni nos conſortio pravitatis abſolve, nec ullis nos iniquitatum vinculis patiaris adſtringi: ut unde

---

(1) Notanda hæc verba de Sacrificii oblatione per Chriſtum in Inſtitutione Euchariſtiæ, ut in Concilio Tridentino. *Mabill.*

Tridentini indicatus locus reperitur in Seſſ. XXII, *cap.* 1, *atque ita ſe habet*: Dominus noſter .... Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit: ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit; & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus ut offerrent præcepit per hæc verba &c.

(2) *Vide conſimilem locum in Miſſa Natalis Domini ſuperiori pag.* 236.

(3) Hanc fere orationem recitant Sacerdotes ad ablutionem; & quæ ſequitur item exſtat in Miſſali Romano. *Mabill.*

(4) *Legendum crediderim* accepimus.

de nobis eſt tota pietas, inde ſit tuta libertas. Per Dominum.

Poſt nomina.

Exaudi Domine offerentum preces, vota ſuſcipe, peccata dimitte. Tribue tuorum interceſſione Sanctorum caris quoque noſtris, qui in Chriſto dormierunt, refrigerium in regione vivorum. a Per Dominum.

Ad Pacem.

Omnipotens ſempiterne Deus largitor pacis, & generis humani formator: da ſervis tuis veram voluntate concordiæ, & [1] indulgentiæ tuæ pietatis infunde. Per.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt, æquum & juſtum eſt, nos tibi hic & ubique ſemper gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui nobis pietate Pater es; cum Dominus poteſtate permaneas: quoniam quos origo fecerat ſervos, adoptare dignatus es in filios: & quos generatio terrena demerſerat in mortem, regeneratio cæleſtis erexit ad vitam. Te enim, omnipotens Deus, omnes Angeli.

Poſt Sanctus.

Vere Sanctus, vere in excelſis benedictus Dominus Deus noſter. Per quem te ſupplices deprecamur: uti hanc oblationem, quam tibi offerimus pro Eccleſiæ tuæ Catholicæ fide, ſtabilitate, concordia, pro emundatione vitiorum, & remiſſione peccatorum, pro gloria Martyrum, & requie defunctorum, propitiatus aſpicias, aſpiciendo ſanctifices, ſanctificando benedicas per Sanctum & Benedictum Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum. Qui pridie.

Poſt Secreta.

Memores glorioſiſſimi Domini Paſſionis & ab inferis Reſurrectionis, offerimus tibi, Domine, hanc immaculatam Hoſtiam, rationalem hoſtiam, incruentam hoſtiam, hunc panem ſanctum, & calicem ſalutarem, obſecrantes: ut infundere digneris Spiritum tuum Sanctum, edentibus nobis vitam æternam, regnumque perpetuum conlatura potantibus. Per.

Ante Orat. Domin.

Non noſtro merito, omnipotens Deus, ſed Jeſu Chriſti Filii tui obedientes præcepto, audemus dicere. *Pater.*

Poſt Orat. Domin.

Libera nos a malis præſentibus & futuris omnipotens Deus: libera nos a periculis, ab infirmitatibus, ab ſcandalis; & præpara nos ab omne bonum per bonum & benedictum Dominum noſtrum.

Poſt Communione.

Divinam miſericordiam concordi oratione poſcamus: ut hæc ſalutifera Sacra-

a. Per Dominum, *leg.* Per.

(1) *Mabill.* indulgentiam.

Sacramenta noſtris recepta viſceribus, purificent animam, corpuſque ſanctificent; atque ad ſpem cæleſtium viſcera pariter & corda confirment. Per.

Item Coll.

Deus juſtitiæ, Deus miſericordiæ, Deus immortalitatis & vitæ, Deus ſplendoris & gloriæ, quæſumus te & oramus: ut divinis muneribus recreati, in illam beatitudinem ſervemur a te tibi. Per.

ITEM MISSA *Dominicalis.*

MVltiplicibus innixi vinculis delictorum, Fratres Kariſſimi, ad ſingularem confugiamus abſolutionis divinæ remedium: & humiliati in ſacrificium Dominum deprecemur (quem cotidie pravis inamaricamus operibus) qualiter nos ſua protegente dextera ab omni contagione ereptos, regnorum cæleſtium hæredes efficiat. Per.

Collectio.

Inclina aurem tuam omnipotens Deus: & eſto nobis præſentis vitæ Rector, ut ſis Remunerator futuræ. Per.

Poſt nomina.

Offerentum nominibus recenſitis, Fratres Kariſſimi, Dominum deprecemur: ut eorum oblatione inter Sanctorum dona ſuſcipiat, quorum a nobis facienda commemoratio eſt; ut & noſtri memores eſſe dignentur. Petamus & pro his, qui nos in Dominica pace præceſſerunt: ut tartareo horrore ſegregatos, in ſinu Abrahæ conlocatos, reſuſcitare omnipotens dignetur in prima ſua reſurrectione, quam facturus eſt. Per.

Ad Pacem.

Deus, per cujus os prolatum eſt, quod pacem omnibus dares, & pacis ſtatuta relinqueres; infunde in noſtris ſenſibus pacis ſtudium & piæ voluntatis: ut vitiorum omnium labe purgati, pacem, quam labiis oris proſequimur, immaculatis cordibus teneamus. Per.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt, æquum & juſtum eſt, nos tibi hic & ubique ſemper gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui nos a morte perpetua atque ab ultimis inferni ſedibus liberaſti. Venerat quidem mors per mulierem, ſed venit vita per Virginem. Interitus per lignum, ſed in ligno ſalus. In Jeſu Chriſto facta eſt finis moriendi, qui perennitatem vitæ ſuæ corpori reſtituit. Cui omnes cælorum cum multiplici virtute militiæ hymnum debitum &[1] gloria tua ſine ceſſatione proclamant, dicentes.

Poſt Sanctus.

Oſanna in excelſis. Benedictus qui venit de cælis, ut converſaretur in terris caro factus, ut per Paſſionem ſuam vitam credentibus daret. Ipſe enim qui prid.

(1) *Mabill.* gloriam tuam.

Poſt Secreta.

[1] Explente ſacroſancta cærimoniorum ſolemnia, ritu Melchiſedech ſummi Sacerdotis oblata, precamur mente devota te, Majeſtas æterna: ut operante virtute [2] panem mutatum in [3] Carne, poculum verſum in Sanguine, illum ſumamus in calicem, qui de te fluxit in Cruce ex latere. Sal.

Ante Orat. Dominicam.

Agnoſce Domine verba quæ præcepiſti. Ignoſce præſumptioni quam imperaſti. Ignorantia eſt enim non noſſe meritum; contumacia non ſervare præceptum, quibus jubemur dicere.

Poſt Orat. Domin.

Libera nos a malo Domine Chriſte Jeſu. [4] Corpus tuum pro nobis crucifixum edimus, & Sanguinem ſanctum tuum pro nobis effuſum bibimus: fiat nobis Corpus ſanctum tuum ad ſalutem, & Sanguis ſanctus tuus in remiſſione peccatorum, hic & in æterna ſæcula ſæculorum.

Poſt Commun.

Agamus omnipotenti Deo gratias, quia refecit nos Pane cæleſti, & Poculo ſpiritali, ſperantes ab ejus benigna clementia: ut per effuſionem Spiritus Sancti ſui, in quibus cibi cæleſtis virtus introibit, ſinceritatis gratia perſeveret. Per.

Conſumm. Miſſ.

Tibi gratias agimus, per quem myſteria ſancta celebramus: a te quoque ſanctitatis & ſanitatis ..... tui gratia dona depoſcimus. Per Dominum.

MISSA COTIDIANA
[5] Romenſis.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, afflictorum gemitus reſpice; & mala quæ juſte inrogas, miſericorditer averte. Per.

Cætera deſunt.

(1) *Idem Mabill.* Explentes.

(2) *Obſerva qua fuerit ante annos ab hinc mille majoribus noſtris de Euchariſtia fides; quam aperte in hiſce liturgicis libris illam expreſſere.*

(3) Sextus caſus pro caſu accuſandi, ut paſſim in his aliiſque vetuſtis libris. *Mabill.*

(4) *Locus ſuperiori ſimilis, quo catholica de Euchariſtia fides inſinuatur.*

(5) Id eſt ex Ordine Romano ſeu Gregoriano. *Mabill.*

Exſtat eadem hæc Miſſa, Romenſis Cottidiana *dicta*, *& in Sacram. Cod. Bobienſis, licet ab eadem oratione ſive* Præfatione *non incipiat. Ex eo Codice liquet ad Gallicanum ritum accommodatam fuiſſe hanc Miſſam, quamvis Mabillonis opinione ex Ordine Romano deſumpta illa ſit. Sunt enim in ea Collectiones* poſt nomina, ad pacem, *& illa omnia, quæ veterem Gallicanam Miſſæ rationem conſtituunt.*

INDEX CAPITVLORVM

Hujus Miſſalis Gothici, ſive Gallicani veteris.

I. . . . .
II. . . . .
III. Miſſa Vigiliæ Natalis Domini. *Pag.* 231
IV. Ordo Miſſæ In die Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti. 234
V. Ordo Miſſæ in Natale Sancti Stephani Protomartyris. 238
VI. Miſſa in Natale Apoſtolorum Jacobi & Johannis. 240
VII. Miſſa in Natale Sanctorum Infantum. 242
VIII. Ordo Miſſæ in Circumciſione Domini Noſtri Jeſu Chriſti. 244
IX. Præfationes cum Collectionibus in Vigiliis Epiphaniæ. 247
X. Miſſa in Vigiliis Epiphaniæ. 250
XI. Miſſa in die ſancto Epiphaniæ. 251
XII. Miſſa in Adſumptione Sanctæ Mariæ Matris Domini noſtri. 254
XIII. Miſſa in Natale Agnes Virginis & Martyris. 257
XIV. Miſſa in Natale Sanctæ Ceciliæ Virginis. 258
XV. Miſſa in Natsle Sancti Clementis Epiſcopi. 259
XVI. Miſſa ſancti Saturnini Epiſcopi & Martyris. 261
XVII. Miſſa in Natale ſancti Andreæ Apoſtoli. 262
XVIII. Miſſa in Natale ſanctæ Eulaliæ Virginis. 264
XIX. Miſſa in Converſione Sancti Pauli. 266
XX. Miſſa in Cathedra Sancti Petri Apoſtoli. 267
XXI. Ordo Miſſæ in initio Quadrageſimæ. 269
XXII. Item Miſſa Jejunii. 272
XXIII. Item alia Miſſa Jejnnii. 273
XXIV. Item alia Miſſa Jejunii. 273
XXV. Item Miſſa Iejunii. 274
XXVI. Item Miſſa in Quadrageſima. 275
XXVII. Miſſa in Symbuli traditione. 276
XXVIII. Miſſa in Cœna Domini. 278
XXIX. Orationes in Biduana. 280
XXX. Præfatio & Coll. in Veſpera Paſchæ. 281
XXXI. Præfatio, & Oratio ad initium noctis S. Paſchæ. 281
XXXII Benedictio Ceræ Beati Auguſtini Epiſcopi, quam adhuc Diaconus cum eſſet, edidit & cecinit. 282
XXXIII. Orat. Paſchales duodecim cum totidem Collectionibus. 284
XXXIV. Ad Chriſtianum faciendum. 288
XXXV. Collectio ad Fontes benedicen. 288
XXXVI. Miſſa in Vigiliis S. Paſchæ. 290
XXXVII. Miſſa prima die S. Paſchæ. 292
XXXVIII. Miſſa Matutinalis per totum Paſcha pro Parvulis qui renati ſunt. Secunda Feria. 295
XXXIX. Item Miſſa Paſchalis. Tertia Feria. 295
XL. Quarta Feria. 296
XLI. Quinta Feria. 297
XLII. Sexta Feria. 297
XLIII. Miſſa die Sabbato Octava Paſchæ. 298
XLIV. Miſſa clauſum Paſchæ. 299
XLV. Miſſa in inventione ſanctæ Crucis. 301
XLVI. Miſſa ſancti Johannis Apoſtoli Evangeliſtæ. 302
XLVII. Miſſa prima die in Rogationibus. 303
XLVIII. Item Miſſa ſecunda die in Rogationibus. 304

Digitized by Google

XLIX. Miſſa tertia die in Rogationibus. 305
L. Collectiones in Rogationibus per diverſa loca Sanctorum. 306
LI. Miſſa in Aſcenſione Domini. 308
LII. Miſſa in die ſancto Pentecoſtes. 308
LIII. Miſſa Sanctorum Ferreoli & Ferruc7. 309
LIV. Miſſa in Nativitate Sancti Johannis Baptiſtæ. 311
LV. Miſſa Sanctornm Petri & Pauli. 312
LVI. Miſſa in Natale unius Apoſtoli & Martyris. 313
LVII. Miſſa in die Paſſionis Sancti Johannis Baptiſtæ & Martyris. 314
LVIII. Miſſa in Natale ſancti Sixti Papæ Vrbis Romæ. 315
LIX. Miſſa in Natale ſancti Laurentii Martyris. 316
LX. Miſſa ſancti Hyppoliti Martyris. 317
LXI. Miſſa in Natale Sanctorum Martyrum Cornelii & Cypriani. 317
LXII. Miſſa in Natale Sanctorum Germanorum Johannis & Pauli. 318
LXIII. Miſſa in Natale Beatiſſimi Simphoriani Martyris. 319
LXIV. Miſſa ſancti ac Beatiſſimi Mauritii cum Sociis ſuis. 320
LXV. Miſſa ſancti Leudegarii Martyris. 322
LXVI. Miſſa unius Martyris. 323
LXVII. Item Miſſa unius Martyris. 324
LXVIII. Item Miſſa unius Martyris. 325
LXIX. Miſſa de pluribus Martyribus. 325
LXX. Item Miſſa Martyrum. 326
LXXI. Item Miſſa Martyrum. 327
LXXII. Miſſa unius Confeſſoris. 327
LXXIII. Miſſa de pluribus Confeſſoribus. 328
LXXIV. Miſſa ſancti Martini Epiſcopi. 329
LXXV. Miſſa Dominicalis. 330
LXXVI. Item Miſſa Dominicalis. 331
LXXVII. Item Miſſa Dominicalis. 332
LXXVIII. Item Miſſa Dominicalis. 334
LXXIX. Item Miſſa Dominicalis. 335
LXXX. Item Miſſa Dominicalis. 337
LXXXI. Miſſa cotidiana Romenſis. 338

. . . .

MIS-

Digitized by Google

MISSALE FRANCORUM.

INCIPIT DE SACRIS ORDINIBUS.

[1] *Oſtiarius cum ordinatur, poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit qualiter in domo Dei debeat converſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat ei Epiſcopus claves Eccleſiæ de altari dicens:* Sic age quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ iſtis clavibus recluduntur.

ACOLITUS cum ordinatur, ab [2] Archidiacono quidem doceatur qualiter officio ſuo agere debeat: ſed ab ipſo Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo; ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari: accipiat & orciolum vacuum ad ſuggerendum vinum [3] Euchariſtia Corporis Chriſti.

Exorciſta cum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe & commenda: & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum ſive baptizatum, ſive catechumenum.

Diaconus cum ordinatur, [4] ſolus Epiſcopus qui ei benedicit, manum ſuper caput illius ponat. Per.

Presbyter cum ordinatur, Epiſcopus ei benedicat, manum ſuam ſuper caput ejus teneat: etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.

Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi manus eorum ſuper caput ejus ponant; & [5] teneant Euangeliorum codicem ſuper cervicem ejus: & uno ſuper eum infundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis ſuper caput ejus teneant.

BENEDICTIO USTEARII. [6]

DEum Patrem omnipotentem ſuppliciter deprecemur, ut hunc famulum ſuum benedicere dignetur, quem

---

(1) *Hac de ratione varios* Ordines *conferendi ex Concil. Carthaginienſi* IV *deſumta eſſe conſtat: quod & in Codice Gelaſiano factum fuiſſe ſuperiores pagina* 115 *&* 116 *demonſtrant.*

(2) *In Gelaſiano exemplari loco citato* ab Epiſcopo.

(3) *Supple eo loci præpoſitionem* in. *Mabillonius mavult eſſe legendum* Euchariſtiæ.

(4(Solus Epiſcopus. *Id improbat Amalarius. Vide quæ adnotavimus ſupra ad pag.* 115, *num.* (5)

(5) *Et hunc ritum tenendi Euangeliorum codicem ſuper caput illius, qui Epiſcopus conſecratur, reprehendentem Amalarium notavimus prælaudata pag.* 115, *not.* (4)

(6) Eædem orationes in Ordine Romano pro his & ſequentibus Ordinibus uſque ad Epiſcopatum. Editæ apud Morinum, in lib. de Sacris Ordinationibus p. 261. Eædem item orationes habentur in pervetuſto Miſſali Bibliothecæ regiæ numero 3865. ad cujus oram hoc loco ita legitur. *Helias Scotigena ſic faciebat: & Epiſcopus Ugo ſecundum Ordinem Romanum.* Hi Epiſcopi erant Ecoliſmenſes; Helias quidem tempore Caroli Calvi; Hugo vero medio ſæculo decimo. Itaque hic ritus eſt Gallicanus, non Romanus. *Mabill.*

Contrarium potius crediderim eſſe ex traditis concludendum ritus enim iſte ſacrarum orationum Romanus videtur non Gallicanus, ſi præſertim illum conferas cum ſuperiori Gelaſiano: quod & ipſe Mabillonius

quem in officii Vſtearii eligere dignatus eſt: ut ſit ei fideliſſima cura in diebus ac noctibus ad diſtinctionem horarum [1] certarim ad invocandum nomen Domini. Per.

Alia.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc Vſtiarium: ut inter Janitores Eccleſiæ paret obſequia; & [2] inter partem tuam mereatur habere mercedem. Per.

BENEDICTIO
Acoliti.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui Moyſen & Aaron locutus es, ut accenderetur lucerna in tabernaculo teſtimonii: ſic benedicere & ſanctificare digneris hunc famulum tuum, ut ſit Acolitus in Eccleſia tua. Per.

PRAEFATIO
Lectoris:

Eligunt te fratres tui, ut ſis Lector in domo Dei tui: & agnoſcas officium tuum, ut impleas illud: potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam. Per.

Benedictio Lectoris.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc *nom. illum* in officium Lectoris: ut aſſiduitate [3] electionum diſtinctus atque ordinatus curis modolis, ſpiritali devotione lingua reſonet Eccleſiæ.

PRAEFATIO
Exorciſtæ.

Deum Patrem omnipotentem ſupplices deprecamur, ut hunc famulum ſuum *nom. ill.* benedicere dignetur in officio Exorciſtæ; ut ſit ſpiritalis Imperator ad abjiciendos Dæmones de corporibus obſeſſis cum omni nequitia eorum multiformi. Per.

Benedictio Exorciſtæ.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc *nom. ill.* in officio Exorciſtæ: ut per impoſitionis manuum & oris officium, eum eligere digneris; & imperium habeat ſpirituum immundorum coercendum; & probabilis ſit medicus Eccleſiæ tuæ, gratiæ curationum virtute confirmatus.

ALLO-

---

billonius agnoverat quum Liturgia Gallicana lib. III *num.* 7 *ſcripſit de hoc Miſſali Francorum*: ſed nec diffitendum quædam eſſe (*in hoc ſcilicet Miſſali*) ad modum Ordinum Gelaſiani & Gregoriani. ORDINATIONUM quippe RITUS, & PRECATIONES eædem reperiuntur in Ordine Romano. *Typographum forſan illius ſententia ordinem adulteraſſe dicendum.*

(1) *Mabill.* certatim, *ſed potius cum Ordine Gelaſiano ſup. pag.* 117 *dicerem* certarum.

(2) *Mendoſus ille locus caſtigandus ex prælaudato Codice Gelaſiano.*

(3) *Lege* aſſiduitate lectionum.

ALLOCUTIO AD SUBDIACONUM ORDINANDUM.

Exhibeatur in conſpectu Epiſcopi [1] patena & calix vacuus & dicat ei Epiſcopus.

Vide cujus miniſterium tibi traditur. Et ideo ſi uſque nunc fuiſti tardus ad Eccleſiam, ammodo debes eſſe aſſiduus. Si uſque nunc ſomnolentus, ammodo vigiles. Si uſque nunc ebrioſus, ammodo ſobrius. Si uſque nunc inhoneſtus, ammodo caſtus. Oblationes, quæ veniunt in Altario, panes propoſitionis appellantur. De ipſis oblationibus tantum debet in Altario poni, quantum populo poſſit ſufficere, ne aliquid putridum in Sacrario maneat. Pallæ vero quæ ſunt in [2] ſubſtraturio, in alio vaſe debent [3] lavi, in alio corporales pallæ. Ubi pallæ corporales lavatæ fuerint, nullum lenteamen ibidem aliud debet lavi: ipſa aqua in Baptiſterio debet vergi. Ideo te amoneo: tu ita te exhibe, ut Deo placere poſſis. *Et trades ei calicem & patenam.* [4]

Præfatio Ordinationis Subdiaconi.

Oremus Deum & Dominum noſtrum: ut ſuper ſervum ſuum *nom. ill.* quem ad Subdiaconatus officium evocare dignatus eſt, infundat benedictionem & gratiam ſuam: ut in conſpectu ſuo fideliter ſerviens, deſtinata Sanctis præmia conſequatur. Per Dominum.

Benedictio Subdiaconi.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc *nom. ill.* quem ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es: uti eum [5] Sacrarium tuum ſancto ſtrenuum ſollicitumque cæleſti militiæ inſtituas; & ſanctis Altaribus fideliter ſubminiſtret: & requieſcat ſuper eum Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis. Repleas eum Spiritu timoris tui: ut eum in miniſterio divino confirmes; ut obediens atque dicto parens, tuam gratiam conſequatur. Per Dominum.

ALLOCUTIO AD POPULUM *in ordinatione Diaconi.*

Dilectiſſimi fratres, quamlibet poſſint ad ordinationem Eccleſiaſtici miniſterii promovendam, ſibi ipſa ſufficere privilegia Sacerdotum: attamen quia probabilior & noſtra apud Dominum converſatio eſt, & eorum quorum honor augetur, major eſt gratia; ſi id quod arbitria noſtra eligunt, etiam veſtræ confirmet dilectionis adſenſus. Idcirco filio noſtro *illo* cupio ad officium Diaconatus in conſortium noſtrum divinitatis auxilium promovere. An eum dignum hoc officio cenſeatis, ſcire deſidero: & ſi veſtram apud meam con-

(1) Huc ſpectat canon 6. Concilii Toletani VIII. *Mabill.*

(2) Id eſt quibus ſternitur altaris planities: *corporales*, quæ Corpus Chriſti proxime tangunt. *Mabill.*

Vide Du-Cangium ad vocem Subſtratorium.

(3) *Lege* lavari.

(4) *Conferantur quæ occurrunt ſupra de Ordinatione Subdiaconi ad pag.* 115, & 118.

(5) *Mabill.* In Sacrario tuo Sancto. *Supra in Gelaſii Codice legitur*, ut eum Sacrario tuo Sancto. *Vide memoratam pag.* 118.

concordat electio, teſtimonium quod vultis, vocibus adprobate. Per Dominum.

ORAT. AD DIACON. ordinand.

OREmus, dilectiſſimi, Deum Patrem omnipotentem: ut ſuper hunc famulum ſuum, quem ad officium Diaconatus vocare dignatur, benedictionem gratiæ clementer effundat; & conſecrationis [1] adulta propitius dona conſervet: ut preces noſtras clementer exaudiat, & quæ noſtro ſunt [2] geranda ſervitio, ſuo benigno proſequatur auxilio: & quem ſacris Miniſteriis exequendis pro noſtra intelligentia credimus offerendum, [3] ſua potius electione juſtificet. Per Dominum.

Conſecratio.

Adeſto, quæſumus, omnipotens Deus, honorum dator, ordinum diſtributor, officiorumque diſpoſitor: qui in te manens, innovas omnia, & cuncta diſponis per Verbum, Virtutem, Sapientiamque tuam Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, ſempiterna providentia præparas, & in ſingulis quibuſque temporibus aptanda diſpenſas. Cujus corpus Eccleſiam tuam cæleſtium gratiarum varietate diſtinctam, ſuorumque connexa diſcretione membrorum, per legem totius [4] mirabilem compagis unitam, in augmentum templi tui creſcere dilatarique largiris: ſacri muneris ſervientem trinis Gradibus Miniſtrorum nomini tuo militare conſtituens: electis ab initio Levi filiis, qui myſticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ ſorte perpetua poſſiderent. Super hunc famulum tuum, quæſumus, Domine placatus intende: quem tuis ſacris ſerviturum, in officium Diaconi ſuppliciter dedicamus. Et nos quidem tanquam homines divini ſenſus & ſummæ rationis [5] ſignare, hujus vitam, quantum poſſumus, æſtimamus. Te autem, Domine, quæ nobis ſunt ignota, non tranſeunt: [6] te occulta non fallunt. Tu cognitor pectorum, tu ſcrutator es animarum. Tu veraciter in eum cæleſte potes adhibere judicium: & velut indignis donare quæ poſcimus. Emitte in eum, quæſumus, Domine Spiritum Sanctum [7] in opus Miniſterii fideliter exequendi: munere ſepteformis tuæ gratiæ roboretur. Abundet in eum totius forma virtutis, [8] auctoritas, modeſtia pudor, conſtans innocentiæ & ſpiritalis obſervantia diſciplinæ. In moribus ejus præcepta tua fulgeant: ut ſuæ caſtitatis exemplo [9] imitatione ſanctæ plebis adquirat: & bonum conſcientiæ teſtimonium [10] perſerens, in Chriſto firmus & ſtabilis perſeveret, digniſque ſucceſ-

(1) *Mabill.* indulta *pro* adulta. *Sacram. Gelaſ. ſupra ad pag.* 23, adultæ.

(2) gerenda *potius, ut in Gelaſ. Sacram. loco citato. Ubi obſervare poteris quomodo quæ heic unica eſt oratio, ibi in duas dividatur.*

(3) *Cod. Gelaſ. ibidem*: tua potius electione juſtifices.

(4) *Ita in Gelaſ. pag.* 24. *At Mabill.* mirabilem *mutavit in* mirabilis.

(5) Ignari *pro* ſignare *illic cum Cod. Gelaſ. repoſuit Mabill.*

(6) Te occulta *&c. emendandus heinc Gelaſianus Codex mendoſe habens* te nota non fallunt.

(7) *Gelaſ. Cod.* quo in opus &c.

(8) *Idem Gelaſ. Cod.* auctoritas modeſte, pudor conſtans innocentiæ &c. *interpunctione diſſimili.*

(9) *Mabill.* imitationem.

(10) *Juxta Gelaſ. Cod. legendum* præferens.

Digitized by Google

[1] ſucceſſionibus de inferiore Gradu, per gratiam tuam potiora capere mereamur. Per Dominum noſtrum.

[2] Exaudi Domine ſupplicum preces, & devoto tibi pectore famulantes perpetua defenſione cuſtodi: ut nullis perturbationibus impediti, liberam ſervitutem tuis ſemper exhibeamus officiis. Per Dominum noſtrum.

Ad Conſumman. Diaconat. Officium.

Commune votum communis proſequatur oratio: [3] ut hii totius Eccleſiæ prece, qui in Diaconatus [4] miniſterii præparatur, Levitici benedictionis, & ſpiritali converſatione præfulgens, gratia ſanctificationis eluceat. Per Dominum.

Benedictio ſequitur.

Domine [5] ſancte ſpei, fidei, gratiæ, & profectuum munerator, qui in cæleſtibus & terrenis Angelorum [6] miniſteriis ubique diſpoſitus, per omnia elementa voluntatis tuæ defendes affectum; hunc quoque famulum tuum *illo* ſpeciali dignare illuſtrare aſpectu: ut tuis obſequiis expeditus, ſanctis Altaribus Miniſter purus adcreſcat: & indulgentia purior, eorum Gradu, quos Apoſtoli tui in ſeptinario numero, Beato Stephano duce ac prævio, Sancto Spiritu auctore elegerunt, dignus exiſtat: & virtutibus univerſis, quibus tibi ſervire oportet, inſtructus [7] compleat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

ALLOCUTIO AD POPULUM in Ordinatione Presbyteri.

QUoniam, dilectiſſimi fratres, [8] Rectores navem & navigium [9] deferendis eadem eſt vel ſecuritatis ratio vel timoris: communis eorum debet eſſe ſententia, quorum cauſa communis exiſtet. [10] Ne fruſtra a Patribus reminiſcimur inſtitutum, ut de electione eorum, qui ad regimen Altaris adhibendi ſunt, [11] conſoletur & populos: quia de actu & converſatione præſenti, quod nonnunquam ignoratur a pluribus, ſcitur a paucis: & neceſſe eſt, ut facilius quis obedientiam exhibeat [12] ornato, cui adſenſum præbuerit ordinando. Fratris noſtri & Conpresbyteri converſatio, quantum noſſe mihi videor, probata ac Deo placita eſt; & digna (ut arbitror) Eccleſiaſtici honoris [13] augmentum: ſed ne unum fortaſſe vel paucos aut decipiat adſenſio, aut fallat affectio; ſententia eſt expectanda multorum. Itaque quid de ejus actibus aut moribus noveritis, quid de merito cenſeatis, Deo teſte, [14] conſolemus. Debet hanc fidem habere caritas veſtra, quam ſecundum præceptum Euangelii, & Deo exhibere de-

Cod. Sacram. Xx

(1) *Idem. Cod. Gelaſ pag.* 25 Succeſſibus.

(2) *Ea Oratio in Gelaſ. Cod ponitur ad Introitum Miſſæ pro Ordinatione Presbyteri & Diaconi.*

(3) *Legerem* ut hic. *In Gelaſii exemplo quum de pluribus ſimul ordinandis agatur, dicitur* ut hi. *Mabill. locum emendans ait*: ut his totius ...... Diaconatus miniſterio præparatur Levitico, benedictione, & Spiritali &c.

(4) *Cod. Gelaſ.* in miniſterio ...... Leviticæ benedictionis &c.

(5) *Idem Gelaſ. Cod.* ſanctæ.

(6) *Idem Gel. Cod.* miniſteris.

(7) *Juxta Gel. Cod.* complaceat.

(8) *Mabill.* Rectoris.

(9) *Idem Mabill.* deferentis.

(10) Nec *juxta Mabill.*

(11) *Idem*, conſulatur & populus.

(12) *Idem*, ordinato.

(13) *Lege* augmento.

(14) *Mabill.* conſulimus.

Digitized by Google

re debitis & proximo: ut huic teſtimonium Sacerdoti magis pro merito, quam pro affectione aliquid tribuatis. Et qui [1] devotione omnium expectamus, intelligere tacentes non poſſumus. Scimus tamen quod eſt acceptabilius Deo, aderit per Spiritum Sanctum conſenſus unus omnium animorum. Et ideo electionem veſtram debetis voce publica profiteri. Per Dominum.

ORATIO AD PRESBYTEROS ordinandos.

Oremus, dilectiſſimi, Deum Patrem omnipotentem: ut ſuper hunc famulum ſuum, quem ad Presbyterii munus [2] eligit, cæleſtia dona multiplicet: & quæ ejus dignatione [3] ſuſcipiunt, ejus exequantur auxilio. Per Dominum.

Item alia.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter; & ſuper hunc famulum tuum benedictione Spiritus Sancti, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem: ut quem tuæ pietatis [4] ſuſpectibus offerimus conſecrandum, perpetua muneris tui largitate proſequaris. Per.

Conſecratio.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus [5] honorum omnium dignitatum, quæ tibi militant, diſtributor, per quem proficiunt univerſa; per quem cuncta firmantur, amplificatis ſemper in melius [6] naturale rationalis incrementis, per ordinem [7] congruam rationem diſpoſitum: unde Sacerdotales Gradus, & officia Levitarum Sacramentis myſticis inſtituta creverunt. Ut cum Pontifices Summos regendis populis præfeciſſes, ad eorum ſocietates & operis adjumentum ſequentis ordinis viros & Secundæ Dignitatis elegeris. Sic in eremo per LXX. virorum prudentium mentes Moyſi ſpiritu propagaſti: quibus ille adjutoribus uſus in populo, innumeras multitudines facile gubernavit. Sic & Eleazaro & Ithamar filiis Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudiſti: & ad hoſtias ſalutares, & frequentioris officii Sacramenta ſufficeret meritum Sacerdotum. Hac providentia Domine Apoſtolis Filii tui Doctores fidei comites addediſti: quibus illi orbem totum Secundis Prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ Domine, quæſumus, hæc adjumenta largire: qui [8] tanto magis fragiliores ſumus, tanto his plurius indigemus. Da, quæſumus, omnipotens Pater, in hoc famulo tuo *illo* Presbyterii dignitatem: innova in viſceribus ejus Spiritum Sanctitatis. Acceptum a te, Deus, ſecundi meriti munus obteneat: cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuet. Sit providus cooperator ordinis noſtri: eluceat in eum totius forma juſtitiæ, ut bonam rationem diſpen-

(1) *Idem Mab.* devotionem.
(2) *Gelaſ. Codex Superiori pag.* 21, *ait*: elegit.
(3) *Legendum eſſe crediderim potius* ſuſcipit, & exequatur.
(4) *Gelaſ. Cod.* aſpectibus.
(5) *Eo modo ſe habet & Gelaſ. Cod. at Mabill. interpoſita copulandi vocula ait*, honorum & omnium dignitatum.
(6) *Gelaſ. Cod. & Mabill.* naturæ, *non vero* naturale; *& quidem rectius*.
(7) *Gelaſ. Cod.* congrua ratione.
(8) *Lege* qui quanto magis.

ſpenſationis ſibi creditæ redditurus, æternæ beatitudinis præmia conſequatur. Per.

Conſummatio Presbyterii.

Sit nobis, Fratres, communis oratio: ut hic, qui in adjutorium & utilitatem veſtræ ſalutis eligitur, Preſbyteratus benedictionem divini indulgentia muneris conſequatur: ut Sancti Spiritus [1] Sacerdotali dona privilegio virtutum, ne impar loco deprehendatur, obteneat per ſuum. Per Dominum.

Item Benedictio.

[2] Sanctificationum omnium Auctor, cujus vera conſecratio, plena benedictio eſt: tu Domine ſuper hunc famulum *illo*, quem Presbyterii honore dedicamus, manum tuæ benedictonis [3] eum infunde: ut gravitate actuum, & cenſura vivendi probet ſe eſſe Seniorem, his inſtitutus diſciplinis, quas Tito, & Timotheo Paulus expoſuit: ut in lege tua die ac nocte, omnipotens, meditans, quod elegerit, credat; quod crediderit, doceat; quod docuerit, imitetur: juſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem in ſe oſtendat: exemplum probet, admonitionem confirmet; ut purum atque immaculatum Miniſterii tui donum cuſtodiat: & per obſequium plebis tuæ Corpus & Sanguinem Filii tui immaculata benedictione [4] transformet: & inviolabili caritate in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in die juſtitiæ æterni judicii, conſcientia pura, fide plena, Spiritu Sancto plenus perſolvat. Per Dominum.

Conſecratio manus.

[5] Conſecrentur manus iſtæ & ſanctificentur per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem: ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint; & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificentur. Per Dominum.

Item alia.

Vnguantur manus iſtæ de oleo ſanctificato & Chriſmate ſanctificationis. Sicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam; ita unguantur & conſummentur in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, facientes imaginem ſanctæ Crucis Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti: qui nos a morte redemit, & ad regna cælorum perducit. Exaudi nos pie Pater, omnipotens æterne Deus: & præſta [6] quid te rogamus & oramus. Per.

(1) *Cod. Gelaſ. pag.* 23. ſacerdotalia.

(2) Deus Sanctificationum *&c. legendum eſſe opinatur hoc in loco Mabill. quod nec firmaret Gelaſiani exemplaris auctoritate: in quo Oratio præſens incipit a voce* Sanctificationum.

(3) *Vox* cum *ut ſuperabundans merito a Mabill. expungitur.*

(4) *Obſervetur & in præſentia locus ad demonſtrandum* TRANSUBSTANTIATIONIS *dogma; cui loco præter ea in ſuperioribus adnotata, ſimiles prorſus occurrit in Cod. Gelaſ. ad pag.* 23.

(5) *Confer eamdem hanc orationem in Cod. Gelaſ. pag.* 118.

(6) *Mabill.* quod.

EXHORTATIO AD POPULUM cum Epiſcopus ordinatur.

SErvanda eſt, dilectiſſimi Fratres, in exceſſu Sacerdotum, [1] & antiquæ Eccleſiæ, ut decidentibus aliis quidem [2] digniſſime ſubrogentur; per quorum [3] doctrina fides Catholica, & religio Chriſtiana ſubſiſtat: ne ovili Domini prædo violentus irrumpat; & diſperſas abſque Paſtore oves fur nocturnus invadat. Receptu itaque diſpenſatione Dei [4] Sacerdoti veſtro, ſollicite vobis agendum eſt: ut in locum defuncti, talis Succeſſor præparetur Eccleſiæ; cujus pervigili cura, & inſtanti ſollicitudine ordo Eccleſiæ, & credentium fides in Dei timore melius convaleſcat. Qui, præcipiente Apoſtolo, in omni doctrina formam boni operis ipſe præbeat: cuique habitus, ſermo, vultus, inceſſus, doctrina virtus ſit: qui vos ut Paſtor bonus fide inſtruat, [5] exemplum patientiæ doceat, doctrinam religionis inſtituat, in omni opere bono confirmet caritatis [6] exemplum. Secundum voluntatem ergo Domini in locum ſanctæ memoriæ *illi nom.* virum venerabilem *Ill.* teſtimonio Presbyterorum & totius Cleri, & conſilio civium ac conſiſtentium, credimus eligendum virum (ut noſtis) natalibus nobilem, moribus clarum, religione probum, fide ſtabilem, miſericordia abundantem, humilem, juſtum, pacificum, patientem, caritatem habentem, tenacem; [7] cunctiſque Sacerdos eligenda ſunt bonis omnibus exuberantem. Hunc ergo, dilectiſſimi Fratres, [8] teſtimonii boni operis electum, digniſſimum [9] Sacerdotium conſonantes laudibus, clamate & dicite: Dignus eſt.

ORAT. ET PRECES DE Epiſcopis ordinandis.

ORemus, [10] dilectiſſimi nobis: ut his viris ad utilitatem Eccleſiæ providendis benignitas omnipotentis Dei gratiæ ſuæ tribuat largitatem. Per Dominum.

Exaudi Domine ſupplicum preces: ut quod [11] noſtrum gerendum eſt miniſterium, tua potius virtute firmetur. Per Dominum noſtrum.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hos famulos tuos cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eos effunde [12] virtute. Per Dominum.

Colle-

(1) & antiquæ *ita legitur hac in eadem Exhortatione, qua habetur apud Ed. Martene de antiq. Eccleſiæ Ritibus Part.* I, *cap.* VIII, *art.* XI, *pag.* 376. *Verum Mabill. legendum eſſe vult,* Lex antiquæ Eccleſiæ.

(2) digniſſimi *Mabill. & Mart. loc. cit.*

(3) *Lege* doctrinam.

(4) *Leg.* Sacerdote.

(5) *Apud Marten. loc. memorato*, exemplo.

(6) *Denuo apud Marten. ibi legitur*, exemplo, *quem legendi modum ſequitur & Mabill.*

(7) *Apud Marten.* cunctis quæ in Sacerdotibus eligenda ſunt bonis omnibus exuberantem. *Hæc quum non vidiſſet Mabill. opinatus eſt forte legi debere,* In cunctis quæ in Sacerdote exigenda ſunt.

(8) *Apud eumdem Mart.* teſtimonio.

(9) *Lege* Sacerdotio *juxta Mabill. & Marten. qui poſtremus deinde ait:* conſonantis laudibus.

(10) Hæc & tertia oratio eſt in Ordine Romano. *Mabill.*

(11) *Mabill.* noſtro gerendum eſt miniſterio *juxta Gelaſ. Cod. ſupra ad pag.* 120, *& loco apud Marten. laudato.*

(12) *Lege* virtutem. *Et Confer quæ modo memoravimus teſtimonia.*

Collectio ſequitur.

Deum, totius ſanctificationis ac pietatis Auctorem, qui [1] plagationem ſuam, & ſacrificia, & ſacra conſtituit, Fratres dilectiſſimi, deprecemur, uti hunc famulum ſuum, quem exaltare in Eccleſia, & Seniorum Cathedra (concordibus ſua inſpiratione judiciis, & effuſis ſuper plebem ſuam votis fidelibus ac vocum teſtimoniis) voluit imponi, conlocans eum cum Principibus populi ſui: ad eorum nunc precem univerſam eumdem [2] Summum Sacerdotium debita honoris plenitudine, chariſmatum gratia, ſanctificationum ubertate, ac præcipue humilitatis virtute locupletet: ut Rector potius non extollatur; ſed in omnibus ſe, quantum eſt major, humilians, ſit in ipſis quaſi unus ex illis: omnia judicii Domini noſtri non pro ſe tantum, ſed & pro omni populo, qui ſollicitudini ſuæ creditur, contremiſcens: ut qui meminerit de Speculatorum manibus omnium animas requirendas, pro omnium ſalute pervigilet, paſtorali erga creditas ſibi oves Domini diligentiæ ejus ſemper ſe flagrantiſſimum adprobans. Te delictorum [3] adigitur præfuturus, ex omnibus electus, ex omnibus univerſis ſacris ſacrandiſque idoneus fiat ſub hac, quæ eſt homini per hominem poſtrema benedictio conſummata atque perfecta ſuæ conſecrationis, noſtræ ſubplicationis [4] adtentiſſime concordiſſimiſque omnium precibus adjuvemur: omnium pro ipſo oratio incumbat; cui exorandi pro omnibus pondus imponitur. Impetret ei affectus totius Eccleſiæ virtutem, pietatem, ſanctificationem, & cæteras Summi Sacerdotii ſacras dotes univerſæ Eccleſiæ profuturas, Domino Deo noſtro (qui ſacrorum munerum profluus fons eſt, qui dat omnibus adfluenter) quod Sacerdoti pio affectu poſcitur ad exundandam in omnibus ſanctificationem ſuorum omnium, promptiſſime ac pleniſſime conferente. Per Dominum noſtrum Jeſum.

Conſecratio.

[5] Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacris famulantur ordinibus; Deus, qui Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris affectu inter cætera celeſtis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis inſtituens, electum Aaron myſtico amictu veſtire inter ſacra juſſiſti: ut intelligentiæ ſenſum de exemplis priorum caperet ſecutura poſteritas; ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deeſſet ætati: cum & apud veteres reverentiam ipſam ſignificationum ſpecies obtineret; & apud nos certiora eſſent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus, noſtræ mentis ornatus eſt: & Pontificalis gloria non jam nobis honorem commendat veſtium, ſed ſplendorem animarum. Quia & illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, potius quæ ipſis erant intelligenda poſcebant. Et idcirco famulis tuis, [6] qs ad Summi Sa-

(1) *Mabill.* placatlonem.
(2) *Lege* ſummo Sacerdotio.
(3) *Aliquid de eo loco excidiſſe videtur.*
(4) *Mabill.* adtentiſſimæ.
(5) *Conferatur hæc ad conſecrandum Epiſcopum oratio cum altera illi non abſimilis in Cod. Gelaſ. pag.120 & 121 Videantur & quæ ad eam ibidem adnotavimus.*
(6) *Lege* quos.

mi Sacerdotii miniſterium elegeſti, hanc, quæſumus, Domine gratiam largiaris: ut quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & multimodi operis varietate ſignabant; hoc in horum moribus actibuſque clareſcat. Comple Domine in Sacerdotibus tuis myſterii tui ſummam: & ornamentis totius glorificationis inſtructos, cæleſtis unguenti flore ſanctifica. [1] Hoc Domine copioſe in eorum caput influat, hoc in oris ſubjecta decurrat, hoc in totius corporis extrema deſcendat: ut tui Spiritus virtus & interiorum ora repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in his (eo) conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis. Sint ſpecioſi munere tuo pedes horum ad euangelizandum pacem, ad euangelizandum bona tua. Da eis Domine miniſterium reconciliationis in verbo & in factis & in virtute & ſignorum & prodigiorum. Sit ſermo eorum (ejus) & prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis. Da eis Domine claves regni cælorum: utantur nec glorientur poteſtate, quam tribues in ædificationem non in deſtructionem. Quodcunque ligaverint ſuper terram, ſit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolverint ſuper terram, ſit ſolutum & in cælis. Quorum detinuerint peccata, detenta ſint; & quorum dimiſerint, tu dimittas. Qui benedixerit eis, ſit benedictus: & qui maledixerit eis, maledictionibus repleatur. Sint ſervi fideles & prudentes, quos conſtituas tu Domine ſuper familiam tuam; ut dent illis cibum in tempore neceſſario: ut exhibeant omnem hominem perfectum. Sint ſollicitudine impegri, ſint ſpiritu ferventes: oderint ſuperbiam, diligant veritatem, nec eam unquam deſerant aut laſſitudine aut timore ſuperati. Non ponant lucem ad tenebras, nec [2] tenebris lucem. Non dicant malum, bonum; nec bonum, malum. Sint ſapientibus & inſipientibus debitores: & fructum de profectu omnium conſequantur. Tribuas eis Domine Cathedram Epiſcopalem ad regendam Eccleſiam tuam & plebem univerſam. Sis eis auctoritas, ſis eis poteſtas, ſis eis firmitas. Multiplices ſuper eos benedictionem & gratiam tuam: ut ad exorandam ſemper miſericordiam tuam tuo munere idonei, tua gratia poſſint eſſe devoti. Per Dominum. [3]

Super oblata.

Suſcipe Domine munera, quæ tibi offerimus pro famulo tuo *Illo*: & propitius in eodem tua dona cuſtodi.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro *Illo* famulo tuo, quem ad Pontificalem gloriam promovere dignatus es, quæſumus Domine, placatus accipias: ut quod divino munere conſecutus eſt, tua in eo protectione firmetur. Per Dominum noſtrum.

Adeſto miſericors Deus: ut quod actum eſt noſtræ ſervitutis officio, tua benedictione firmetur. Per.

Item

(1) Hæc & ſequentia verba leguntur in Ordine Romano, poſtquam unctum eſt Epiſcopi caput. *Mabill.*

(2) *Apud Mabill.* tenebras.

(3) Nihil hic de benedictione ornamentorum epiſcopalium. *Mabill.*

Idem dici debet & Gelaſ. Cod. reſpectu. Illum videſis ſuperiore pag. 121.

Item alia.

Eccleſiam tuam Domine benignus inlumina: ut & [1] gratis tui proficiat ubique ſucceſſus: & grati fiant nomini [2] tui, te gubernante, Paſtores. Per Dominum.

BENEDICTIO SVPER Virgines. [3]

OMnipotens ſempiterne Deus, adjuva quas Virginitatis honore dignatus es decorare. Perferant inchoati operis conſummatum affectum, & votorum ſuorum expediant inſtitutum: virginali habitu perfectam tibi offerant plenitudinem; & initia ſua perducere mereantur ad finem: ut matura ſanctimoniæ cumulent merita, & centenarium munus de perfecto agone Virginitatis accipiant.

Conſecratio Virginum.

Caſtum vero Dei cultum incorrupta Religione retinentes, inviolabilis naturæ Dominum ſuppliciter oremus: ut hanc famulam ſuam corroboret, quæ ſanctam & maximam acceptabilem Deo virginitatem, adſumptis ſpiritalium cogitationum viribus, dedicavit, bene concepto mentis propoſito perſeveret: ut virginitas, quæ Eccleſiæ comparatur, & ſimilitudini divinæ immolationis induitur, perennitatis gratiam conſequatur. Per Dominum.

Deus, [4] caſtorum corporum benignus habitator, & incorruptarum Deus amator animarum, Deus qui humanam ſubſtantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in verbo tuo, per quod omnia facta ſunt, reparas: ut eam non ſolum ad primæ originis innocentiam revoces; ſed etiam ad experientiam bonorum, quæ in novo ſæculo ſunt habenda, perducas; & obſtrictos adhuc conditione mortalium, jam ad ſimilitudinem provehas Angelorum. Reſpice Domine ſuper has famulas tuas, [5] in manu tua continentiæ ſuæ propoſitum conlocantes, tibi devotionem ſuam offerunt, a quo ipſa vota ſumpſerunt. [6] Quando enim animus mortali carne circumdatus, legem naturæ, libertatem licentiæ, vim conſuetudinis, & ſtimulos ætatis evinceret: niſi Tu per liberum arbitrium hunc amorem virginitatis clementer accenderes; Tu hanc cupiditatem in earum corde benignus aleres; Tu fortitudinem miniſtrares? Effuſa namque in omnes Gentes gratia tua, ex omni natione quæ eſt ſub cælo, in ſtellarum innumerabilem numerum novi teſtamenti hæredibus adoptatis, inter cæteras virtutes, quas filiis tuis non ex ſanguinibus, [7] ne voluptate carnis, ſed de tuo Spiritu genitis indediſti, etiam hoc donum in quorumdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit. Vt cum honore nuptiarum nulla interdicta minuiſſent;

(1) *Mabill.* & gratus.

(2) *Lege* tuo.

(3) *Confer ſupra Gelaſii de hoc ritu exemplum ad pag. 123, quodque ibidem in adnotationibus dictum a nobis eſt.*

(4) Hæc in Ordine Romano. Alia infra in Miſſali Gallicano. *Mabill.*

(5) *Mabill.* quæ in manu tua: *ut in Gelaſ. Cod.*

(6) Quando, *ita & in Gelaſ. Cod. Mabill. tamen de ſuo fecit* quomodo.

(7) *Legerem* nec.

nuiſſent; ac ſuper copulam tua benedictio permaneret: exiſterent tamen ſublimiores animæ, quæ non hoc concupiſcerent, quod habet mortale connubium: ſed hoc eligerent, quod præmittit divinum Chriſti Eccleſiæque Sacramentum. Agnovit Auctorem ſuum beata Virginitas; & æmula integritatis Angelicæ, illius thalamo, illius cubiculo ſe devovit; qui ſic perpetuæ virginitatis eſt ſponſus, quemadmodum perpetuæ virginitatis eſt filius. Implorantibus ergo auxilium tuum Domine, & confirmari ex benedictionis tuæ conſecratione cupientibus da protectionis tuæ munimen: ne hoſtis antiquus, qui excellentiora ſtudia ſubtilioribus infeſtat inſidiis, ad obſcurandam perfectæ continentiæ palmam per aliquam ſerpat mentis incuriam: & rapiat de propoſito Virginum; quod etiam moribus decet ineſſe nuptiarum. Sit in eis, Domine, per donum Spiritus tui prudens modeſtia: & quod ſunt profeſſæ cuſtodiant, ſcrutatori pectorum non corpore placituræ, ſed mente. Tranſeant in numerum ſapientium puellarum; ut cæleſtem Sponſum accenſis lampadibus cum oleo præparationis expectent: nec turbatæ improviſi Regis adventu, ſecuturæ cum lumine, ut præcedentium choro jungantur, occurrant: nec excludantur cum ſtultis. Regalem januam cum ſapientibus Virginibus licenter introeant: & in Agni tui perpetuo comitatu probabilis manſura caſtitate permaneant. Per.

Accipe puella pallium quod perferas ſine macula ante Tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti: cui flectit omne genu cæleſtium & terreſtrium & infernorum. Benedicat te conditor cæli & terræ, Deus Pater omnipotens: qui te eligere dignatus eſt ad inſtar Sanctæ Mariæ Matris Domini noſtri Jeſu Chriſti ad integram & immaculatam virginitatem, quam profeſſa es coram Deo & Angelis ſanctis. Idcirco ſerva propoſitum, ſerva caſtitatem per patientiam: ut coronam virginitatis tuæ accipere merearis. Nunc exoro Domini noſtri Jeſu Chriſti divinam miſericordiam, ut hanc Virginem conſecrare ac ſanctificare dignetur uſque in finem. Per.

Benedicat te Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus omni benedictione ſpiritali: ut maneas ſine macula ſub veſtimento Sanctæ Mariæ Matris Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

BENEDICTIO VESTIMENTORUM Viduæ.

Viſibilium [1] & inviſibilium rerum Creator, Deus, adeſto propitius: ut hæc indumenta, ſanctitatis effigiem oſtendentia deſuper, gratia tua irrigante, benedicere & ſanctificare facias. Per Dominum.

Conſecratio veſtium.

Inlumina, quæſumus, oculos majeſtatis tuæ ad benedicendam hanc Viduitatis veſtem: ut quæ inordinatis veſtibus viri ſui viſibus placuit, in ſacratis indumentis benedictionis tuæ ſervire mereatur. Per.

Bene-

(1) Hæc in Ordine Romano & fere quæ ſequuntur. *Mabill.*

Digitized by Google

Benedictio [1] *Viduæ quæ fuerit caſtitate profeſſa.*

Conſolare Domine hanc famulam tuam Viduitatis languoribus conſtrictam; ſicut conſolari dignatus es Saraptinam viduam per Heliam Prophetam. Concede ei pudicitiæ fructum, ut antiquarum non memineat voluptatum: neſciat etiam incentiva deſideria, ut ſoli tibi ſubdat propria colla: quo poſſit pro laboribus tantis ſexageſimum gradum percipere munus dilectabile ſanctitatis. Per.

Item alia.

Domine Deus virtutum cæleſtium æterne, [2] te ſupplices fundemus preces: ut hanc famulam tuam conſecrare digneris; quam de priſtina converſatione ad novitatem vitæ, expolians veterem hominem, & induens novum, convertere feciſti: ut ſicut Anna Prophetiſſa multis temporum curriculis, veſtibus viduitatis induta, in Templo gloriæ tuæ, in jejuniis & orationibus fideliter ſerviebat; ſic & hæc famula tua tibi ſoli Deo in Eccleſia tua devota mente ſerviat. Per Dom.

Deus, qui Annam filiam Fanuelis vix per annos ſeptem ſortitam jura conjugii, ita cum annis LXXXIIII. in ſancta & in timorata caſtitate ſervaſti; ut noctibus ac diebus orationis jejuniaque miſcentibus, quæ [3] ad prophetiæ gratiam ſub Circumciſione Chriſti tui juſtus remunerator adducaris: quique deinceps per Apoſtolicam inſtitutionem ſanctarum hujus ordinis manibus fœminarum ſexus ipſius adoleſcentulas juniores inſtruxit, cum ſancti chariſmatis benedictione viſitari laudabili diſpenſatione voluiſti [4] ſuſcipere. Dignare omnipotentiſſime rerum omnium Deus, hujus conſervæ noſtræ arduum & laborioſum, nec ſatis diſcrepans a perfectæ virginitatis propoſito; quia tu creaturarum omnium conditor [5] probi mundiales inlecebras difficilius poſt experimentum poſſe vitari: ſed cum ad te venitur, idque per te, nunquam animas ſemel tibi dicatas vel terribile paſſionum vel divitiarum blandimenta ſollicitant. Nam ſenſibus (quibus ipſe dignaris infundi) nihil eſt deſiderabilius, quam regnum tuum; nihil terribilius, quam judicium tuum. Da ergo Domine ad petitionem maxime rei tuæ miſericordiam tuam: & tribue, ut hæc famula tua in adgreſſæ caſtitatis obſervatione perdurans, inter conjugatas uni tantum viro fœminas, fructum xxx. ſortiatur. Sit in illa cum miſericordia diſcretio, cum humilitate largitas, cum libertate honeſtitas, cum humanitate ſobrietas. Opus tuum die ac nocte meditetur: & pro eo quod amiſit conjugis ſolatium temporale; tu qui rerum omnium requies es, ſequatur: & vitæ ſpatium ſpiritali conſolatione conpenſa, ut in die vocationis ſuæ talis venire mereatur, qualis Anna fuiſſe conſtat, quam uſque ad Prophetiæ ſpiritum promoviſti. Per.

(1) *Exſtat & in Sacram. Cod. Bobienſ. Muſ. Ital. Tom. 1, pag. 388; ſed a præſenti longe diverſa.*

(2) *Lege* tibi ſupplices.

(3) *Mendum eo loci ineſt caſtigatione indigens.*

(4) *Interpunctione illic mutata Mabill. legit:* ſuſcipere dignare, omnipotentiſſime rerum omnium.

(5) *Fortaſſe* probas *ibi eſt cum Mabill. legendum.*

CONSECRATIO Altaris.[1]

Creator & conſervator humani generis, dator gratiæ, & ſpiritalis largitor æternæ ſalutis, tu permitte ſpiritum tuum ſuper vinum cum aqua mixtum: ut armata virtute cæleſtis defenſionis ad conſecrationem hujus Eccleſiæ vel Altaris proficiat. Per.

Præfatio Conſecrationis Altaris.

Ponis ſuper cornua Altaris digito tuo vinum cum aqua mixtum: & aſpergis Altare ſeptem vicibus; reliquum autem fundes ad baſem: & offeres incenſum ſuper Altare odorem ſuaviſſimum Domino.

[2] Dei Patris omnipotentis miſericordiam, dilectiſſimi fratres, deprecemur: ut hoc Altarium ſacrificiis ſpiritalibus conſecrandum, vocis noſtræ exorandus officio, præſenti benedictione ſanctificet: ut in eo ſemper oblationes famulorum ſuorum ſtudio ſuæ devotionis inpoſitas, benedicere & ſanctificare dignetur: & ſpiritali placatus incenſo, precanti familiæ ſuæ promptus exauditor adſiſtat. Per D. n.

Benedictio Altaris.

Deus omnipotens, in cujus honorem Altarium ſub invocatione tui conſecramus, clemens & propitius preces noſtræ humilitatis exaudi; & præſta, ut in hac menſa ſint tibi libamina accepta, ſint grata, ſint pingua, & Spiritus Sancti tui ſemper rore perfuſa: ut omni tempore in hoc loco ſupplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves; ægritudines cures, preces exaudias, vota ſuſcipias, deſiderata confirmes, poſtulata concedas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Præfatio Linteaminum[3].

Domine Deus omnipotens, ſicut ab initio hominibus vitalia & neceſſaria creaſti; & quemadmodum veſtimenta Pontificalia Sacerdotibus, & Levitis ornamenta, quæ & linteamina fieri famulo tuo Moyſi per XL dies docuiſti; ſive etiam ea quæ Maria texuit & fecit in uſum miniſterii tabernaculi Fœderis: ſanctificare, benedicere, conſecrareque digneris hæc linteamina in uſum Altaris tui ad tegendum, involvendumque Corpus & Sanguinem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui tecum vivit & regnat Deus.

Fiant omnia iſta protectione tua tuta atque defenſa, potens Domine, vaſa. Per Dominum.

Ad conſecrandam Patenam.

Conſecramus & ſanctificamus hanc Patenam ad conficiendum in ea Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti patientis Crucem pro ſalute noſtra omnium. Qui regnat in ſæcula.

Item alia[4].

Conſecrare & ſanctificare digneris Domi-

(1) *Exſtat & in Gelaſii Codice ubi de Dedicatione Baſilicæ novæ, pag. 107.*

(2) Hæc & ſequentia in Ordine Romano, ſed plura ibi. *Mabill.*

(3) *Altaris ſcilicet miniſterio inſervientium.*

(4) *Dicenda nimirum dum Patena ſacro linitur oleo. Vide Gelaſ. Cod. pag. 108.*

Domine Patenam hanc, per iſtam unctionem & noſtram benedictionem in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Qui vivit & regnat.

Ad Calicem conſecrandum.

Oremus dilectiſſimi fratres, ut Dominus Deus noſter Calicem ſuum in miniſterio conſecrandum cæleſtis gratiæ inſpiratione ſanctificet: ut ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet. Per Dominum.

Item Collectio.

Dignare Domine Calicem iſtum in uſum miniſterii tui pia famuli tui devotione formatum, ea ſanctificatione perfundere; qua Melchiſedech famuli tui ſacratum Calicem perfudiſti: & quod arte vel metallo [a] effici non poteſt Altaribus tuis dignum, fiat tua benedictione pretioſum.

Ad omnia [1].

Dignare Domine Deus omnipotens Rex regum, & Dominus dominantium, Sacerdos omnium, Pontifex univerſorum, per quem una cum Patre, Sanctoque Spiritu facta ſunt univerſa, Chriſte Jeſu, benedicere, conſecrare, & ſanctificare digneris vaſa hæc cum hoc Altario, linteaminibus, cæteriſque vaſis: & quemadmodum ſanctificaſti officia Tabernaculi teſtimonii olim cum arca, oraculo, [2] cyrubin, aloſis velis, columnis, candelabro, Altaribus, argenteis baſibus, tabulis deauratis, holocauſtis, hoſtiis, æreo Altare, cum æneis vaſis, tentoriis, funibus, oleo unctionis, & cæteris aliis in figura noſtri per manus ſanctorum ſanctificaſti Sacerdotum; ita nunc manens in æternum ſumme Sacerdos Sacerdotum ſecundum ordinem Melchiſedech, (ut diximus) Patenam hanc & Calicem hunc, & omnia inſtrumenta Altaris hujus Eccleſiæ ſeu Baſilicæ, quæ inter noſtras palmas habentur, corde precamur, ut benedicas, purifices, conſecres, & conſummes: quibus inter nos & æternam unitatem in ſupremo meatu ſine fine conſtare credimus. Per.

Præfatio Criſmalis.

Oremus, Fratres cariſſimi, ut Deus omnipotens hoc miniſterium Corporis Filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti gerolum, benedictione, ſanctificationis tutamine, defenſionis dominatione implere dignetur, orantibus nobis. Per.

Omnipotens Deus Trinitas, manibus noſtris opem tuæ benedictionis infunde: ut per noſtram benedictionem hoc vaſculum ſanctificetur: & Corporis Chriſti novum ſepulchrum Spiritus Sancti gratia perficiatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum vivit.

a. effici. *leg.* officii.

(1) *Ad omnia nimirum benedicenda quæ in Altaris miniſterio adhibentur. Vide rurſus Gelaſ. exemplum pag.* 109.

(2) *Melius interpungit Mabill. ſcribens:* cyrubin aloſis, velis, columnis, &c.

ORATIONES [1] ET PREC. *pro Regibus*.

DEus, qui fideles tuos ad hoc corripis, ut emendes; populum tuum, quæſumus, ne deſpicias ſupplicantem: ut tuæ virtutis [2] auxilium, omni hoſtilitate depulſa, & ſecuritas Patriæ lætetur, & Catholica ſemper exultet Eccleſia. Per.

Item alia.

[3] Populum tuum, quæſumus, omnipotens Deus propitiare peccatis; & totius hoſtilitatis a nobis errores averte; ut Regni Francorum nominis ſecura libertas in tua devotione ſemper exultet: & ab hoſtium nos defende formidine; ut omni perturbatione ſubmota, liberis tibi mentibus ſerviamus.

Item alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui regnis omnibus æterno dominaris imperio, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ, & Francorum Regni adeſto Principibus: ut tua tranquillitate clementes, tua ſemper ſint virtute victores. Per.

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus, cujus regnum eſt omnium ſæculorum; ſupplicationes noſtras clementer exaudi: & Francorum [4] Regnum tibi ſubditum protege principatum: ut in tua virtute fidentes, & tibi placeant, & ſuper omnia regna præcellant. Per.

Item alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, in cujus arbitrio Regnorum omnium jura conſiſtunt; protege Regnum Francorum nominis ubique Rectores: ut eorum votiva proſperitas, pax tuorum poſſit eſſe populorum.

Super oblata.

Sacrificium Domine, quod immolamus, intende: ut ab omni nos exuat bellorum nequitia; & in tuæ protectionis ſecuritate conſtituat: ut a noſtris mundemur occultis; & ab inimicorum liberemur inſidiis.

Suſcipe propitius hoſtias, quibus & te [5] placare voluiſti, & nobis ſalutem potenti pietate reſtitue. Per.

VD [6] Agnoſcimus enim, Domine Deus noſter, agnoſcimus, ſicut Prophetica dudum voce teſtatus es,

---

(1) Aliæ orationes, aliuſque Regis benedicendi modus in Ordine Romano, & apud Menardum in unctione Regum Francorum. *Mabill.*

(2) *Lege* auxilio.

(3) *Mabill.* Populi tui.

(4) Regum *potius eſſe legendum contextus ipſe manifeſtat*. (5) placuiti.

(6) Hoc monogrammate ſignificatur. *Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare*. Mabill.

Licet Mabillonii de eo Monogrammate interpretatio firmari poſſet obſervando illud coaleſcere quodammodo e tribus litteris eas voces deſignantibus; prætereiri tamen non debet, in Gelaſii Codice idem Monogramma ſæpe iiſdem vocibus præponi; aut quibus voces eadem certe præire non debent. Conſule illud occurrens ſupra ad pag. 4, in Miſſa noctis Nativ. Domini. Vide & in Miſſa Octava ejuſdem Nativitatis pag. 9. Illud inſuper Feriæ v. Majoris Hebdom. pag. 60, & alterum pag. 62. In nocte Sabbati Sancti pag. 77. col. 1, una cum aliis, quæ omnia exerto veluti digito facile heic indicarentur; quæque fortaſſe ſuſpicionem injicerent Monogramma noſtrum antiquitus uſurpatum non fuiſſe ad denotandum verba. Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare.

es, ad peccantium merita pertinere, ut ſervorum tuorum labore quæſita, ſub conſpectu noſtro manibus diripiantur alienis: & quæ deſudantibus famulis, naſci tribuis, ab hoſtibus patiaris [1] adſumi: totoque corde proſtrati, ſupplices exoramus: ut & præteritorum concedas veniam delictorum; & Francorum Regni nominis inimicos virtute tuæ conpremas [2] majeſtatem: quia tunc defenſionem tuam non diffidemus adfuturam; cum a nobis ea, quibus offendimus, dignanter expuleris: ut populus tuus fidei integritate lætetur, & temporum tranquillitate ſemper exultet. Per quem majeſtatem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, quam tibi offerimus pro ſalute & incolumitate vel ſtatu Regni Francorum (pro quibus, Domine omnipotens Deus, tibi ſupplices fundimus preces; te in omnibus ducem, te in omnibus viis ſuis protectorem mereantur habere) quæſumus Domine, ut placatus ſuſcipias. Per.

Poſt Communionem.

Protege Domine famulos tuos ſubſidiis pacis & corporis: & ſpiritalibus enutriens alimentis, a cunctis hoſtibus redde ſecuros. Per.

Item alia.

Fidelem populum tuum, quæſumus Domine, potentiæ tuæ muniat invicta defenſio: ut pio ſemper tibi devotus affectu, & ab infeſtis liberetur inimicis, & in tua jugiter gratia perſeveret. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium.

ORAT. ET PRECES IN Natl. S. Helarii.

SAnctus, Domine, Helarius Confeſſor tuus ſua nos interceſſione lætificet, & pia faciat ſolemnitate gaudere. Per.

Interceſſio nos, quæſumus Domine, ſancta Beati Helarii commendet: ut quod noſtris meritis non valemus, ejus patrociniis adſequamur. Per.

Indulgentiam nobis, Domine, quæſumus, ſancti Helarii Confeſſoris tui poſtulet tibi grata precatio; ut tuam ſemper miſericordiam percipere valeamus: ut interceſſio illius & tuam nobis non deſinat placare juſtitiam, & noſtram tibi devotam jugiter efficere ſervitutem. Per.

Exaudi Domine preces noſtras, quas in ſancti Confeſſoris tui Helarii atque Pontificis ſolemnitate deferimus: ut qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos abſolve peccatis: & præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut quia nos reatus noſtræ actionis gravat, apud ineffabilem miſericordiam tuam Beati Helarii Confeſſoris tui atque Pontificis interceſſio nos glorioſa protegat. Per.

Super Oblata.

Sancti Confeſſoris tui atque Pontificis, quæſumus Domine, annua ſolemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos: ut per hæc piæ oblationis officia, & il-

---

(1) *Mabill.* abſumi. (2) *Potius* majeſtatis.

& illum beata retributio comitetur ; & nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per.

Sacrificium, Domine, quod deſideranter offerimus, gratum tibi Beatus Helarius ſuffragator efficiat: ut ſacris Altaribus, Domine, has Hoſtias ſuperpoſitas in ſalutem nobis provenire depoſcat: [1] ut nobis, Domine, tua ſacrificia dent ſalutem; [2] quæ Beatus Confeſſor tuus precator accedat. Per. Pax fidi ſancta.

VD Quoniam fiducialiter tibi laudis hoſtias immolamus, quas ſancti Helarii Pontificis tui confeſſione præſenti confidimus adjubandas: ut illius patrocinio nos adjubante, debita nomini tuo ſervitute placeamus. Quia dum Beati illius merita glorioſa veneramur, auxilium nobis tuæ propitiationis adquiramus: nec deſperamus de veniæ largitate, quam per eum qui tibi placet, depoſcimus: quia ſupplicationibus noſtris miſericordiam tuam confidimus adfuturam, quam Beati Helarii Confeſſoris tui poſcimus interventu nobis & confeſſione præſtari. Quia licet nobis medelam ſemper operetur divini celebratio Sacramenti; propenſius confidimus adfuturam, cum Sanctorum tuorum & illorum meritis intervenientibus exhibetur. Per quem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus in honore Sancti Helarii Confeſſoris tui atque Pontificis, quæſumus Domine. Per.

Poſt Communionem.

Beati Helarii Confeſſoris tui, Domine, ſuffragiis exoramus, percepta Sacramenti tui nos virtute defende: ut cæleſtis remedii Sacramentum ad perpetuam nobis provenire medicinam obtineat. Per.

Item alia.

Protegat nos, Domine, cum tui perceptione Sacramenti, Beatus Helarius Confeſſor tuus intercedendo [3] ille: ut confeſſionis ejus ſemper experiamur auxilium. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum.

ORAT. ET PREC. *unius Martyris.*

DEus, qui nos annua Beati Martyris tui ſolemnitate lætificas, præſta quæſumus; ut cujus gaudemus meritis, inſtruamur exemplis. Per.

Beati Martyris tui, Domine, nos, quæſumus, merita proſequantur, & tuam nobis indulgentiam ſemper implorent: ut ejus ſacra natalicia & temporaliter frequentemus, & conſpiciamus æterna. Per.

Item alia.

Præſta Domine mentibus noſtris cum exultatione profectum: ut cujus diem paſſionis annua devotione recolimus, etiam fidei conſtantiam ſubſequamur. Per Dominum.

Super

(1) *Quæ heinc ſequuntur in præſenti oratione a ſuperioribus ita Mabill. diſtinguit, quaſi alteram orationem ſeorſim conſtituiſſent.*

(2) *Idem Mabill. ibi pro* quæ *repoſuit* quæſumus.

(3) *Vocem* ille *expungendam ex eo loco cenſerem, utpote quæ Librarii vitio ibidem irrepſerit.*

Super oblata.

Hoſtiam noſtram, quæſumus Domine, Sancti martyris tui & veneranda confeſſio, & exaudibilis commendet oratio. Per Dominum.

VD Quoniam a te conſtantiam fides, a te virtutem ſumit infirmitas: & quicquid in perſecutionibus ſævum eſt, quicquid in morte terribile, nominis tui facis confeſſione ſuperari. Vnde benedicimus te, Domine, in operibus tuis, teque in Sanctorum tuorum profectione laudamus. Per quem majeſtatem.

Poſt Communionem.

Quæſumus, Domine, ſalutaribus repleti myſteriis, [1] cujus ſolemnitate celebramus, orationibus adjuvemur. Per.

Item alia.

Adeſto Domine familiæ tuæ: ut quibus venerandæ Sanctis tuis præſtas benignus affectum: & vitæ mortalis concede præſidium, & ſempiternæ retributionis [2] affectum. Per.

ITEM DE VNO
Martyr.

ADſit nobis, quæſumus Domine, Beati Martyris tui ſancta precatio; quæ nos & a terrenis affectibus inceſſabiliter expediat; & cæleſtia deſiderare [3] proficiat. Per.

Sancti Martyris tui, Domine quæſumus, veneranda feſtivitas ſalutaris auxilii præſtet augmentum: ut quam prævenimus, veneranda ſolemnitas & devotione nobis augeat & ſalute. Per.

Super oblata.

Muneribus noſtris, Domine, Sancti Martyris tui feſta præcedimus: ut quæ conſcientiæ noſtræ præpedimus obſtaculis, illius meritis reddantur accepta. Per.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & intercedente Martyre tuo ab hoſtium nos defende propitiatus incurſu: ut munera noſtra commendet; noſque in ejus veneratione tuæ [4] majeſtatis reddatur accepta. Per Dominum.

VD Qui non ſolum malis noſtris bona retribuis; ſed ut miſeris uberiora dona concedas, qui digne pro nobis poſſent intercedere, contuliſti: ut quos noſtra ſcientia non habebat, [5] inceſſio ſupplicaret tibi grata juſtorum. Qui [6] humani genus de profundo mortis eripiens, captivitatem noſtram Jeſu Chriſti Filii tui Domini noſtri Paſſione ſolviſti. Per quem ita virtus antiqui hoſtis eliſa eſt, ut ejus, quem ipſe ſuperaverat, etiam Beatum Martyrem ſuum magnum faceret eſſe victorem. Cujus triumphum in die [7] quoque ſanguini ſuo ſanctificavit, colentes, in tua gloria exultamus. Per quem.

Poſt

(1) *Recte voculam ut ibi Mabill. ſupplet.*
(2) *Idem Mabill.* effectum.
(3) *Lege* perficiat.
(4) *Mabill.* majeſtati.
(5) *Lege* interceſſio.
(6) *Idem Mabill.* humanum.
(7) *Idem*, in die quem Sanguine ſuo.

Poſt Communionem.

Sumptis, Domine, Sacramentis, quæſumus;ut intercedente Beato Martyre tuo, ad redemptionis æternæ proficiamus augmentum. Per.

Sumentes gaudia ſempiterna de participatione Sacramenti, & feſtivitate Beati Martyris tui, ſuppliciter deprecamur: ut quæ ſedula ſervitute, [1] docuiſti te, gerimus, [a] dignis ſenſibus tuo munere capiamus. Per Dominum noſtrum.

ITEM DE VNO Martyr.

Omnipotens ſempiterne Deus, fortitudo certantium, & Martyrum palma, ſolemnitatem hodierni diei propitius intuere, & Eccleſiam tuam continua fac celebritate lætari: ut interceſſione Beati Martyris tui omnium te credentium vota perficias. Per.

Præſta, quæſumus, Domine Deus, ut intercedente Beato Martyre tuo, & a cunctis adverſantibus muniamur in corpore; & a pravis cogitationibus mundemur in corde. Per Dominum noſtrum.

Grata tibi ſint munera noſtra, Domine; quæ & tuis ſunt inſtituta præceptis, & Beati Martyris tui feſtivitas glorioſa [2] commendit. Per Dominum.

Suſcipe Domine Sacrificium placationis & laudis: quod nos, interveniente Sancto Martyre tuo, & perducat ad æternam [3]; & in perpetuam gratiarum conſtituat actionem. Per.

Conteſtatâ.

VD Qui Eccleſiam tuam ſempiterna pietate non deſerens, per Sanctos tuos jugiter & erudis & protegis, præcipue ſolemnitatis hodiernæ, [4] quo Beati Martyris tui paſſione conſumpta recolimus, veneramur & ad gloriam nominis tui nitimur debitis magnificare præconiis. Per quem laud.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus in honorem Beati Martyris tui.

Poſt Communionem.

Cæleſti munere ſatiati quæſumus, Domine Deus noſter: ut hæc nos dona, Martyris tui deprecatione, ſanctificent. Per Dominum.

Libantes, Domine, menſæ tuæ [5] beati Myſteria, quæſumus: ut Sancti Martyris tui interventionibus, temporalem & præſentem nobis [6] miſericordia conferant & æterna. Per.

IN NATALE Sanctorum.

Deus qui nos Sanctorum tuorum [7] cæleſtibus glorioſis circumdas & protegis; da nobis & imitatione profi-

a. dignis. *leg.* digni.

(1) *Lege*, docente te.

(2) *An* commender, *vel potius* commendat?

(3) *Aliquid ibi deſiderari patet, quod cum voce* æternam *conjungatur*.

(4) *Mabill.* qua, *& paullo inferius* paſſionem conſumptam *habet*, *non* paſſione conſumpta.

(5) *Mabill.* beatæ.

(6) *Idem*, miſericordiam conferant, & æternam.

(7) *Vocem* cæleſtibus *in alteram* confeſſionibus *eo loci Mabill. mutavit*.

Digitized by Google

proficere, & orationibus fulciri. Per.

Proſint nobis, Domine quæſumus, tuorum Martyrum ſuffragia conlata Sanctorum: ut quæ noſtris non poſſumus orationibus obtinere, placentium tibi precibus adſequamur. Per.

Super oblata.

Offerimus, Domine, preces & munera in honore Sanctorum tuorum gaudentes: præſta quæſumus, ut & convenienter hæc agere, &[1] remedii ſempiterne valeamus adquirere. Per Dominum.

Suſcipe Domine Sacrificium placationis &[2] laudis; ut benedictio tua larga deſcendat, quæ & munera noſtra, Sanctis tuis deprecantibus, tibi reddat accepta; & nobis Sacramentum Redemptionis efficiat. Per.

VD[3] Confitebuntur tibi, Domine, omnia opera tua, & Sancti tui benedicant te: quoniam gloria virtutis eorum tu es, quibus virtutem in confeſſione pugnantibus, & gloriam in paſſione vincentibus contuliſti. Qui ſummum illum Vnigeniti tui nomine coram regibus & poteſtatibus voce libera proteſtante, pretioſum tibi ſanguinem glorioſa morte ſuderunt. Clementiam tuam ſuppliciter obſecrantes, ut cum exultatione Sanctis in cæleſtis Regni cubilibus gaudia noſtra ſubjungas: & quos virtutis imitatione non poſſumus ſequi, de vitæ veneratione conjugamus affectu. Per quem.

Poſt Communionem

Purificet nos, quæſumus Domine, & divini perceptio Sacramenti, & glorioſa Sanctorum tuorum oratio. Per.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus: ut quorum[4] memoria, Sacramenti participatione, recolimus; fidem quoque proficiendo ſectemur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum.

INCIPIVNT ORAT. & Preces communes cotidianæ cum Canone.

Poſt Prophetia.

Deus, qui diligentibus te bona inviſibilia præparaſti; infunde cordibus noſtris tui amoris affectum: ut te in omnibus & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne[a] deſiderium ſuperant, conſequamur. Per Dominum noſtrum.

Coll.

Deus, qui in Sanctis habitas, & pia corda non deſeris; libera nos a terrenis deſideriis & cupiditate carnali: ut, nullo in nobis regnante peccato, tibi ſoli Domino liberis mentibus ſerviamus. Per Dominum.

a. derium ſuperant, conſequamur. Per Dominum noſtrum. *Coll.* Deus qui in ſanctis habitas, & pia cor. *Hæc verba in lacerato folio Exemplaris deſunt, ſed recentiori manu ad oram ſunt addita: ſicut & ſuperiora minori charactere exhibita.*

(1) *Idem Mab.* & remedia ſempiterna.
(2) *Mſ.* & laudes.
(3) *Mabill.* Confiteantur.
(4) *Lege* memoriam.

Ante nomina.

Protector in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum; multiplica ſuper nos miſericordiam tuam: ut te Rectore, te Duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per.

Deus virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum; inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, [1] & præſta ut in nobis Religionis augmentum, quæ ſunt bona nutrias, ac vigilanti ſtudio quæ ſunt nutrita cuſtodias.

Super oblata.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus adſume: ut quod ſinguli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad ſalutem. Per Dominum.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris:& his populi tui oblationibus precibuſque ſuſceptis, præſentiam tuæ majeſtatis interſere: ut quod ſinguli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad ſalutem.

VD Omnipotentiam tuam jugiter implorantes: ut quibus annua celebritatis hujus vota multiplicas, plenam divini cultus gratiam largiaris: & per augmenta corporea profectum clementer tribuas animarum: [2] quo ad incommutabile bonum per mutabilia dona veniamus: temporalique [3] lætitiæ & gaudia ſempiterna ſuccedant: precantes, ut Jeſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter ſua nos gratia conſequatur: & quia ſine ipſo nihil recte valemus efficere; ipſius ſemper munere capiamus, ut tibi placere poſſimus. Per quem ma.

Poſt Communionem.

Cæleſtis doni benedictione percepta, ſupplices te, Deus omnipotens, deprecamur: ut hoc idem & Sacramenti [4] cauſa ſit ſalutis. Per Dominum.

Ad Plebem.

Veniat, Domine quæſumus, [5] po ..... canti tuæ benedictionis infuſio: quæ diabolicas ab eodem repellat inſidias; quæ fragilitatem mundet & protegat; quæ inopem ſuſtentet & foveat .....

ITEM ALIA *Miſſa.*

Perpetua, quæſumus, Domine pace cuſtodi, quibus in te ſpem donaſti, & tuæ pietatis in nobis propitius dona concede: [6] ut tuis, Domine, poſſimus inhærere ſervitiis; tu nos, quæſumus, ab omni pravitate defende. Per.

Exaudi nos miſerator & miſericors Deus: & continentiæ ſalutaris propitius nobis dona concede. Per.

Deus, [7] cujus nulla poteſt conſcientia inculpabilis invenire, concede nobis tuæ pietatis auxilium: ut ope tuæ miſe-

(1) *Rectius Mabill.* & præſta in nobis Religionis augmentum, ut quæ &c.
(2) *Mſ* quod.
(3) *Denno Mſ.* lætitia.
(4) *Mabill.* cauſſa ſit & ſalutis.
(5) *Mabill.* populo ſupplicanti.
(6) *Mabill.* & ut.
(7) *Idem*, cui nulla .... inveniri.

Digitized by Google

miſerationis adjuti, a peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Per.

Præſta nobis miſericors Deus: ut placationem tuam promptis mentibus exoremus; & peccatorum veniam conſequentes, a noxiis liberemur incurſibus. Per.

Super oblata.

Suſcipe Domine, quæſumus, debitorum munera famulorum: & tuis donis purifica ſervientes pietate myſteriis; quibus etiam juſtificas ignoſcentes. Per.

Alia.

Munera Domine tibi dicata, quæſumus, ſanctifica; & per eadem nos placatus intende: [1] ut a cunctis nos reatibus & periculis propitiatus abſolve, quos tanti myſterii tribuis eſſe conſortes. Per.

Conteſtatio.

VD Vt quia tui eſt operis, ſi quod tibi placitum eſt, aut cogitamus aut agimus: tu nobis ſemper & [2] intelligi quæ recta ſunt, & exequendi tribuas facultatem. Vt non in nobis noſtra malitia, ſed indulgentiæ tuæ præveniat ſemper affectus, [3] qui noxiis voluptatibus indeſinenter expediat; & a mundanis cladibus dignanter eripiat. Per quem maje.

Poſt Communionem.

Myſteria ſancta nos, Domine, & [4] ſacrificiis expleant alimentis; & corporalibus tueantur auxiliis. Per Dominum noſtrum.

Item alia.

Da veniam Domine peccatis noſtris: & medicinalibus ſacrificiis expiatos, ab omni pravitate defende. Per.

ITEM ALIA MISSA.

Poſt Prophetiam.

DEus, qui nobis omnipotentiam tuam parcendo maxime & miſerendo manifeſtas; multiplica ſuper nos gratiam tuam: ut ad tua promiſſa currentes, cæleſtium bonorum facias eſſe conſortes. Per.

Poſt Precem.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ [5] & meritis ſupplicum excedis & vota; effunde ſuper nos miſericordiam tuam: ut dimittas quæ conſcientia metuit, & adjicias quod [6] orationem præſumit. Per Dominum.

Ante nomina.

Omnipotens ſempiterne Deus adeſto propitius invocationibus noſtris: & quia

(1) *Idem*, & a cunctis.
(2) *Idem*, intelligendi.
(3) *Idem Mabill.* qui nos a noxiis.
(4) *Lege* ſacrificii, *vel cum Mabill.* ſacrificis.
(5) *Potius* & merita.
(6) *Mabill.* quod oratio non præſumit.

quia ſine te nihil poteſt mortalis infirmitas; præſta auxilium gratiæ tuæ, ut in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione pariter placeamus. Per Dominum.

Creaturarum omnium Auctor Deus & Domine, qui univerſa per coæternum tibi Filium, cooperante Sancto Spiritu, condidiſti; da populis tuis ſcire quod præcipis, cuſtodire quod præſtas: ut & tua inſpiratione credaris, & noſtra ſemper voce lauderis. Per Dominum.

Super oblata.

Deus, qui legalium differentias hoſtiarum unius Sacrificii perfectione ſanxiſti; accipe Sacrificium a devotis tibi famulis; & pari benedictione, ſicut munera Abel, ſanctifica: ut quod ſinguli obtulerunt ad majeſtatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad ſalutem. Per Dominum.

Suſcipe munera, quæſumus, Domine, quæ tibi de tua largitate deferimus: ut hæc ſacroſancta myſteria, gratiæ tuæ operante virtute, præſentis vitæ nos converſatione ſanctificent, & ad gaudia ſempiterna perducant. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

VD Vt Filius tuus Jeſus Chriſtus, qui ſe uſque in finem ſæculi ſuis fidelibus promiſit adfuturum, & præſentiæ corporalis myſteriis non deſerat quos redimit; & majeſtatis ſuæ beneficiis non relinquat. Vt qui te auctore ſubſiſtimus, te diſpenſante, dirigamur: non noſtris ſenſibus relinquamur; ſed ad tuæ reducti ſemper tramitem veritatis, hæc ſtudeamus exercere, quæ præcepis, ut poſſimus dona percipere, quæ promittis. Per Dominum noſtrum. Per quem laudant.

Poſt Communionem.

Sumpti Sacrificii perpetua nos tuitio non relinquat; & noxia ſemper a nobis cuncta depellat. Sancta tua nos, Domine quæſumus, & vivificando renovent, & renovando vivificent. Per Dominum.

Ad Plebem.

Benedictio, Domine quæſumus, in tuos fideles copioſa deſcendat: & quam ſubjectis cordibus expetunt, largiter conſequantur: quoniam ſicut ſuperbis reſiſtis; ſic humilibus tuis gratiam benignus impendis. Per.

ITEM ALIA MISSA.

Poſt Prophetiam.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus: ut viam tuam devota mente currentes, ſubripientium delictorum laqueos evadamus. Per.

Poſt Precem.

Eccleſiam tuam Domine, quæſumus, perpetuo guberna moderamine: ut adſit ei & in ſecuritate cautela, & inter aſpera fortitudo. Per Dominum noſtrum.

Ante nomina.

Præſta, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus: ut inter hujus vitæ caligines ne ignorantia fallente mergamur; nec præcipiti ſtudeamus voluntate

luntate peccare:[1] ſed cui fiduciam ſperardæ pietatis indulges, optatæ miſericordiæ præſta benignus effectum.

Pateant aures miſericordiæ tuæ, Domine, precibus ſupplicantium: ut & petentibus deſiderata concedas, fac tibi eos, quæſumus, placita poſtulare. Per Dominum.

Super oblata.

Deus, cui omnium ſacrificiorum varietate finita, Hoſtiam nunc offerimus ſingularem; adeſto votis tua inſpiratione conceptis: ut in te ſperantium & deſideria jubeas perfici, & peccata deleri. Per Dominum.

Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, ſpiritalem tibi, ſumme Pater, Hoſtiam ſupplici ſervitute deferimus: quæ miro ineffabilique myſterio & immolatur ſemper, & eadem ſemper offertur: pariterque & devotorum munus, & remunerantis eſt præmium. Per Dominum.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut noſtris deſideriis expeditos, devotionem tibi nos liberam atque oblationem offerre concedas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

VD Verbum tuum tibi per omnia coæternum. Qui ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens: factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, in qua pius Sanguis in remiſſionem fuſus eſt peccatorum. Venit enim animam ſuam dare redemptionem pro multis, rediturus utique perenne fidei præmium, pro quibus ſuſtinuit Crucis opprobrium. Bona quippe & mala erunt æterna, quæ dabit judicaturus: qui bona & mala temporalia contemni docuit judicatus. Non enim aliter natura delinquit humana, niſi aut amando quæ ipſe contempſit, aut timendo quæ ipſe ſuſtinuit. Unde nos tua providentia regi, tua nos redemptos gratia gubernari, nullum eſt certius documentum; quam ejus evidentia naſcentis, patientia morientis, potentia reſurgentis. Per Dominum.

INCIPIT CANActionis.[2]

SVrſum corda. *Reſ.*[3] Habeamus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt.

VEre dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare eſt, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes,[4] trement Poteſtates; cæli cælorumque Virtutes ac beata Syrafin ſocia exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

TE igitur, clementiſſime Pater, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum ſupplices rogamus & petimus: uti acceptu habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta Sacrificia inlibata: in primis quæ

(1) *Mabill.* ſed quibus.

(2) *De ea Canonis inſcriptione vide quæ fuſe diximus ſuperiori pag.* 172.

(3) *Mabill.* Habemus.

(4) *Mabill.* tremunt.

quæ tibi offerimus pro tua ſancta Eccleſia Catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare & regere digneris toto orbe terrarum, una [1] cum omnibus orthodoxis atque Apoſtolicæ fidei cultoribus. Memento Domine famulorum famularumque tuarum & omnium circumadſtantium; quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio: [2] qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro ſe, ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ: tibi reddunt vota ſua æterno Deo vivo & vero. Communicantes ſed & memoriam venerantes in primis glorioſæ ſemper Virginis Mariæ Genitricis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed & Beatorum Apoſtolorum, ac Martyrum tuorum Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi, Johannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Tathæi, Lini, Ancleti, Clementis, Syſti, Cornili, Cypriani, Laurenti, Criſogoni, Johannis, & Pauli, Coſmæ & Damiani, Helarii, Martini, & omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibuſque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ ſed & cunctæ familiæ tuæ (quâ tibi offerimus in honore Domini Beati Martiris tui *illi* & pro peccatis atque offenſionibus noſtris; ut omnium delictorum noſtrorum remiſſionem conſequi mereamur) quæſumus, Domine ut placatus ſuſcipias: [3] dieſque noſtros in tua pace diſponas; atque ab æterna damnatione nos eripias; & in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæſumus, [4] benedictam, aſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere dignare: quæ nobis Corpus & Sanguis fiat dilectiſſimi Filii tui Domini autem Dei noſtri Jeſu Chriſti. Qui pridie quam pateretur, accipit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas; elevatis oculis ſuis ad cælum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem, tibi gratias egit; benedixit, fregit, dedit diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & manducate: Hoc eſt enim Corpus meum. Simili modo poſtquam cœnatum eſt, accipit & hunc præclarum Calicem in ſanctas & venerabiles manus ſuas; item tibi gratias agens, benedixit, dedit Diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & bibite [5] ex hoc omnes. Hic eſt enim calix Sanguinis mei, novi & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hæc quotienſcumque feceritis, in Mei memoriam facietis. Inde & memores ſumus, Domine, nos tui ſervi, ſed & plebs tua ſancta Chriſti Filii tui Domini noſtri tam beatæ Paſſionis, necnon & ab inferis Reſurrectionis, ſed & in cælos glorioſæ Aſcenſionis: offerimus præclaræ Majeſtati tuæ de tuis donis ac datis hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, Panem ſanctum vitæ æternæ,

(1) *Deeſt ibi expreſſa Romini Pontificis, & Epiſcopi mentio.*

(2) Deeſt hic, ut in multis aliis, quod nunc hoc loco inſerimus, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi &c. Mabill. Videantur quæ monuimus not.* (4) *ad pag.* 173.

(3) dieſque noſtros &c. *Verba a B. Gregorio Magno* Canoni *addita.*

(4) *Confer not.* (2) *pag.* 174.

(5) ex hoc omnes, *quod paullo ſuperius in panis conſecratione omittitur.*

æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ. Supra quæ propitio ac ſereno vultu aſpicere dignare, & [1] acceptu habere: ſicuti acceptu habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam. Supplices te rogamus & petimus, omnipotens Deus: jube perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublimi Altari tuo, in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ: ut quotquot ex hoc Altari ſanctificationis ſacroſanctum Filii tui Corpus & Sanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti & gratia repleamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

[2] Memento etiam Domine & eorum (*Nomina*) qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei; & dormiunt in ſomno pacis. Ipſis, Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur: per Chriſtum Dominum noſtrum. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam & ſocietatem donare digneris.

Cetera deſunt.

INDEX

(1) *Mabill. & accepta.*

(2) *Vide quæ adnotata ſunt nobis ſuperiori pag. 175, not. (2)*

Digitized by Google

INDEX CAPITVLORVM

Hujus Missalis Francorum.

I. De ſacris Ordinibus. 341
II. Benedictio Oſtiarii. *ibid.*
III. Benedictio Acolythi. 342
IV. Præfatio & Benedictio Lectoris. *ibid.*
V. Præfatio & Benedictio Exorciſtæ. *ibidem.*
VI. Allocutio ad Subdiaconum ordinandum. 343
Præfatio, & Benedictio ejuſdem. *ibidem.*
VII. Allocutio ad populum in ordinatione Diaconi. *ibidem.*
Oratio ad Diaconum ordinandum. 344
Ejuſdem conſecratio. *ibidem.*
Item Benedictio. 345
VIII. Allocutio ad populum in ordinatione Preſbyteri. *ibidem.*
Oratio ad Preſbyteros ordinandos. 346
Eorumdem Conſecratio. *ibid.*
Item Benedictio. 347
Conſecratio manus. *ibid.*
IX. Exhortatio ad populum cum Epiſcopus ordinatur. 348
Orat. & preces de Epiſcopis ordinandis. *ibid.*
Eorumdem Conſecratio &c. 349
X. Benedictio ſuper Virgines. 351
Conſecratio Virginum. *ibid.*
XI. Benedictio veſtimentorum Viduæ. 352
Conſecratio Veſtium. *ibid.*
Benedictio Viduæ quæ fuerit caſtitatem profeſſa. 353
XII. Conſecratio Altaris 354
Ejuſdem Benedictio. *ibid.*
Præfatio & benedictio Linteaminum. *ibid.*
Ad conſecraodam Patenam. *ibid.*
Ad Calicem conſecrandum. 355
Ad omnia. *ibid.*
Præfatio & Benedictio Chriſmalis. *ibid.*
XIII. Orat. & Preces pro Regibus. 356
XIV. Orat. & Preces in Natl. S. Hilarii. 357
XV. Orat. & Preces unius Martyris. 358
XVI. Item de uno Martyre. 359
XVII. Item de uno Martyre. 360
XVIII. In Natale Sanctorum. *ibid.*
XIX. Orat. & Preces communes quotidianæ. 361
XX. Item alia Miſſa. 362
XXI. Item alia Miſſa. 363
XXII. Item alia Miſſa. 364
XXIII. Canon Actionis. 365

MISSALE

MISSALE GALLICANVM VETVS

Miſſa S. Germani Epiſcopi. [1]

Venerabilem diem, atq; ſublimem, Fratres K̃mi, prompta devotione celebremus, miſericordiam Domini noſtri ſupplicitér orantes: ut Beatiſſimi Germani Antiſtitis & Confeſſoris ſui, cujus exemplo miramur, & ſi æquari factis ejus non poſſumus; ſaltem veſtigia ſequi, & fidem nobis contingat imitari. Per Dñm.

Collectio.

Gratias tibi agimus, omnipotens Deus, pro virtutibus Beatiſſimi Germani Antiſtitis tui: quas ei Pater omnipotens non immerito tribuiſti; quia te Apoſtolica confeſſione rebus omnibus plus amavit. Diſcuſſit a ſe divitias, ut paupertate ſpiritus cælorum regna conſcenderet. Manſuetudinem tenuit, ut terram ſui corporis ſpiritaliter poſſideret. Lugere delectatus eſt in ſæculo, ut cæleſtem conſolationem ex muneris tui largitate perciperet. Juſtitiam eſurivit adque ſitivit, ut tuis ſaturaretur eloquiis. Eleemoſynam jugiter fecit, ut indeſinenter non tantum ſibi, ſed & cæteris pietatis tuæ miſericordiam obtineret. Puritatem cordis habuit, ut te videret. Fidem ſervavit, ut filiis tuis fraterna ſe participatione conjungeret. Per cujus interventum precamur, qui illum bono........ plis. Per Dominum.

Cod. Sacram.
a. *Adde Collectio ad pacem.*

Coll.........

Auditis nominibus offerentum, indeficientem divinam clementiam deprecemur: ut has oblationes plebis, quas in honore beatiſſimi Germani Antiſtitis & Confeſſoris offerimus,[2] ſignatum diem hodiernæ ſolemnitatis celebremus cum inconcuſſa fidei libertate, quam ille conſtanti mente defendit: precantes, ut robur patientia ejus....................

....

Oremus etiam & pro ſpiritibus carorum noſtrorum, (quorum idem omnipotens Deus & numerum novit & nomina) ut omnium memoriam faciat, omnium peccata dimittat. Per Dominum noſtrum.

.[a]..........

Deus, pro cujus [3] ſacrum nomen Beatus Germanus Antiſtes tuus deſideravit [4] perſecutionem propter juſtitiam:

(1) *Antiſſiodorenſis, qui obiit anno renovata per Chriſtum legis* CCCCXLVIII.

(2) *Eo in loco aliquid deſiderari, quod veteri Librario exciderit, recte eſt Mabill. obſervatum.*

(3) *Lege* ſacro nomine.

(4) *Verbum pati eo loci interponitur a Mabill.*

tiam : ut & ſi Martyrium non perferret , fide tamen pertenderet : nec timeret odiis hominum & maledictionibus ſubjacere , dummodo mercedem copioſam conſequeretur in cælo ; & ad illas beatitudines Euangelicas [1] perveneret : te per hujus interventu precamur, ut pacem, quam ; te jubente , dilexit in ſæculo , perpetualiter Eccleſiæ poſſidendam tribuas in futuro . Per Dominum noſtrum .

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt. Vere æquum & juſtum eſt , nos tibi gratias agere : pietati tuæ in honore ſummi Sacerdotis tui Germani Epiſcopi & Confeſſoris gratias agere , laudes canere , vota perſolvere ; ejuſque enarrare virtutes, quas ei Domine Pater omnipotens non immerito tribuiſti : quia te Apoſtolica confeſſione rebus omnibus plus amavit . Diſcuſſit a ſe divitias , ut paupertate ſpiritus cælorum regna conſequeretur ; Manſuetudinem tenuit , ut terrena ſui corporis ſpiritaliter poſſideret . Lugere delectatus eſt [2] ſæculo , ut [3] cæleſtis conſolatione ex munere tuo largitudinemque perciperet . Juſtitiam eſurivit atque ſitivit , ut tuis ſaturaretur eloquiis . Eleemoſynam jugiter fecit , ut indeſinenter non tantum [4] ſui , ſed cæteris pietatis tuæ miſericordiam obtineret . Puritatem cordis habuit , ut te videret . Pacem ſervavit , ut filiis tuis [5] fraterna participationem conjungeret . Deſideravit pati perſecutionem propter juſtitiam , ut ſi Martyrium non perferebat , fide tamen pertenderet ad coronam : nec timuit omnium modis maledictionem ſubjacere , dummodo mercedem copioſam conſequeretur in cælo . Dilexit te , Domine , ex toto corde & ex tota mente , ex tota anima ſua , & [6] proximo ſuo tamquam ſeipſum : ut ſecundum quod in his duobus mandatis univerſa Lex & Prophetæ pendebat; ad eas quas [7] delixemus Euangelicas Beatitudines perveniret . Et quia tu Domine Jeſu Chriſte Apoſtolis tuis dixeras ; ut euntes per univerſum mundum , [8] & univerſæ creaturæ Evangelio prædicare , virtutes effecirunt : [9] hæc tuos devotiſſimus Germanus Epiſcopus Tartarum, eorum veſtigiis ſubſecutus , per totas Gallias,

(1) *In Mſ. membrana habemus* pervenerit ; *lege* perveniret .

(2) *Mabill.* in ſæculo .

(3) *Idem Mabill.* ut cæleſtem conſolationem ex muneris tui largitudine perciperet .

(4) *Mabill.* ſibi , *non* ſui

(5) *Mabill.* fraterna ſe participatione conjungeret.

(6) *Lege* & proximum ſuum .

(7) delixemus *ita mendoſe in veteri libro . Mabill. ejus vocis loco repoſuit* diximus .

(8) *Expuncta ibi vocula* & *Mabill. locum hac ratione caſtigat ſcribens* : univerſæ creaturæ Euangelium prædicarent , & virtutes efficerent .

(9) *Vir apud Gallos ſingulari doctrina noſtra hac ætate præclarus D.* le Beuf, *in epiſtola ad ampliſſimum Cardinalem Paſſionei , data Nonis Junii anni* ɔIↄIↄCCL, *opinatur eo in loco legendum eſſe* : hic tuus devotiſſimus Germanus Epiſcopus Auturicorum veſtigiis ſubſecutus , per totas Gallias , Roma , in Italia (*ſeu* Etalia) , in Bretannia , annis triginta corpore afflictus jejuniis , jugiter in tuo nomine prædicavit . *Civitas quæ gallice vocatur* Auxerre, *antiquitus dicebatur* Auturicum , *deinde compendii cauſſa* Autricum . *Hinc apud Sammarthanos in Gallia ſacra Tom.* II, *pag.*266. *legimus Amatorem , qui in ſede Autiſſiodorenſi præceſſerat Germanum noſtrum , ſepultum fuiſſe* in monte Autrico, *qui tamen locus apud Bollandiſtas in vita ejuſdem Amatoris circa finem dicitur* Altricus . *Igitur* Auturicorum veſtigiis ſubſecutus *legendum , non* Tartarum eorum : *hoc eſt* Amatoris aliorumque ſanctiſſimorum veſtigiis ſubſecutus . Jejuniis *etiam, loco* Junuis *eſſe ponendum contextus ipſe expoſtulare videtur* .

Gallias, Roma, [c] inectalia, in Brettania annis triginta corpore adflictus, Januis jugiter in tuo nomine prædicavit: hæreſes abſtulit: adduxit populum ad plenam & integram fidem, ejecit dæmones, mortuos ſuſcitavit, ægris reddidit priſtinam ſanitatem; implevitque omnia ſigna, virtutes utique adeptus. Sic cœpit, ut creſceret. Sic pugnavit, ut vinceret. Sic conſummavit, ut mortis tenebras præteriret; Martyriis ſe conjungeret, ſtolam cum centeſimo fructu perciperet, & vita hac [2] Regnum inhabitaret æternum. Quod credentes, Deus Pater omnipotens, ſupplices exoramus: ut in ejus apud te patrociniis & interceſſionibus pietati tuæ commendati, nos in omnibus [3] tua miſericordia conſequamur, Angelica te exultatione laudantes & dicentes. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*.

Collectio poſt Sanctus.

Benedictus plane, qui venit in nomine Domini: benedictus Deus Rex Iſraël, pax in terra, gloria in excelſis [4] Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum. Qui pridie quam pateretur.

Poſt Secreta.

Deſcendat, precamur omnipotens Deus, [5] ſupplices hæc, quæ tibi offerimus, Verbum tuum ſanctum; deſcendat inſtimabilis Gloriæ tuæ Spiritus; deſcendat antiquæ indulgentiæ tuæ donum: ut fiat oblatio noſtra hoſtia ſpiritalis [6] odorem ſuavitatis accepta: etiam nos famulos tuos per Sanguinem Chriſti tua manus dextera invicta cuſtodiat. Per Dominum.

Coll. ante Orationem.

Agnoſce Domine verba, quæ præcepiſti, ignoſce præſumptioni, quam imperaſti: ignorantia eſt non noſſe merito: contumacia eſt non ſervare mandatum, [7] qui dicere iubere. *Pater*. Per Dominum noſtrum.

Coll. poſt Orationem.

Libera nos a malis omnibus, Autor bonorum Deus: ab omni temtatione, ab omni ſcandalo, ab omni opere tenebrarum; & conſtitue nos in omni bono. Et da pacem in diebus noſtris Autor pacis & caritatis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Coll. poſt Eucharistia.

[8] Sumſiſſe ex ſacris Altaribus Chriſti Domini ac Dei noſtri Corpus & Sanguinem ... [a] credentes, unitatem Beatæ

a. Credentes. *leg.* non credentes. *ſed liquido conſtat mendum eſſe librarii ex ſequenti oratione, aliiſque poſt Communionem Collectionibus ipſiuſmet Miſſalis bujus*.

(1) Lege *in Italia*. Infra *Januis*, quid illud? an de Genua intelligendum, quæ urbs *Janua* non raro appellatur. Hoc vocabulum Cardinalis Bona omiſit, ſicut & *Tartarum* ſupra. *Mabill.*

Conſule ſuperiorem proxime adnotationem, quo menda illa corriguntur.

(2) & vita hac peracta *ſupplet Mabill.*

(3) *Lege* tuam miſericordiam.

(4) *Mabill.* Per Dominum &c.

(5) Super *nos* ſupplices *ibi recte poſuit Mabill.*

(6) *Supple vocula* in, *&* lege in adorem.

(7) *Mabill.* quo dicere jubemur.

(8) *Mabill.* Sumſimus.

tæ Trinitatis oremus: ut ſemper nobis fide plenis, eſurire detur ac ſitire juſtitiam, [1] ſicqui opus ejus, confortati ſalutaris eſcæ gratia,faciamus; [2] ut non judicio ſed in remedio Sacramentum quod accepimus, habeamus. Per Dominum Jeſum Chriſtum.

Coll.

a Aſpice Domine, qui & tuo veſci Corpore, & tuum corpus effici vis fideles: fac nobis in remiſſionem peccatorum eſſe quod ſumpſimus: adque ita ſe animæ noſtræ Divina alimonia per benedictionem tuam facta permiſceat; ut caro ſpiritui ſubdita, & in conſenſum pacificum ſubjugata obtemperet, non repugnet per Spiritum Sanctum: qui in unitate Patris & Filii coæternus vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

PRAEF. AD VIRGINEM benedicendum. [3]

FAventes, dilectiſſimi Fratres, his virtutibus, quas præſtare paucorum eſt, Deum ſemper pudicitiæ caſtitatiſque cuſtodem acceptis eidem precibus oremus: ut hanc famulam ſuam omnibus ſæculi inlecebris liberam carnalibus, ac ſpiritu integram, Regis æterni [4] thalamum reſervandam, addita cæleſtis propoſiti virtute corroboret: & ad ſexageſimum fructum, quæ [5] proprii devotionis præſumit, addat [6] ad ſua libertate centeſimum. Per Dominum.

Coll. ejuſdem.

Omnium quidem laudum atque virtutum, ſed præcipue caſtitatis adſertor, cuſtos, auxiliator, effector, [7] decata tibi in ſanctis corporibus pariter ac mentibus puritatis: qui Virginitatem ideo plus intues & diligis, quia tibi origo Virginitas: quique in hunc mundum natus ex Virgine, id in aliis probas, quod in matre elegiſti: adque ideo aptiſſime tibi ſponſo [8] Vir ſponſam Virginem dedicamus. Tu Domine tribue hanc Puellæ jam tuæ ſemper optabilem magno propoſito perſeverantiam, & contra multiformis inimici [9] inſtantia ſpem agitantes inſidias indeflexam, inexpugnabilemque conſtantiam: ut tibi debeat [10] feuce conſummatione, quæ jam ante habuit [11] bona voluntatem. Per Dominum.

PRAEF. VIDUALIS.

DEus rerum omnium, Deus noſter, qui inter cætera documenta virtutum [12] ſalutem noſtre caſtitatis vigorem reparaſti: ut Sancti Spiritus domicilium fieret pro [13] viduitatem conſervatione, atq; ut iſto figuretur [14] exemplum, Majeſtatis Verbum parituram fœcundatam [15] pretioſa: ut hæc famu-

a. Aſpice. *leg.* Chriſte.

(1) *Mabill.* ſicque.
(2) *Lege*, ut non in judicium, ſed in remedium &c.
(3) *Vide an & præſenti loco conveniant, quæ diximus ſupra ad pag.* 123, *not.* (1) *de Gelaſii Codice agentes. Conferatur & Miſſale Francorum, ſuperiori pag.* 351. (4) *Lege* thalamo.
(5) *Mabill.* propria devotione.
(6) *Expungenda ex eo loco præpoſitio* ad.
(7) decata *Mabill.* decorata.
(8) Legendum videtur, *Sponſo Virginum. Mabill.*
(9) *Lege* inſtantiam.
(10) feuce conſummatione, *Mabill. ait* felicem conſummationem. (11) *Corrige* bonam.
(12) *Mabill.* ſalutem noſtram caſtitatis vigore.
(13) *Mabill.* pro viduitatis conſervatione.
(14) *Legerem potius* exemplo.
(15) *Mabill. vocem* pretioſa *mutavit in verbum* præſta.

famula tua, quæ conſcientiam ſuæ puritatis ſpondet, te cuſtode adque rectore, conſervata & inviolata permaneat: quia noſtrorum nihil magnum eſt [1] voluiſſis, quod te non fuerit cuſtodiente perfectum. Per Dominum.

Benedictio Vidualis.

Deus, qui Annam filiam Fanuelis [2] ....

Deſunt hic folia.

. . . .

Deus, qui creaturæ tuæ miſereri potius eligis, quam iraſci; cordis noſtri infirma conſidera, & tuæ nos gratia pietatis inluſtra. Per Dominum.

INCIPIT MISSA de Adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti.

EXcita potentiam tuam Domine, & veni: & quod Eccleſiæ tuæ uſque in finem ſæculi promiſiſti, clementer operare. Per.

Collectio ſequitur.

Excita, quæſumus, Domine corda noſtra ad præparandas Unigeniti tui vias: ut per ejus Adventum purificatis tibi ſervire mentibus mereamur. Per.

Poſt nomina.

Placare Domine, quæſumus, humilitatis noſtræ precibus & hoſtiis: & ubi nulla ſuppetunt ſuffragia meritorum, tuæ nobis indulgentiæ ſuccurre præſidiis: & eorum nomina, qui nos præceſſerunt [3] cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis, ipſis & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur. Per.

Collectio ad Pacem.

Grata tibi ſint, Domine, munera, quibus myſteria celebrantur noſtræ libertatis & vitæ: & qui unitate lætaris, tribue nobis fidem integram, pacem perpetuam, caritatem puram. Per.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt: [4] Deus. Cui proprium eſt ac ſingulare, quod bonus es, & nulla unquam a te es commutatione diverſus. Propitiare ſupplicationibus noſtris; & Eccleſiæ tuæ miſericordiam tuam, quam confitentur, oſtende, manifeſtans plebi tuæ Unigeniti tui mirabile Sacramentum: [5] & univerſitate nationum perficiatur, quod per Verbi tui Euangelium promiſiſti: & habeat plenitudo adoptionis, quod prætulit teſtificatio veritatis. Per.

Poſt hæc: Hanc igitur obl.

Benedictio Populi.

Da, quæſumus, omnipotens Deus cunctæ familiæ tuæ hanc voluntatem in Chriſto Filio tuo, Domino noſtro venien-

(1) *Corrige*, voluiſſe.

(2) Integra ſupra in Miſſali Francorum num. xi *Mabill.*

Adeatur ſuperior pag. 353, col. 1.

(3) Hæc verba in Canone Ordinis Romani ſeu Gregoriani. *Mabill.*

(4) *Ex eo loco aliquid excidiſſe opinatur Mabillonius.*

(5) *Mabill.* ut univerſitate, *mutata vocula & in alteram* ut.

venienti in operibus juſtis aptos occurrere: ut ejus dexteræ ſociati, Regnum mereantur poſſidere cæleſte. Quod ipſe præſt.

Collec. poſt Communionem.

Animæ noſtræ, quæſumus omnipotens Deus, hoc [1] potientur deſiderio; ut a tuo Spiritu inflammentur: ut ſicut lampades divino munere ſatiati, ante conſpectum venientis Chriſti Filii tui velut clara lumina fulgeamus. Per.

Coll. ſequitur.

Repleti cibo ſpiritalis alimoniæ, ſupplices te deprecamur, omnipotens Deus: ut hujus participatione Myſterii doceas nos terrena deſpicere, & amare cæleſtia: adque omni nexu mortiferæ cupiditatis exutos, regno perpetuæ libertatis conſortes efficias. Per. Dominum noſtrum.

ITEM MISSA
de Adventu Domini
noſtri Jeſu Chriſti.

Excita, quæſumus, Domine corda noſtra ad præparandas Vnigeniti tui vias: ut per ejus Adventum purificatis tibi ſervire mentibus mereamur.

Collec.

Conſcientias noſtras, quæſimus, omnipotens Deus cotidie viſitando purifica: ut veniente Domino Filio tuo, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem. Per.

Coll. poſt nomina.

Fac nos, quæſumus, Domine Deus noſter pervigiles adque ſollicitos Adventum expectare Chriſti Filii tui Domini noſtri: ut dum venerit pulſans, non dormientes peccatis, ſed vigilantes, & in ſuis inveniat laudibus exultantes: cariſque noſtris, quorum nomina recitata ſunt, placita requies, ſecura expectatio, reſurrectio deſiderata contingat.

Ad Pacem.

Sacrificium tibi Domine celebrandum placatus intende: quod & nos a vitiis noſtræ conditionis emundet, & tuo nomini reddat acceptos: & communicatio præſentis oſculi perpetuæ proficiat caritati. Per Dominum.

Immolatio nunc.

Vere dignum & juſtum eſt, nos tibi hic & ubique ſemper gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Cui proprium eſt veniam delictis impendere, quam pœnaliter imminire. Qui fabricam tui operis per eumdem rurſus lapidem es dignatus erigere; ne imago, quæ ad ſimilitudinem Tui facta fuerat vivens, diſſimilis haberetur ex morte. Munus venialis indulgentiæ præſtitiſti: ut unde mortem peccato contraxerat, inde vitam pietas repararet immenſa. Hæc poſtquam Prophetica ſæpius vox prædixit; & Gabrihel Angelus Mariæ jam præſentia nunciavit: mox Puellæ credentis in utero, fidelis Verbi manſit

(1) *Mabill.* potiantur.

Digitized by Google

ſit aſpirata conceptio: & illa proles naſcendi ſub lege latuit, quæ cuncta ſuo naſci nutu conceſſit. Tumebatur Virginis ſinus; & fœcunditate ſuorum viſcerum corpus mirabatur intactum. Grande Mundo ſpondebatur auxilium, fœminæ partus ſine viro myſterium; quando nullius maculæ nebula fuſcata tenſo nutriebat ventre præcordia, mox futura ſui Genitrix Genitoris. Per quem omnes Angeli.

Collectio poſt Sanctus.

Vere Sanctus, vere Benedictus, Domine Deus Pater omnipotens, ſalus credentium, & omnium Redemptor in Chriſto. Per quem te deprecamur & quæſumus: uti hanc oblationem gratam adque acceptabilem ſuſcipere, benedicere ac ſanctificare digneris: quam tibi offerimus pro pace Eccleſiæ tuæ, pro Sacerdotum tuorum & Miniſtrorum omnium puritate, pro ſtatu loci hujus adque omnium habitantium in eo, pro votis adſtantium, & omnium commemoratione Sanctorum, ac pro requie defunctorum. Per ipſum Dominum noſtrum. Qui pridie quam pro noſtra & omnium ſalute pati dignaretur.

Collectio poſt Secreta.

Deſcendat, precamur, omnipotens Deus ſuper hæc, quæ tibi [1] offeremus, Verbum tuum ſanctum; deſcendat inæſtimabilis gloriæ tuæ Spiritus; deſcendat antiquæ indulgentiæ tuæ donum: ut fiat oblatio hæc Hoſtia ſpiritalis in odorem ſuavitatis accepta: etiam nos famulos tuos per Sanguinem Chriſti tua manus invicta cuſtodiat. Per Dominum.

Coll. ante Orationem Dominicam.

Conſcientiarum noſtrarum errore ſuſpecti, vel peccatorum recordatione confuſi, omnipotens Deus, indignos nos ad invocationem tui nominis judicamus; ut orationem, quam præcepiſti, dicere audeamus: ſed quia permittis, & dicimus. *Pater noſter.*

Coll. poſt Orationem Domin.

Libera [2] nos ab omni malo omnipotens æterne Deus: & quia tibi ſoli eſt præſtandi poteſtas, tribue, ut hoc ſolemne ſacrificium ſanctificet corda noſtra, dum creditur; deleat peccata, dum [3] ſumetur. Per Dominum.

Collectio poſt Communionem.

Gratia tua Domine, quæſumus, populum ſupplicem benignus inluſtra; & donorum tuorum largitate proſequere: ut a malis omnibus, te protegente, defenſos, ad ineffabile Myſterium ſpiritaliter celebrandum & mente præparetur & corpore. Per.

Collect.

Sumptis muneribus, Domine, quæſumus: ut cum frequentatione myſterii creſcat noſtræ ſalutis affectus. Per.

Bene-

(1) *Lege* offerimus.

(2) Eadem oratio in Miſſa xxxv Miſſalis Gothici, ſupra. *Mabill.* *Vide pag. ſuperiorem* 332 *col.* 1.

(3) *Mabill.* dum ſumitur.

Benedictio Populi.

Gregem tuum Paſtor bone placatus intende: & oves quas pretioſo Sanguine Filii tui redemiſti, diabolica non ſinas incurſione lacerari. Per.

Item alia Benedictio.

Preces populi tui, quæſumus Domine, clementer exaudi: ut qui de Adventu Vnigeniti tui ſecundum carnem lætantur; in ſecundo cum venerit in majeſtate ſua, præmium æternæ vitæ percipiant. Quod ipſe præſtare dignetur, qui vi.

PRAEFATIO AD VESPERVM Natalis Domini.

DEus, qui omnium mirabilium & virtutum pius es effector; qui omnia auxilia contra audaciam inimici ipſe credentibus præſtas; qui Sarram ſterilem, Annam de ſucceſſione triſtantem, adque Heliſabeth ſenectute provectam Sanctorum hæreditate dediſti; ſingulis præmium partus in ſucceſſione reſtituens: ut Iſaac admoveretur holocauſtum; Samuhel clamaretur in templo; Johannes prophetaret ex utero. Deus, qui excellentem gloriam novitatis oſtendens, ſupra hanc magnitudinem quam donaſti omnibus terrenis, & quod erat pretioſus præſtaſti: ut per Spiritum Sanctum ſervi ſponſa conciperet; & paritura Dominum ſuum Virgo Maria portaret: & per eam lumen ſæculi natum, Angelo nunciante Paſtoribus, ſollicitudo cognoſcit; offerendum eum in Jeruſalem Mater adducit; Simeon quoque in manu ſua eum ſuſcepit adque benedixit; & prolata in jejuniis Anna conlaudat: per cæleſtis exercitus præconium clamoris extollit, dicens: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus Bonæ Voluntatis. Et Magis ſtella novi fulgoris innotuit mirum in nativitate myſterium, creaturæ Dominus adoratur: in munere aurum offertur: uno denique momento Regnum, Sacrificium, Sepultura, adque omnia tempore ſuo ratione complentur: diverſo apice litterarum in Titulum dignitatis Pilatus obſequitur: & ipſe pro nobis Hoſtia viva, ut nos ſalvaret offertur: per Joſeph ſepultura ſancti Corporis impetratur. Implentur ergo omnia: ac nos de plenitudine ejus impleti ſumus; & accipimus gratiam pro gratia. Implentur ergo omnia laudibus, cælum & terra ſignis & prodigiis; & ipſe inferni terroribus deſcendit: per ipſum inimicus occiditur, reſurrectio in carne monſtratur, liber vitæ perennis aperitur. Veniamus ergo ad eum omnes, qui onerati ſumus peccatis: quia jugum ejus ſanctum, ſuave; adque onus ejus leve eſt. Nemo formidet vel dubitet: non taurorum aut hircorum ſanguis expetitur; ſed in ſimplicitate cordis ſacrificium laudis poſtulatur. Hæc ergo Deus in nobis, ad nationes nationum celebratiſſimam noctem, ideſt Nativitatem Filii ſui, propiti..us nobis indulgeat: ſanctificet Eccleſiam; ædificet Sacerdotes [1]; exaltet Seniores;

(1) *Sacerdotes*, id eſt Epiſcopos; *Seniores*, id eſt Presbyteros. ſupra in Miſſali Francorum num VIII, ubi de ordinatione Presbyteri, *probet ſe eſſe Seniorem.* *Mabill.*

Conſule ſuperiorem pag. 347 *col.* 1, *in* Benedictione *Presbyteri.*

res; inluſtret Levitas; benedicat populum ſuum: extinguat omnia peccata noſtra, vitam æternam conſequamur. Per.

Collectio nunc ſequitur.

Sublimem ineffabilis clementiæ Rectorem annuis ſupplicationibus in hac veſpertina prece, fratres dilectiſſimi, unitis animis deprecemur: ut nobis tranſacti temporis hactenus debita donet; ſuperventuræ noctis ſolemnitatem Natalis Filii ſui proſperam præſtet; aſſiduam futuri Anni [1] cuſtodiam reddat: ad æternæ vitæ gaudia ſpiritali defenſione nos perducat, [2] orantibus. Per Dominum.

Collectio ſequitur.

Rege nos Domine brachio tuo excelſo, & conſerva nos per alternas dierum & temporum ſucceſſiones: ut adjuti Sanctorum precibus, qui diem hunc per munus miſericordiæ tuæ duximus, noctem quoque iſtam placitam tibi animarum & corporum puritate ducamus. Per Dominum.

INCIPIUNT ORATIONES
ad initium noctis Natalis Domini.
Iſta ad Duodecima. [3]

DEi Patris omnipotentis vivumVerbum te, Domine Jeſu Chriſte, deprecamur æternum: uti nos in fide tui nominis robores per ſpei perſeverantiam, & caritatis excellentiam; renovans [4] noſtram in melius deſideria: ut ſemper in bono perſeverantes, te pio ſenſu intelligere, & mundo corde videre poſſimus: qui ex utero ante Luciferum Paterno natus ineffabiliter, Deus de Deo, unus de uno, lumen de lumine, de ſempiterno Patre coæternus Filius. Cum quo ſemper & Spiritu Sancto in ſplendoribus Sanctorum ſine principio & ſine fine [5] regnans & permanens in ſæcula.

Coll. ſequitur.

Mirabili iterum Sacramento Nobiſcum Deus ab Angelis Emmanuel nominatus, filius hominis, hoc eſt Mariæ Virginis, Jeſus naſceris in ſalutem populi tui: in cujus numero nos eſſe pie Domine concedas Chriſte: cujus Natalis ſalutare myſterium celebrantes, in noctis hujus magnæ initio primitias precum ac ſi offerentes, rogamus tui nominis vim naſcendo nobis quoque a te [6] donare. Salvatur mundi. Qui vivis.

ITEM ORATIO
in media nocte Nat. Domini.

TE oramus, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, in hac nocte Natalis Filii tui: noctiſque mediæ tempore tibi adſiſtentes, quæſumus: ut ſicut ſeparaſti lucem a tenebris . . . .

. . . .

Et hic deſunt folia.

(1) Nimirum quia annus a die ſequenti, ſcilicet a Natali Domini, tunc incipiebat. *Mabill.*

(2) *Mabill.* orantes.

(3) Iſta ad duodecima. *De hoc loco vide Ven. Thomaſium ſua in ſuperiori Præfatione non longe a fine.*

(4) noſtram, *melius* noſtra.

(5) *Mabill.* regnas & permanes.

(6) *Lege* donari; *& deinde* Salvator.

Ad faciendum Catechumenum. [1]

. . . .

da illi miſericordiam tuam & pietatem per lavacri regenerationem; perduc eum ad gratiam ſpiritalem: ut nobiſcum pariter tibi Domino Deo Patri omnipotenti laudes & gratias referat: [2] induc eum in via veritatis, doce eum juſtificationes tuas. Per Dominum.

INCIPIT EXORCISMUS.

Adgredior [3] te, immundiſſime [4] damnate ſpiritus, qui es inveterator malitiæ [5] materiis criminum, origo peccati: qui fraudibus, ſacrilegiis, ſtupriis, cædibus gaudes. Te, invocato Domini noſtri Jeſu Chriſti nomine, in o.... mus & adjuramus per ejuſdem Majeſtatem adque virtutem, Paſſionem ac Reſurrectionem, Adventum adque Judicium; ut in quacumque parte membrorum latitas, propria te confeſſione manifeſtes: exagitatuſque ſpiritalibus flagris inviſibilibuſque tormentis, vas quod occupaſſe æſtimas, fugias; expiatumque poſt habitationem tuam Domino derelinquas. Sufficiat quod prioribus ſæculis per hominum corda pene toto orbe dominatus es. Jam in dies ſingulos [6] deſtruetur tuum regnum; tuaque cotidie uſque in finem tela deficiant. Jam pridem præfigurata ſunt iſta, quæ pateris. Jam tu vaſtatus Ægyptiorum plagis, tu in Pharaone demerſus, in Hierico deſtructus, in ſeptem Chananæis Gentibus ſtratus, per Săſonem in Allophylis ſubjugatus, truncatus in Golia per David, per Mardoceum in Aman ſuſpenſus, per Danihel in Bel dejectus, in Dracone punitus, per Judith in Holopherne transfoſſus, per Dominum humanis Imperiis ſubjugatus, per Paulum cæcatus in Mago, uſtus in Vipera, per Petrum in Simone diſruptus, per omnes Sanctos fugaris, torqueris, elideris, æternis ignibus & infernis tenebris deputatus. Unde hominem Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Adam ſecundo dum de te triumphat, eximit. Abſcede, abſcede quocumque es: & corpora Deo dicata ne repetas. Interdicta ſint tibi iſta in perpetuo. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & in gloria Dominicæ Paſſionis; cujus cruore ſalvantur, cujus adventum expectant, judicium confitentur. Per Dominum.

INCIPIT EXPOSITIO vel traditio Symboli. [7]

Sermo & Sacramentum totius Symboli, Fratres dilectiſſimi, fides eſt Chriſtiani hominis & vitæ: fides in præſenti,

(1) *Mabillonius illic ait*, Ad faciendum Scrutinium. *Ad quem locum adnotatione adjuncta ſubjungit*: Scrutinii tertia pars eſt, quod fiebat olim quarta feria tertiæ hebdomadæ Quadrageſimæ. Vide Ordinem Romanum. *At aliis diſſentus decipitur vir ceteroquin doctiſſimus, dum in Thomaſiano exemplo, e quo editionem ſuam adornaſſe conſtat, unum pro altero legit, &* Scrutinium *pro* Catechumenum *accipit*.

(2) *Vetus membrana ibi loco* induc *præ ſe fert* indue.

(3) Alia in Ordine Romano, *Audi maledicte Satana &c.* Mabill.

Alia & in Gelaſii Codice ſuperiori pag. 40, ſed non in ritu Scrutinii; *verum in illo* ad faciendum Catechumenum.

(4) *Mſ. Codex* damnatur.

(5) *Mabill.* inveterator malitiæ, materies criminum. (6) *Mabill.* deſtruitur.

(7) In Ordine Romano alia oratio, & præcedit hanc expoſitionem expoſitio Euangeliorum, quæ hic ſequitur. Mabill.

Idem obſervari poteſt & Gelaſiani Ordinis reſpectu, quem conſule ſuperius ad pag. 44.

Digitized by Google

ſenti, vita in futuro: fides in via, vita in patria: fides in ſpe, vita in re: fides in proelio, vita in regno: fides in opere, vita in retributione. Ac ſic qui fidem cum operibus habuerit in hoc ſæculo, vitam æternam [1] recipiat in futuro: & ideo ſtatim in principio Symboli habet, *Credo in Deum*: & poſtea in concluſione Symboli, *Vitam æternam*. Sic ergo eſt Symbolum, dilectiſſimi, quaſi pulcherrimum ædificium bene cœptum: cujus & firmiſſimum eſt fundamentum, & inmortale faſtigium; cum in principio habeat Deum, & in fine vitam æternam. Deus eſt fundamentum, & vita æterna faſtigium. Fides, fratres cariſſimi, vitæ oſtium, viæ principium, ſalutis eſt fundamentum. Qui divina Myſteria intelligendo ſe magis capere æſtimat quam credendo, ſic facit; quomodo ſi aliquis, relicta via, petat devium; vel ſine fundamento conſtruat ædificium; vel per objectum parietem requirat ingreſſum. Adhibendum eſt itaque credulitatis ſalubre compendium; ubi imbecilla mens capere non poteſt cæleſte ſecretum. Totum ergo credulitatis pectoris ſinum ad vitalis carminis expandamus oraculum: quod ita incipit.

Credo in Deum omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.
Credo & in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unigenitum ſempiternum.
Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus eſt de Maria Virgine.
Paſſus eſt ſub Pontio Pilato; crucifixus, mortuus, & ſepul.
Deſcendit ad inferna.
Tertia die reſurrexit a mortuis: aſcendit ad cælos.
Sedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
Inde venturus judicare vivos & mortuos.
Credo in Sanctum Spiritum; ſanctam Eccleſiam Catholicam.
Sanctorum communionem; remiſſionem peccatorum:
Carnis reſurrectionem:
Vitam æternam. Amen.

Symbolum, Fratres cariſſimi, non in Tabulis ſcribitur; ſed in Cordis ſuſceptum memoriter retinetur. Et ideo juvat iterare, quod nunquam convenit oblivisci.

Credo in Deum Patrem omnipotentem.

Sicut optime novit caritas veſtra, Kmi, fides omnium Chriſtianorum in Trinitate conſiſtit: & ideo etiam tertium vobis textum Symboli repetimus: ut ipſe numerus repetitionis, in ſigno conveniat Trinitatis.

Credo in Deum Patrem omnipotentem.

Symbolum, Fratres Kmi, quod audiſtis, totum vos in auris auditum convertite: ut ſemen verbi paratos ſulcos inveniat, quibus ſalubriter inſidens, & radices fortiter figere, & tempore retributionis uberes juſtitiæ fructus poſſit afferre. Sic ergo habet exordium Symboli.

Credo in Deum Patrem omnipotentem. *Deum* cum audis, ſubſtantiam intellige ſine initio, ſine fine. *Patrem* cum audis, Filii intellige Patrem.

 Hoc

(1) *Rectius* recipiet.

Hoc ergo ipſo nomine quod Deus Pater appellatur, cum Patre pariter ſubſiſtere etiam Filius demonſtratur. Quomodo ſane Deus Pater genuerit Filium, nolo diſcutias. Credendus eſt ergo Deus eſſe Pater unici Filii ſui Domini noſtri, non diſcutiendus. Neque enim fas eſt ſervo de Natalibus Domini diſputare. Conteſtatus eſt Pater de cælis dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit: ipſum audite. Pater ipſum eſſe dicit Filium ſuum; & ipſum audire jubet: quis eſt qui neget eſſe verum, quod Veritas dicit? Sequitur. *Credo & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unigenitum ſempiternum. Jeſus* [1] hebraice vocabuli nomen eſt, quod aput nos Salvator dicitur. *Chriſtus* a Chriſmate, ideſt ab Unctione appellatur. *Unigenitum* inquit, unicus eſt namque Patri Chriſtus: ut ſplendor igni, ut forti virtus, ut ſapientia ſapienti.

Conceptus, inquit, *de Spiritu Sancto*.

Spiritus ergo Sanctus refertur Dominicæ carnis & templi creator. Incipe jam hinc intelligere etiam Sancti Spiritus majeſtatem: ſic enim ait Euangelium: Spiritus Sanctus ſupervenıet in te; & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Videte ergo cooperantem ſibi invicem Trinitatem: Spiritus Sanctus venire dicitur ſuper Virginem; & Virtus altiſſimi [2] niſi ipſe Chriſtus, qui eſt Dei Virtus & Dei Sapientia? * Jam jam ſi jubetis, hæc quæ dicta ſunt caritati veſtræ ſufficiant: & die craſtina ſecundum ſanctam conſuetudinem veſtram per miniſterium Fratrum noſtrorum ea quæ reſtant, maturius audietis. Quod ipſi.

Natus, inquit, *de Maria Virgine; conceptus eſt de Spiritu Sancto: paſſus ſub Pontio Pilato*. Requiramus, dilectiſſimi, cur Symboli conditores neceſſarium judicarunt, ut ipſius etiam Pilati [3] nomine inſererent? Ideo utique, quia Antichriſti multi futuri erant: ut nulla hæreſis Chriſtum alium eſſe diceret, cum unum utique eſſe conſtaret, quem ſub Pilato paſſum Symbolum tradidiſſet.

Crucifixus, mortuus, & ſepultus, tertia die reſurrexit. De manifeſta & [4] re probata a multis Domini Reſurrectione licet evidıtiſſime Euangelia teſtata ſint: tamen etiam Apoſtolus prædicavit dicens, reſurrexiſſe ab inferis Salvatorem die tertia. (Si ea die qua mortuus eſt, vel nocte quæ ſecuta eſt, ſtatim reſurrexiſſet; vix eum aliqui crederent vere fuiſſe defunctum. Vides, quia confirmatio mortis eſt dilatio reſurrectionis: & e contrario mortis veritas rationis auctoritas eſt. Niſi enim quemquam prius oſtenderis inclinatum, non convincis erectum: & e contra facile probabis in ſomno fuiſſe revolutum, cum docueris ſuſcitatum.) Et quia viſus eſt Cæſæ, & poſt hæc illis undecim: deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul. O miram Domini & ineſtimabilem pietatem parum ad confirmandum Eccleſiæ fidem exiſtimavit, [5] quo eum poſt Reſurrectionem omnes Apoſtoli viderant; niſi videndum ſe etiam

*. Jam jam. *leg.* jam.

(1) *Mabill.* hebraici.

(2) Supple, *obumbrabit tibi*. Quæ eſt virtus Altiſſimi, niſi &c. *Mabill.*

(3) *Lege* nomen.

(4) *Mabill.* & reprobata, *quod ſane ſignificatum reddit ab illo veteris chartæ longe deverſum*.

(5) *Mabill.* quod.

Digitized by Google

etiam turbis adſtantibus præbuiſſet. Sequitur autem in Symbolo.

Aſcendit ad cælos; ſedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Non corporaliter hic Dei dextera oſtenditur, dilectiſſimi; quia divina Majeſtas non ſecundum humanam ſpeciem deſignatur ſedere. Ideo ad dexteram Patris Filius dicitur; quia in eo nulla ſiniſteritas invenitur: cum enim in Scripturis ſacris ſemper quod dexterum eſt, ad meliora; ſiniſtrum, quod ad deteriora pertineat: idcirco in Deo, dextera ideſt bona ſunt: ubi ſiniſtra, ideſt mala poſſumus ſuſpicare.

Inde, inquit, *venturus judicare vivos & mortuos. Credo in Sanctum Spiritum.*

Ad [1] excludendam Hæreticorum omnium calamitoſa commenta, eodem verbo Credulitatis, quo in principio ſui [2] Symbolum Patrem honoravit & Filium, in concluſione textus ſui nunc honorat Spiritum Sanctum, cum ait:

Credo in Sanctum Spiritum.

Ne inferioris ergo fortaſſe contumeliam pateretur, jure eum ſibi æqualiter vindicare & Deitatis oſtendit plenitudinem, & Patris ac Filii dignitatem: quia in Trinitate Divina non eſt quod majus minuſve credendus ſit: [3] ſi quid ubi unus major dicitur, deeſſe minor aliquid indicatur. In hac ergo ipſa Divinitate, ſi aliud maius quis aliud minus adſerat: ei ipſe Majeſtati contumeliam facit, quam majorem putat: quia cum æqualis poteſtas ac dignitas Trinitatis ſit; quidquid uni detrahitur, cunctæ proculdubio Deitati æqualiter derogatur.

Credo, inquit, *Sanctam Eccleſiam Catholicam. Sanctorum Communionem. Carnis reſurrectionem. Vitam æternam. Amen.* Æternam vitam bene in concluſione Symboli coaptavit: quia ipſius Symboli fides præmium eſt æternitatis: ac per hoc ordo Symboli ſalutis aſcenſio eſt: quia ſi fideliter quiſque ad ſummitatem illius vénerit; certiſſime ſalutis æternæ cardinem poſſidebit. Regnante Domino noſtro Jeſu Criſto: cujus eſt honor & imperium per omnia ſæcula ſæculorum.

Coll.

Exaudi Domine ſupplicationem familiæ tuæ, qui fidelium tuorum conſortio deſiderant ſociari: ut in die ſanctæ ſolemnitatis clementiæ tuæ donum Baptiſmatis percipere mereantur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

EXPOSITIO EVANGELIORVM in Aurium [a] apertione ad Electos.

APerturi [4] vobis, filii Kariſſimi, Euangelia, ideſt Gaudia divina, prius ordine inſinuare debemus, quod Euangelium; & unde deſcendat: & cujus in eo verba ponantur: & quare quatuor ſint qui hæc geſta ſcripſerunt; vel qui ſunt ipſi hii quatuor, qui divino

a. Apertione. *leg.* apertiones.

(1) *Lege*, Ad excludenda. (2) Symboli.
(3) *Mabill.* ſiquidem
(4) Exſtat in Ordine Romano, & quæ ſequuntur uſque ad numerum ſequentem. *Mabill.*
Idem dici debet & Gelaſiani Ordinis reſpectu. Vide ſupra ad pag. 41.

Digitized by Google

no Spiritu, adnunciante Propheta, ante ſignati ſunt: ne forte ſine hac ordinis ratione vel cauſa [1] ſtupore vobiſcum in mentibus relinquamus. Et quia ad hoc veniſtis, ut aures vobis aperiantur; ne incipiat ſenſus veſter obtundi, Euangelium dicitur proprie Bona Adnunciatio, quæ utique adnunciatio eſt Jeſu Chriſti Domini Dei noſtri. Deſcendit autem Euangelium ab eo quod adnunciet & oſtendat: quod is qui Prophetas ſuos loquebatur, venit in carne, ſicut ſcriptum eſt: Qui loquebar, ecce adſum. [2] Explicates ergo breviter quid ſit Euangelium, vel qui ſunt hii quatuor, qui per Prophetam ante monſtrati ſunt; nunc figuras adque nomina ſingulis adſignemus indiciis. Ait enim Propheta Hezechiel. Et ſimilitudo vultus eorum ut facies Hominis, ut facies Leonis a dextris illius; & facies Vituli; & facies Aquilæ a ſiniſtris illius. Hii quatuor has figuras habentes, Euangeliſtas eſſe non dubium eſt: ſed nomina eorum, qui Euangelia ſcripſerunt, hæc ſunt, Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes.

Poſt hæc legit Diaconus initium Euangelii ſecundum Matthæum. Et poſtquam legerit, tractat Presbyter his verbis.

Filii Kariſſimi ne diutius ergo vos teneamus, exponamus vobis quam rationem, & quam figuram unuſquiſque in ſe contineat; & quare Matthæus in ſe figuram hominis habeat: quia initio ſuo nihil aliud agit, niſi nativitatem Salvatoris pleno ordine generationis enarrat. Sic enim cœpit: Liber generationis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham. Videtis, quia non immerito huic Hominis adſignata perſona eſt: quando ab hominis nativitate initium comprehendit, nec immerito (ut diximus) huic myſterio adſignata eſt Matthæi perſona. *Explicit ſecundum Mat.*

Incipit ſecundum Marcum.

Legit Diacon. initium Euangeli ſecundum Marcum. Exponit Presbyter.

Marcus Euangeliſta Leonis gerens figuram, a ſolitudine incipit dicere: Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini. [1] Sive quia regnat invictus, hujus Leonis multiſaria invenimus exempla, ut non vacet dictum illut: Juda filius meus, catulus leonis, de germine mihi aſcendiſti: recubans dormiſti ut leo, & ſicut catulus leonis: quis excitabit eum?

Incipit ſecundum Lucam.

Legit Diaconus initium Euangelii ſecundum Lucam. Tractat Presbyter.

Lucas Euangeliſta ſpeciem Vituli geſtat: ad cujus inſtar Salvator noſter eſt immolatus. Hic enim Chriſti Euangelium locuturus, ſic cœpit de Zaccharia & Heliſabet, de quibus Johannes Baptiſta in ſumma natus eſt ſenectute: & ideo Lucas Vitulo comparatur; quia duo cornua, duo Teſtamenta; & quatuor Euangelia quaſi tenera infirmitate naſcentia, in ſe pleniſſime continebat.

Item legit Diaconus initium Euangelii ſecundum Johannem. Tractat Presbyter his verbis.

Johannes habet ſimilitudinem Aquilæ, quod nimis alta petierit; ait enim: In principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.

(1) *Legendum* ſtuporem.

(2) *Corrige*, explicantes.

(1) Sive, *& in Gelaſii Codice ſuperiori pagin.* 42. *Mabillonius mavult pro* ſive *eſſe legendum* ſcilicet.

um. Et David ex perſona Chriſti dicit: Renovabitur ſicut Aquilæ juventus tua, ideſt Jeſu Chriſti Domini noſtri: qui reſurgens a mortuis, aſcendit in cælos: unde jam vobis conceptis regnans gloriatur Eccleſia, omni feſtivitate votorum ad nova tendere Chriſtianæ legis [1] exordium: ut adveniente die venerabilis Paſchæ, lavacro [2] Baptiſmate renaſcentes, ſicut Sancti omnes mereamur fidele munus infantiæ a Chriſto Jeſu Domino noſtro percipere. Qui vivit, & regnat Deus.

PRAEMISSIONES AD SCRUTAMEN.

Te, Domine, deprecamur & poſcimus, ut hos famulos tuos firmiter ſtabilire digneris: aperi eis [3] totius aditus fidei, ut credulitatis poſſint muros includi: & viam veritatis eis plenius revelare dignare, ut neſciant per ſemitas falſitatis errare. Agnoſcant quæ ſunt ſalutaria, ut poſſint vitare mortifera: & [4] theſauro intelligant vitæ, ut noverint mortis [5] fovea evitare: & reſiduum quod cum [6] caliginis habent, deponant, ut inluſtrationem totius luminis ſumant: nihil intra illos reſtet ſæcularium macularum; ut digni ſanctificatione Baptiſmatis præparentur. Per Dominum noſtrum.

Collectio ſequitur.

Chriſte Jeſu, qui cunctis portas aperis, & viam ſalutis oſtendis; venientes famulos tuos ad notitiam nominis tui libenter amplectere: ut hii divinæ Legis & initiis auſpicati, te deſiderent ſenſibus ſequi, quem cœperunt ſermonibus confiteri: & ab his plaſmatibus tuis repelle Diaboli incurſantes inſidias, ut ab omni loco, ab omni fraude dejectus, nec animæ unquam poſſit nocere nec corpori: ut inimicus divinæ inſcriptionis character agnoſcens, quod eſſe jam cœpit tuum, a ſe fateatur alienum per ſignum Crucis: quod nunquam delebit impreſſum in ſæcula ſæculorum. Amen.

INCIPIT PRAEFATIO Orationis Dominicæ.

Dominus [7] & Salvator noſter Diſcipulis ſuis petentibus quemadmodum orare deberent, non ſolum Formam Orationis conceſſit; verum etiam qua mente & puritate precarentur, oſtendit; ut in præſenti ſacra hæc lectio demonſtravit: Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum; & clauſo oſtio, ora Patrem tuum. Cubiculum quod nominat, non occultam domum oſtendit; ſed cordis noſtri ſecretum: ideſt ut [a] malæ cogitationi pectus noſtrum myſtica fidei clave claudamus; ac labiis clauſis, incorrupta mente Deo loquamur. Deus enim noſter fidei non vocis auditor eſt. Ergo unde ſermo eſt; ideſt ſapientia, Chriſtus Dominus noſter hanc Orationem nos docuit, ut ita oremus.

P*Ater noſter, qui es in cælis.*

Hæc libertatis vox eſt, & plena fiducia.

a. Malæ cogitationi. *leg.* a mala cogitatione.

(1) *Lege* exordia.
(2) *Mabill.* Baptiſmatis.
(3) *Rectius legerem* totos.
(4) *Mabill.* theſauros.
(5) *Lege* foveam.
(6) *Mabill.* cum caligine.
(7) Ita in Ordine Romano. *Mabill.*

ducia. Ergo his moribus eſt vivendum, ut & filii Dei, & fratres Chriſti eſſe poſſimus. Nam Patrem ſuum Deum qua temeritate dicere præſumit, qui ab ejus voluntate degenerat? unde vos dignos exhibete adoptione divina, quoniam ſcriptum eſt: Quotquot crediderunt in eum, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri.

Sanctificetur Nomen tuum.

Non quod Deus noſtris ſanctificetur orationibus, qui ſemper eſt Sanctus: ſed petimus ut Nomen ejus ſanctificetur in nobis: ut qui in Baptiſmate ejus ſanctificamur, in id quod eſſe cœpimus, perſeveremus.

Adveniat Regnum tuum.

Deus namque noſter quando non regnat, maxime cujus regnum eſt immortale? Sed cum dicimus. Veniat Regnum tuum: noſtrum regnum petimus advenire, a Deo nobis promiſſum, Chriſti Sanguine & Paſſione quæſitum.

Fiat Voluntas tua ſicut in cælo & in terra.

Ideſt in eo fiat voluntas tua:ut quod tu vis in Cælo, hoc nos in Terra poſiti, inreprehenſibiliter faciamus.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Hic ſpiritalem cibum intelligere debemus: Chriſtus enim panis eſt noſter, qui dixit: Ego ſum panis vivus, qui de Cælo deſcendi: quem cotidianum dicens, ita nos ſemper immunes præcepit eſſe peccati, ut digni ſimus cæleſtibus alimentis.

Et demitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Hoc pactum eſt, ſignificans, non nos aliter peccatorum poſſe veniam promereri; niſi prius nos in nobis delinquentibus aliis veniam relaxemus, ſicut in Euangelio Dominus noſter dicit: Niſi dimiſeritis peccata hominibus, nec vobis Pater veſter dimittit peccata.

Et ne nos inducas in tentationem.

Ideſt ne nos patiaris induci ab eo qui tentat, pravitatis auctore, nam dicit Scriptura: Deus enim intentator eſt malorum: Diabolus vero tentator eſt. Ad quem evincendum Dominus dixit: Vigilate & orate ne intretis in tentationem.

Sed libera nos a malo.

Hoc ideo ait, quia dixit Apoſtolus: Neſcitis quid vobis oporteat orare. Vnde Deus omnipotens ita a nobis orandus eſt, ut quidquid humana fragilitas cavere & vitare non pravalet; hoc ille propitius nobis conferre dignetur Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Qui vivit & regnat cum Deo Patre omnipotente & Spiritu Sancto per omnia ſæcula ſæculorum.

Patefactum vobis, dilectiſſimi nobis, Orationem & Symbolum Catholicæ Fidei cognoviſtis; autem nunc habetis magiſtros *Illum* Primicerium, & Secundum ejus *Illum*, qui vos edoceant nullo mutato ſermone; ſed ut audi-

Digitized by Google

audiſtis in præſenti. Potens eſt [a] Dominus noſter [1] & vos qui ad fidem curritis, ad lavacrum aquæ regenerationis perducat; & nos qui vobis myſterium fidei Catholicæ una tradimus, vobiſcum ad cæleſtia Regna faciat pervenire. Præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto: cui eſt honor & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

MISSA IN SYMBOLI Tradit. [2]

IN geminas partes diem hunc excolendum complectitur, Domine, noſtræ ſervitutis famulatio, vel die Jejunii cultu ſacrato, vel die inſignibus tuis, quæ hodie fulſerunt, mirabilibus: qua Lazarum reduxiſti poſt tartara, cum ad vocem intonantem exilivit; & quatriduani jam fœtentis funus vivificans animaſti: vel etiam cauſa miraculi obſtupefacta plaudens turba Bettania occurrit cum palmis tibi obviam Regi: exaudi nos in hoc geminato ſervitutis noſtræ obſequio, & præſta propitiatus atque placatus: ut animæ noſtræ, quæ tumulo ſunt peccatorum concluſæ, & cicatricum morbidata corrup. [3] . . . .

Deſunt hic multa.

. . . .

Pater ex alto clareſicat ad commune gaudium concutitur plebs hominum; movetur & Cælum. Ante cujus conſpectum adſtant Angeli, & Archangeli non ceſſant clamare dicentes. *Sanctus.*

Poſt Secreta.

Aſpice [4] ſincero vultu pie miſerator hæc munera, qui ſemper es propenſus ad dona: ut ipſa contemplatione oblata ſanctifices naturali Majeſtate, qui perpetue Sanctus es, & ſancta largiris. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

Coll. ante Orationem.

Venerabilibus informati præceptis, incitati munere pietatis, qui Mariæ flentis lacrymas non ſpernis; Lazaro dignanter cognomentum fratris imponis; Eccleſiæ ſoboles appellas ore gratiæ cohæredes: tibi ſupplices clamamus & dicimus. *Pater noſter.*

Poſt Orationem Dominicam.

Exerce liberator in nobis juris proprii facultatem, qui Lazarum virtute, [5] Maria pietate, Martham labore remuneras; favorem plebis excipis; & pacis voce concina gloriaris. Per Dominum noſtrum.

Benedictio Populi.

Perſeveret in his Domine cæleſte ſignaculum, quod in eis conferre dignatus es: † ut protecti Spiritu Sancto,

a. Dominus. *leg.* Dominus Deus.

(1) *Mabill.* ut vos.

(2) Id eſt in Dominica Palmarum, ut vidimus in lib. II, & in Miſſali Gothico. *Mabill.*

Conſule ſuperiorem pag. 276, & quæ notata ſunt nobis ad Gelaſii Codicem pag. 44. adnot. (1)

(3) Quæ heic deſunt, repete ex Miſſali Gothico-Gallicano num. XXVII (*nobis pag.* 276.) ubi eadem oratio. *Mabill.*

(4) Hæc, & duæ ſequentes orationes ibidem a *Mabill.*

(5) *Lege* Mariam.

ĉto, incrementum fidei, tutelam mentium, ſanitatem corporum conſequi mereantur. †

Concede in his immaculatæ vitæ divitias, fidem rectam, pacem ſinceram, patientiam ſanctam, humilitatem religioſam, & conſcientiam puram. † Proſperet enim ſanitatis lætitia, plena incolumitatis gaudia, & inluminatione æterna: † ut ſancte viventes, de hac humili terrenaque proſapia hæredes cæleſtes in illo beatæ gloriæ regno cum electis Angelis te [1] hymnum confeſſionis ſine fine conlaudent. Per Dominum [a] noſtrum.

Præfatio poſt Eucbariſtiam.

Acceptis, Fratres cariſſimi, ſpiritalibus cibis, & Chriſti Cruore guſtato, petamus: ut poſſideat pectora, qui noſtra ora dignatus eſt ſanctificare per munera; ipſe corporis noſtri purget hoſpitium; totoque intrinſecus homine deterſo, ſanctificatis membris innovet ſpiritum ſanctiorem.

Collectio.

Panis vitæ noſtræ aſpice, Deus: ſis cuſtodia corporum, ſis ſalvificator animarum: ut pectora noſtra tanto poculo ciboque firmata, inimica ſubdoli ſerpentis blandimenta non quatiant. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium.

† *INCIPIT EXPOSITIO Symboli.*

FRatres dilectiſſimi, virtus eſt Sacramenti inluminatio animæ: plenitudo eſt credendi in [2] eos, [b] qui docetur, ac diſcitur: & Unitas eſt Trinitatis, & Trinitas diſtincta Perſonis, & opulentia Creatoris, & redemptio Paſſionis. Hoc nexus infidelitatis abſolvitur. Hoc vitæ janua panditur. Hoc gloria confeſſionis oſtenditur. Symbolus, dilectiſſimi, brevis eſt verbis, ſed magnus eſt ſacramentis: parum oſtendens imminutione latitudinis, ſed totum continens compendio brevitatis: exiguus, ut memoriam non obruat; diffuſus, ut intelligentiam ſupercedat: confirmans omnem perfectione credendi, deſiderio confitendi, fiducia reſurgendi. Digne ergo adtentiores pro ratione temporis ipſius, puriores ad audiendum Symbolum convenitis. Quicquid enim præformatum eſt in Patriarchis, quicquid denunciatum eſt in Scripturis, quicquid prædicatum eſt in Prophetis, vel de Deo ingenito, vel ex Deo in Deum [3] natum, vel de Spiritu Sancto (quamvis latenter oſtenſum ſit) vel de ſuſcipiendi hominis ſacramento, vel de morte Domini, reſurrectioniſque myſterio; [4] toto hoc breve tantum juxta oraculo Prophetico Symbolus in ſe continet, continendo & ſalutem noſtram, conlationem fidei, [5] & gratia profeſſione, myſterii memoriam inſtrueris commendandum. Sed jam ad iſtius Sacramenti

a. Noſtrum. *leg.* noſtrum Jeſum. *b.* Qui. *leg.* quid.

(1) *Et ibi lege* hymno.
(2) *Mabill.* in eo.
(3) *Idem, Mabill.* nato.
(4) *Idem,* totum hoc breve tantum juxta oraculum Propheticum ſymbolus in ſe continet.
(5) *Idem,* & gratiam, profeſſionem, myſterii memoria inſtruens commendandam.

menti plenitudinem textumque veniamus, quod in hoc modo.

Incipit.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ. Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto: Natus ex Maria Virgine: Paſſus ſub Pontio Pilato: Crucifixus, mortuus, & ſepultus: Tertia die reſurrexit a mortuis: Aſcendit Victor ad cælos: Sedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus judicare vivos & mortuos. Credo in Sancto Spiritu. Sancta Eccleſia Catholica, Sanctorum commmunionem,[1] ab remiſſione peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam.

Symbolum iſtud, dilectiſſimi, non atramento depingitur, ſed humanis cordibus inſertum memoria retinetur. *R. Cre.*

Iterato vobis repetimus, quo facilius eum tenere poſſitis. *R. Cre.*

CRedo in Deum Patrem. Et quia lex noſtræ fidei in Trinitate conſiſtit, tertio repetimus; ut ipſe numerus repetitionis cum ſigno veniat Trinitatis.

CRedo in Deum Patrem. Ergo in primo habet

Credo. Vides quid Deus noſter non vos jubet diſcutere judicia divina, ſed credere; nec ratione requirere, ſed fidem ſimpliciter & immobiliter adhibere. *In Deum Patrem*. Advertite[2] quid dum Dei Patris nomen in confeſſione conjungit, oſtendit quod non ante Deus eſſe cœperit, & poſtea Pater; ſed ſine ullo initio & Deus ſemper & Pater. Quia ergo ſemper fuit Pater, ſemper habuit Filium cujus Pater eſt. *Omnipotentem* vero ideo dixit, quia omnia poteſt, cuique nihil impoſſibile eſt: quia cælum, terram, mare, homines, adque omnia animalia non aliquo operis actu aut artificio, ſed ſolo creavit imperio. Et ideo non venit in cogitatione, quomodo hoc aut illut potuerit fieri, qui omnipotentem[3] precimur confiteri. *Creatorem cæli & terræ*. Hoc ait, quod ſuperius dixit: quia omnia ſola verbi poteſtate perficit.

Credo in Filio ejus. Advertite quomodo in Patrem, ſic & in Filium ſit credendum: & qui cum Patre......

. . . .

Deſunt etiam hic folia.

Feria V. in Cœna Domini.

. . . .

gratiam utilitatis induliſit; & plenitudinem tuæ benedictionis adjecit. Per[4] hanc ergo te, Domine, per quem omnes, licet indignorum, attamen credentium preces placabili ore exaudi, ſuppliciter oramus: ut huic, quod offeremus, Vnguento ex aromatibus horti tui & Paradiſi tui flore perpetuo odorem ſuavitatis iniicias:[5] ac cumules inſuper eam gratiam, eamque virtutem; qua quondam Reges, Sacerdotes, Prophetas cornu a dilectione tua exundante perfuſos, plenus officiorum ſuorum[6] dignitati bi induiſti:

ut

(1) *Idem Mabill.* ac remiſſionem.
(2) *Lege potius* quod.
(3) *Mabill.* precamur.
(4) *Idem*, Per hanc.
(5) *Idem*, accumules. *Mſ. Codex ait*: ac cumolis
(6) *Mabill.* dignitatibus induiſti.

ut cum exinde novam tibi familiam unxerimus; ſuperveniens in eos, cooperatione Spiritus tui Sancti, aura gratiæ cæleſtis adſpiret: ut [a] his quoque vere Chriſti tui [1] & Filio tuo, Sancti Spiritus inlapſa virtute, efficiantur hujus ſemper nominis cohæredes. Per Dominum noſtrum Jeſum.

Poſt Sanctus. Te igitur.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo traditus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus: ſed & memoriam venerantes.

Hanc igitur oblationem, quam tibi [2] offeremus ob diem jejunii Cœnæ Dominicæ: in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus in novo Teſtamento ſacrificandi ritum inſtituit, dum panem ac vinum (quo Melchiſedech in præfiguratione futuri myſterii Sacerdos obtulerat) in [3] Sacramento ſui Corporis & Sanguinis transformavit: quæſumus Domine, ut placatus accipias: dieſque noſtros.

Qui pridie quam pro omnium ſalute pateretur, hodierna die ſtans in medio Diſcipulorum ſuorum, accepit panem. *Et rel.*

Collectio ante Orationem Dominicam.

Precamur nunc Domine Deus: ut quemadmodum Filius tuus Dominus noſter in illa gratiarum actione mortem noſtram ſuſcepturus, auditus eſt; ita nunc & nos qui ipſum & vitam ejus quærimus, audiri mereamur in oratione, quam nos Paterno alloquio orare docuit, dicens. *Pater.*

Poſt Orationem:

Domine Deus omnipotens libera nos a malo, & in tempore accepto ſalva nos: ut ſicut in condemnatione Tui, perfidorum piaculum ſalus omnium fuit; ſic pro miſericordia communis gratiæ ſit cultus iſte credentibus. Quia tibi eſt gloria apud æternum Patrem, cum quo beatus vivis.

Benedictio ad Populum.

Benedic Domine hanc familiam tuam, quam plaſmare dignatus es ex cœno, [4] & inceps vivificare per Lavacrum. Præſta, ut quos perdidit vita per guſtum, mors reddidit per patibulum, merita glorificent per adventum. † Ut non in eis inveniat [5] doloſi hoſtis per eos quod capiat; divina pietas quod repellat, ultrix flamma quod ſæviat. † Sed cum [6] terribili illud judicii tempus advenerit, tuba evocentur ad cælum, meritis ducantur ad præmium, palmam accipiant poſt triumphum. Quod præſt.

Poſt Communionem.

Acceptis, [7] cariſſimi, ſpiritalibus cibis & Chriſti Cruore guſtato, petamus: ut poſſideat pectora, qui noſtra ora

a. His. *leg.* hil.

(1) *Mabill.* & Fili tui. (2) *Lege* offerimus.

(3) *Lege* Sacramentum; *& paullo inferius in voce* TRANSFORMAVIT *agnoſce apertum aliud* Tranſubſtantiationis *indicium illis addendum, quæ ſuperius adnotavimus.*

(4) *Lege* deinceps, *ſive* & deinceps.

(5) *Mabill.* doloſus hoſtis.

(6) Terribile, *vel* terribilis.

(7) Hæc, & ſequens oratio extat ſupra num. XV. *Mabill. Apud nos vero ſuperiori pag.* 186.

Digitized by Google

ora dignatus eſt: ipſe corporis noſtri purget oſtium: totoque intrinſecus homine deterſo, ſanctificatis membris innovet ſpiritum ſanctiorem. [a] Per.

Collectio ſequitur.

Panis vitæ noſtræ aſpice, Deus: ſis cuſtodia corporum, ſis ſalvificator animarum: ut pectora noſtra tanto poculo ciboque firmata, inimica ſubdoli ſerpentis blandimenta non quatiant. Per Dominum.

INCIP. ORAT.
in VI. Feria.

Eadem vero die non ſalutat, non pſallet. Legitur Lectio Oſee. Reſp. Domine audivi. *Item alia*: Menſis iſte principium. *Cantat.*

Deus a quo & Judas reatus ſui proditor pœnam, & confeſſionis ſuæ Latro præmium ſumpſit; concede nobis piæ petitionis effectum: ut ſicut in Paſſione ſua Jeſus Chriſtus Dominus noſter diverſa utriuſque intulit ſtipendia meritorum, ita, a nobis ablato vetuſtatis errore, & Reſurrectionis ſuæ gratiam largiatur. Per.

Item poſt lectionem Euangelii Orationes Solemnes.

Oremus, dilectiſſimi nobis, in primis pro Eccleſia ſancta Dei: ut eam Deus & Dominus noſter pacificare, multiplicare & cuſtodire dignetur toto orbe terrarum; ſubjiciens ei Principatus & Poteſtates: detque nobis tranquillam & quietam vitam degentibus glorificare Deum Patrem omnipotentem, Per,

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Chriſto Gentibus revelaſti; cuſtodi opera miſericordiæ tuæ: ut Eccleſia toto orbe diffuſa, ſtabili fide in confeſſionem tui nominis perſeveret. Per Dominum noſtrum.

Oremus & pro Beatiſſimo Papa noſtro: ut Deus omnipotens, qui elegit eum in ordine Epiſcopatus, ſalvum & incolumem cuſtodiat Eccleſiæ ſanctæ ad regendum populum ſanctum Dei.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, cujus æterno [1] indiiio univerſa fundantur; reſpice propitius ad preces noſtras: & electum nobis Antiſtitem tua pietate conſerva; ut Chriſtiana plebs, quæ tali gubernatur auctore, ſub tanto Pontifice credulitatis ſuæ meritis augeatur. Per.

Oremus & pro omnibus Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Acolitis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis, Confeſſoribus, Virginibus, Viduis, & pro omni Populo ſancto Dei.

Oremus.

[b] Oremus omnipotens ſempiterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur; exaudi nos

a. Per. *leg.* Per D. N. *b.* Oremus. Omnipotens. *leg.* Omnipotens.

(1) *Mabill.* judicio.

nos pro univerſis Ordinibus ſupplicantes: ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi Gradibus fideliter ſerviatur. Per Dominum.

Oremus & pro Chriſtianiſſimis Regibus: ut Deus & Dominus noſter ſubditas illis faciat omnes Barbaras nationes ad noſtram perpetuam pacem. Per.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, in cujus manu ſunt omnium temporum poteſtates, & omnia Jura Regnorum, reſpice propitius [1] ad Romanum benignus Imperium: ut Gentes, quæ in ſua feritate confidunt, potentiæ tuæ dextera conprimantur.

Oremus & pro Catechumenis noſtris: ut Deus & Dominus noſter adaperiat aures præcordiorum ipſorum, januamque miſericordiæ: ut per lavacrum Regenerationis accepta remiſſione omnium peccatorum, & ipſi inveniantur in X. I. D. N.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Eccleſiam tuam nova ſemper prole fœcundas, auge fidem & intellectum Catechumenis noſtris: ut renati fonte Baptiſmatis, adoptionis tuæ filiis adgregentur. Per Dominum.

Oremus, dilectiſſimi nobis, Deum Patrem omnipotentem: ut cunctis Mundum purget erroribus; morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincla diſſolvat; peregrinantibus reditum, infirmantibus ſanitatem, navigantibus portum ſalutis indulgeat.

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, mœſtorum conſolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium: ut omnes ſibi in neceſſitatibus ſuis miſericordiam tuam gaudeant adfuiſſe. Per Dominum.

Oremus pro Hæreticis & Schiſmaticis: ut Deus ac Dominus noſter eruat eos ab erroribus univerſis: [a] ad ſanctam Matrem Eccleſiam Catholicam atque Apoſtolicam revocare dignetur. Per Dominum.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſalvas omnes, & neminem vis perire, reſpice ad animas diabolica fraude deceptas: ut omni hæretica pravitate depoſita, reſipiſcant, & ad veritatis tuæ redeant firmitatem. Per.

Oremus & pro perfidis Judæis: ut Deus & Dominus noſter auferat velamen de cordibus eorum: ut & ipſi cognoſcant Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Qui vivit & reg.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui etiam Judaicam perfidiam tua miſericordia non repellis, exaudi preces noſtras, quas pro illius populi obcæcatione deferimus: ut agnita veritatis tuæ luce,

a. Ad ſanctam. *leg.* & ad ſanctam.

(1) Ad Romanum propitius Imperium. *Hæc verba declarant præſens Miſſale ad uſum Eccleſiæ fuiſſe in Romani Imperii ditione conſtitutæ. Vide Thomaſium in Præfatione.*

Digitized by Google

luce, quæ Chriſtus eſt, a ſuis tenebris eruantur. Per.

Oremus & pro Paganis: ut Deus omnipotens auferat iniqua de cordibus eorum; & relictis Idolis ſuis, convertantur ad Deum verum, & unicum Filium ejus Jeſum Chriſtum: cum quo vivit & regnat cum Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, ſed vitam ſemper inquiris, ſuſcipe propitius orationem noſtram; & libera eos ad Idolorum cultura, & adgrega Eccleſiæ tuæ ſanctæ ad laudem & gloriam nominis tui. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

ITEM ORATIONES[1] *in Cœna Domini, ſive in Biduana.*[2]

DA nobis Domine perpetuæ benedictionis munus accipere; pro quibus Vnigenitus tuus ſputis inlitus, palmas accepit & colaphos. Per.

Collectio ſequitur.

Reſpice Domine propitius ſuper hanc familiam tuam: pro qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentum, & Crucis ſubire tormentum. Per.

Item alia.

Deus, qui pro redemptione noſtra accepiſti Sanguinem Jeſu Chriſti, ſolve opera Diaboli, & omnes laqueos diſrumpe peccati: ut creaturam regenerationis nulla[3] pulluant contagia vetuſtatis.

ITEM ORATIONES in Biduana.

Oratio[4] *ad Secunda incipit.*

COmmemorantes, cariſſimi, Dominicæ traditionis horam: qua ſicut ovis ad occiſionem ductus, & ſicut agnus tonſus, manſuetudine os ſuum non aperiens, ad Crucem quam pro nobis aſcendit, voluntarius ducebatur; & oblatus eſt, quia ipſe voluit: animas noſtras Chriſto Domino Deo pio commendemus, noſtra peccata Agno immaculato (quodammodo figuralis tangentes hoſtiæ caput) illo favente (quod ſui pace dictum ſit) imponamus: ut noſtras iniquitates, quas ille non habuit, portet & perdat. Qui cum Patre[5] vivis Dominator & regnas.

Item Oratio ad Tertia.

O pia Dei vivi Sapientia, o tu vivum æterni Patris Dei ſempiternum Verbum, ſempiternaque Virtus; quia & ſempiterna nativitas: qui ſempiterni

(1) Eadem orationes in Gothico ad feriam VI. *Mabill.*

(2) *De voce Biduana ſcripſimus ſupra ad p. 280.*

(3) Pulluant *uti ſupra in Miſſali Gothico ad pralaudatam pag. 280. Intellige cum Mabill.* pulluant.

(4) Ad ſecunda, *ergo immerito prorſus compendiariam notam* ad ſe. *occurrentem hoc in loco, in Miſſali Gothico, Mabillonius ſignificare ſuſpicatur* ad ſextam. *Vide ſuperiorem pag. 280, adnot.* (5)

(5) *Mabill.* vivit, dominatur, & regnat.

ni Patris ſempiternus Filius Dei es & Deus: extra quem, nihil; & per quem, omne: in quo, quod eſt conſtat: qui es Deus ſuper nos, & homo propter nos; pro nobis enim quod nos eſſe voluiſti: da nobis quod promiſiſti, da nobis indignis licet, quod omnibus communiter obtuliſti, Paſſionem (ſcilicet) tuam, noſtram eſſe libertatem; & tuam mortem, noſtram eſſe vitam; & tuam Crucem, noſtram eſſe redemtionem; & tuum vulnus, noſtram eſſe ſanitatem: ut tecum crucifixi, tuo dono ſurſum exaltemur ad Patrem tuum. Cum quo beatus vivis & regnas in.

Oratio ad Sexta.

Chriſte Deus, Adonae magne, nos tecum quaſi huic mundo crucifige; ut vita tua in nobis ſit: noſtraque peccata ſuper te pone, ut ea crucifigas: nos quoque ad te ipſum trahe, cum pro nobis exaltatus es a terra, ut nos eripias ab adultero tyranno: quia licet carne & vitiis Diabolo noxii ſumus; tibi tamen, non illi optamus ſervire: & ſub tuo jure vivere deſideramus, & a te gubernari rogamus: qui nos mortales & a morte invaſos, per mortem Crucis liberare voluiſti. Pro quo ſingulari beneficio hodierna tibi noſtra famulatur devotio: teque nunc hodie ſupplices adoramus, imploramus, invocamus; ut ad nos properes virtus æterna Deus: quod nobis proficiat tua Crux, triumphans ſcilicet de mundo in nobis per Crucis virtutem: atque tua pietas nobis illud antiquum reſtituat beneficium, [1] virtute, ſcilicet, & gratia: qui per potentiam futura, præterita; per præſentiam facis ſimiliter præterita, præſentia: redde, ut nobis tua Paſſio ſic ſalutaris ſit, quaſi præſens & hodierna: & ſic nobis hodie illa gutta ſancti Sanguinis tui ſuper terram olim de Cruce ſtillantis ſit ſalus: ut omnia terræ noſtræ delicta lavans, & corporis noſtri humo quodammodo immixta, nos de terra tuos efficiat; nos quoque tibi quaſi corpus idem reconciliati Capiti. Qui regnas cum Patre ſemper & Spiritu Sancto; nunc nobis regnare incipe, Homo Deus Chriſte Jeſu, Rex in ſæcula ſæculorum.

Or. ad Nona.

O ſalutaris hora Paſſionis, o magna maximarum gratiarum Nona hodierna, maxima horarum hora. Hac nunc Tu, noſter dilecte Sponſe, oſculare de Cruce, licet poſt Crucis trophæum. Oſculare, precamur: ſalutare tuum impertire nobis, triumphator mirabilis, auriga ſupreme, Deus pie glorioſiſſime propugnator. Avete, valete, invaleſcite & viriliter agite, confortamini dicito, loquere cordibus noſtris inſpector Chriſte. An qui olim hæc feciſti, nunc eadem non potes facere? potes utique, potes; quia omnipotens es: potes Amantiſſime, potes facere, quod nos non poſſumus cogitare: quia nihil tibi impoſſibile eſt, Deus omnipotens. Jeſu oſculare, quæſo, dilectiſſime; (qui triumphans regreſſus es ad Patrem, cum quo ſemper eras & permanes unus) quia oſculum tuum dulce eſt; & ubera tua vino dulciora, fragrantia optimis unguentis; & nomen tuum ſuper oleum [2] quam adoleſcentulæ dilexerunt: quem recti dili-

(1) *Mabill.* virtutem ſcilicet & gratiam. (2) *Legendum ibi* quem.

diligunt, quos trahis poſt te: cujus lectus floridus, cujus trophæum Crux. Qui hac hora rubeus de Edom de Cruce tinctis veſtibus de Boſra, ſolus quaſi calcator magni illius torcularis ad cælos aſcendiſti: cui occurrunt Angeli, Archangeli dicentes: Quis eſt iſte, qui aſcendit tinctis veſtibus de Boſra? Quibus te interrogantibus, Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum? Reſpondiſti: Torcular calcavi ſolus, & vir de Gentibus non fuit mecum. Vere, Salvator, vere rubrum eſt tuum propter nos Corpus: rubrum eſt ſanguine uvæ; lavaſti enim in vino ſtolam tuam, & pallium tuum in ſanguine uvæ: qui es Deus ſolus, crucifixus pro nobis, quos antiqua prævaricatio morti tradidit: cujus vulnere omnium innumera peccatorum vulnera ſanata ſunt. Et nos pie Crucifixe Chriſte cum tuis redime, ſalva pia bonitas Deus. Qui regnas cum Patre & Spiritu Sancto unus in æternum & in ſæcula ſæculorum.

ORAT. POST LECTIONES Sabbati.

DEum omnipotentem Patrem & Filium & Spiritum Sanctum univerſitatis unum Creatorem, in hac magna Matutina Sabbati, Dominici ſcilicet Corporis Requie, Fratres cariſſimi, ſupplices diprecemur: ut qui Adam de profundis infernalis limi miſericorditer eripuit; nos ejus Filius de luto fæcis hujus, cui inhæſimus, ſola miſericordia tantum clamantes eruat. Clamamus namque & oramus: ne [1] urguat inferni puteus ſuper nos os ſuum; eruti de luto peccati, ne infigamur. Per.

Coll. ſequitur.

Domine Chriſte Jeſu Deus pie, exaudi nos & præſta, precamur, quæ corde rogamus: & hoc rogamus, ut tibi placeamus, tibi hæreamus ſine fine; ut ſemper tibi gratias agamus: quia tu Domine redemiſti nos in æternam vitam de æterna morte. Qui deſcendiſti in lacum, ut ex inferis vinctos educeres; deſcende nunc quoque, precamur, viſceribus tuæ pietatis: ut ex vinculis peccatorum, quibus unuſquiſque coſtringitur, nos abſolvas. Per.

Item Oratio in Sabbato Requiei Dominici Corporis.

[2] Succumbentem Agno noſtra pro ſalute, Agno figurato diu, demum eodem vincente letum, illo & Leone Juda veriore, antea tempus captivatæ reditus fideliter Adamæ, Fratres cariſſimi, expectemus prædæ: ut compilatis inferi ſpoliis, cujus mortem commemoravimus; eodem pietatis cultu illius cum ſuis regreſſum ex mortuis celebrare, illo favente, tempore poſſimus redeunte.

Collectio ſequitur.

Chriſte Jeſu cælorum conditor, Deus, pro tua crucifixe creatura, ineffabili pietatis ſacramento nos quoque tuis redime, precamur, [3] juſtis: Salvator cuſtodi nos, parvulorum, Domine, cuſtos tuorum: quo tibi ſemper placentes, tuo & per te Patri ac una San-

(1) *Mabill.* urgeat. (2) *Potius* Succumbente. (3) *Mabill. non* juſtis, *ſed* juſſis.

Sancto Spiritui gratias agere perſeveremus. Qui tecum vivit & regnat.

Item Oratio ad Sexta die Sabbato.

Hac hora auſpicatur obrui ferugine [1] Titanſenante profunda nonatenus parente tuito ſtipitis in ſummo Hebræis nequaquam ſuſpendi flammivovam ſui hiare olim non ferens rimam, conſpectanſque nefas: quo verſa vice orbi [2] meditur per eum, qui Patri convivit regnatque ante mundi ortum & in ſæcula ſæculorum.

Oratio in Sabbato hora Nona.

O Domine, Pater omnipotens, qui Adam novum ex perſona veteris Adam clamantem, quaſi ex inferis & abyſſis, profundiſque laci, liberum tamen ſolum inter mortuos, pro ſua exaudiſti reverentia; exaudi nos, precamur, per ipſum: ut quaſi conſepulti cum Jeſu Filio tuo, ſua vita reſuſcitati, in hac ſuæ ſupervenientе ſanctæ Reſurrectionis nocte, magnæ ſolemnitatis gratia, ſuo dono, tuo quoque bono, & Spiritus Sancti conſilio & myſterio mereamur abſolvi. Per eum, qui tecum.

Collectio ſequitur.

Chriſte fave deſideriis & precibus noſtris, & præſta proſperam hanc ſupervenientem ſanctæ Paſchæ noctem: in qua tecum reſurgentes de morte, tranſire mereamur ad vitam, Salvator mundi. Qui vivis.

INCIPIT ORATIO in Veſpera Paſchæ.

Domini [3] gratia per aquam & Sanctum Spiritum renati, & per multiplicem Paternæ dilectionis proviſionem innumeris laqueis abſtracti, hujus divinæ dignationis Auctorem Dominum, incenſo veſpertinæ precis ſacrificio, & in cæleſti patina per ſpiritum erecto, & igne illo quem ipſe in nobis accendi deſiderat, ſolemniter allato, precariis affectibus, Fratres cariſſimi, deprecemur: ut totius vitæ crimina, & cotidiani erroris maculas, & humanæ fragilitatis debita in [a] annis ſeptimanæ dierum quadraginta, ac ſepulti Corporis ſui Sabbato nobis concedat: nos quoque in numero veri Iſrahelis Ægypto egredi faciat: & inimicis percuſſis, in una Eccleſia [4] Catholicæ domu pacis Domini celebrantes, Agni immaculati Sanguine corporum noſtrorum poſtibus aſperſis, in iſtius noctis venerabilis ſolemnitate vaſtatura mundum morte defendat, orantibus nobis. Per.

Collectio ſequitur.

Chriſte Jeſu, in veſpera mundi [5] veſpertino ſacrificio per Crucem effectum, dignare nos nova Corpori tuo fore

a. Annis. *leg.* anni ſ.

(1) *Mabill.* Titan ſemante, *deinde addidit aſteriſcum latitantis mendi ſignum.*

(2) *Lege* medetur.

(3) Hæc Oratio cum tribus ſubſequentibus habetur in Miſſali Gothico, ſupra *pag.* 281. *Mabill.*

(4) *Mabill.* in una Eccleſia catholicæ domus, Paſcha Domini celebrantes. *In prælaudato tamen mox loco eum retinuerat lege ubi medum, qui & nobis occurrit citata nuper pag.* 281.

(5) *Lege* veſpertinum ſacrificium.

fore ſepulchra. Qui cum æterno Patre vivis & regnas.

Oratio ad Duodecima. [1]

Auctorem lucis, Principem luminis, inſpectorem cordis, credentium Redemptorem, Fratres dilectiſſimi, cunctis confeſſionibus veneremur: ut vergente die, vocis rugitus exaudiat: & ſuperveniente caligine noctis, nos luminis ſui ſplendore inluſtret: ne ſit in nobis ulla tentandi, vexandique occaſio tenebrarum: ſit noſter defenſor, qui eſt veræ lucis indultor: ut ſemper ſimus in lumine ejus, qui Chriſtum Dominum gloriamur Auctorem. Per eum, qui tecum.

Collectio ſequitur.

Rege nos Domine per alternas temporum vices, & conſerva nos per deſpares dierum ac noctium ſucceſſiones: ut adjuti Sanctorum tuorum precibus, qui diem hunc per munus miſericordiæ tuæ duximus; noctem quoque iſtam placitam tibi animarum & corporum puritate ducamus. Per.

Præfatio Ceræ incipit.

Omnipotentem Deum, Fratres dilectiſſimi, ſuppliciter deprecemur: ut vinculis peccatorum noſtrorum in noctis iſtius ſolemnitate diſruptis, procedamus in voce exultationis & confeſſionis, ſonus epulantis. Accenſis luminaribus ad inluminationem noſtram & candoris fidei fulgore rutilantes, alter alterius quoque animam inluminet; ſicut diſcipuli Domini noſtri Jeſu Chriſti: quia ipſe in hac nocte vita & reſurrectio infernum inluminavit, & portas æreas penetravit, & vectes ferreos confregit; & mors devicta eſt in victoria: & antiqua ſententia damnavit eam, ut nos de perpetua morte liberaret. Per.

Collectio ſequitur.

Non eſt ſimilis tibi in diis, Domine, & non eſt ſecundum opera tua: qui per magnam miſericordiam tuam ſalvaſti nos a deſcendentibus in lacum. Rex gloriæ introitu tuo inferni fauces inluminaſti, ſtupentibus inferis: quia ſolus inter mortuos [2] liberare curſo tuo per eamdem noctem Protoplaſto ut ſpolia revocaſti; per quem tibi nunc, Domine, omnes Sancti gratias agunt, & in perpetuo exaltant nomen tuum. Qui cum æt.

INCIPIT BENEDICTIO
Ceræ Beati Auguſtini [3] *Epiſcopi, quam adhuc Diaconus cum eſſet, edidit & cecinit feliciter.*

EXultet jam Angelica turba cælorum: exultent divina Myſteria, & pro tanti Regis victoria tuba [4] intonat ſalutaris. Gaudeat ſe tantis illius inradiata fulgoribus: & æterni Regis ſplendore illuſtrata, totius orbis ſe ſentiat amiſiſſe caliginem. Lætetur & Mater Eccleſia tanti luminis adornata fulgore: & magnis populorum vocibus hæc aula reſultet. Qua propter ad-

 ſtanti-

(1) Hæc oratio in Miſſali Gothico inſcribitur. *Præfatio ad initium noctis Paſcha. Mabill.*

Vide & quæ occurrant ſupra eodem hoc in Miſſali pag. 377. Videſis & Thomaſium in Præfatione de præſenti agentem loco.

(2) Mabill. liber, a recurſo tuo.

(3) *Confer quæ ſcripſimus ſupra ad pag. 282.*

(4) Mabill. intonet.

ſtantibus vobis, Fratres cariſſimi, ad tam miram ſancti hujus luminis claritatem, una mecum, quæſo, Dei omnipotentis miſericordiam invocate: ut qui me non meis meritis intra Levitarum numerum dignatus eſt adgregare; ut luminis ſui gratia infundente, Cerei hujus laudem implere præcipiat.

Surſum corda. Gra.

Conteſtatio nunc.

Dignum & juſtum eſt. Vere quia dignum & juſtum eſt, inviſibilem Deum omnipotentem Patrem, Filiumque VnigenitumDominum noſtrum Jeſum Chriſtum toto cordis ac mentis affectu, & vocis [1] myſterio perſonare. Qui pro nobis æterno Patri Adæ debitum ſolvit; & veteris piaculi cautionem pio cruore deterſit. Hæc ſunt enim feſta [2] Paſchalium: in quibus verus ille Agnus occiditur, ejuſque Sanguis poſtibus conſecratur: in qua primum Patres noſtros filios Iſrahel educens de Aegypto, rubrum mare ſicco veſtigio tranſire feciſti. Hæc igitur nox eſt, in qua peccatorum tenebras Columnæ inluminatione purgavit. Hæc nox eſt, quæ hodie per univerſum mundum in Chriſto credentes, a vitiis ſæculi ſegregatos & caligine peccatorum, reddidit gratiæ, ſociat ſanctitati. Hæc nox eſt, in qua deſtructis vinculis mortis, Chriſtus ab inferis Victor aſcendit. Nihil enim nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! O inæſtimabilis dilectio caritatis, ut ſervum redimeres, Filium tradidiſti! O certe neceſſarium Adæ peccatum noſtrum, quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem! O beata nox, quæ ſola meruit ſcire tempus & horam, in qua Chriſtus ab inferis reſurrexit! Hæc nox eſt, de qua ſcriptum eſt: & nox ut dies inluminabitur: Et nox illuminatio in deliciis meis. Hujus igitur ſanctificatio noctis fugat ſcelera, culpas lavat, & reddit innocentiam lapſis, mœſtis lætitiam: fugat odia, concordiam parat, & curvat imperia. In hujus igitur noctis gratia ſuſcipe Sanctæ Pater Incenſi hujus ſacrificium veſpertinum; quod tibi in hac Cerei oblatione ſolemni per Miniſtrorum tuorum manus de operibus apum ſacroſancta reddit Eccleſia. Sed jam Columnæ hujus præconia novimus, quam in honore Dei rutilans ignis accendit; qui licet diviſus in partes, [3] mutuatim luminis detrimenta non novit: alitur liquentibus ceris, quam in ſubſtantia pretioſæ hujus lampadis [4] mater eduxit. Apis cæteris quæ ſubjecta ſunt homini, animantibus antecellit: cum ſit [5] nimia corpore parvitate, ingentes animos anguſto verſat in pectore: viribus imbecilla, ſed fortis ingenio. Hæc implorata temporum vice, cum canitiem pruinoſa hyberna poſuerint, & glaciale [a] ſenium verni temporis moderata [b] deterſerint; ſtatim prodeundi ad laborem [6] curam ſuccedit: [7] diſperſique per

a. Senium. *leg.* ſenio. *b.* Deterſerint. *leg.* deterſerit.

(1) *MiſſaleGothicum eo in loco habet* miniſterio. *Vide pag.* 282.

(2) Sic in Miſſali Gothico, aliis paſchalia. *Mabill.*

(3) *Lege* mutuati, *ut ſupra ad pag.* 283.

(4) *Addenda ibi vox* apis.

(5) *Loco mox laudato legitur*, minima corporis parvitate.

(6) *Lege* cura.

(7) *Potius* diſperſæque.

per agros libratim paululum pinnibus, cruribus ſuſpenſis inſedunt: parte ore legere floſcolos, [1] oneratis victualis ſuis, ad caſtra remeant: ibique aliæ inſtimabili arte cellulas tenaci glutino inſtruunt: aliæ liquentia mella ſtipant: aliæ vertunt flores in ceram: aliæ ore natos fingunt: aliæ collectis e foliis nectar includunt. O vere beata & mirabilis Apis! cujus nec ſexum maſculi violant, fœtus non quaſſant, nec filii deſtruunt caſtitatem: ſicut ſancta concepit Virgo Maria, Virgo peperit, & Virgo permanſit. O vere beata nox, quæ expoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos: nox in qua terrenis cæleſtia junguntur. Oramus te, Domine, ut Cereus iſte in honore nominis tui conſecratus, ad noctis hujus caliginem deſtruendam indeficiens perſeveret; in odorem ſuavitatis acceptus, ſupernis luminaribus miſceatur. Flammas ejus Lucifer matutinus inveniat: ille, inquam, Lucifer, qui neſcit occaſum: ille qui regreſſus ab inferis, humano generi ſerenus inluxit. Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos tuos, omnem Clerum, & devotiſſimum Populum, quiete temporum conceſſa, in his Paſchalibus conſervare digneris. Per.

Collectio ſequitur.

Sancte Domine, omnipotens Deus, qui ad noſtram contemplationem tenebrarum hæc in mundi hujus obſcuro luminaria micare juſſiſti; præſta: ut dum ad illum æternitatis diem, & Vnigeniti tui properamus occurſum; ad hanc interim, quam tenebris noſtris præparaſti, Lucernam, dum nox iſta tranſcurritur, ſine peccatorum offendiculo ambulemus. Per Dominum noſtrum.

Coll. poſt Hymnum Cerei.

Deus templum ignis æterni, Deus veræ lucis habitaculum, Deus ſedes perpetuæ caritatis, vota tibi, Domine, ſolemnia diei conſummationis, & noctis inchoationis celebramus: ac luminibus Altaris tui incenſis, corporalium lumen offerentes, ut famulis tuis verum ac perenne lumen largiaris, oramus. Per.

INCIPIVNT ORAT. in Vigilia Paſchæ pro Solemnitate ſancta.

Inter prima celebrandæ ſanctæ Paſchæ ſolemnia votorum [2] conteſtatio ex gratiarum actione ſumamus exordium: ut paſſum & immolatum pro nobis Chriſtum credentes, ſacris Myſteriis fidem [3] concinnentibus, exultationis plauſibus præferamus: ac per ipſum, [a] inque ipſum noſtræ ſit deprecationis aſcenſio, manentes in eo & cum eodem divinitatis gloriæ. Per.

Coll. ſequitur.

Reſpice Domine Eccleſiam tuam, quæ admirabile nomen tuum toto terrarum orbe concelebrant; & ſuper populum tuum vultum tuæ pietatis inlumina. Per.

Pro

a. Inque. *leg.* in quem.

(1) Oneratis, *ita & in Miſſali Gothico. Mabill.* oneratæ.

(2) *Mabill.* votorum conteſtatione & gratiarum actione. (3) *Rectius legeretur* concinentibus.

Pro Eccleſiæ unitate.

Deum Patrem, cariſſimi fratres, uno ſpiritu deprecemur, ut omnes Fidei Catholicæ vinculis inligati, unum ſentiamus in Chriſto.

Coll. ſequitur.

Deus, qui unus & verus es, te ſupplices deprecamur: ut in omnibus placita tibi ſemper Fides catholica perſeveret. Per Dominum noſtrum.

Pro Sacerdotibus & omni Clero.

Deum noſtrum, cariſſimi fratres, ſupplices deprecemur: ut Sacerdotes ſuos, quos ceremoniæ religione devinxit, ſacri Myſterii compotes præſtet; omnemque Clerum citra culpam alicujus maculæ jubeat permanere. Per Dominum.

Coll. ſequitur.

Supplicantibus domus tuæ Sacerdotibus ac Miniſtris Deus omnium dignitatum perpetim gratiam benignus infunde. Præſt. ſal.

Pro Regibus & pace.

Apicem omnium poteſtatum & ſupereminentem dominationem Dominum deprecemur: ut Regum noſtrorum exercitum ita ſua virtute corroboret: ut per eoſdem Gentibus ſubditis, Deo vivo jugiter ſerviamus. Per Dominum noſtrum.

Collectio ſequitur.

Reſpice famulos tuos Domine, quibus orbis regiminum, & rerum [1] advenas dediſti; & præſta: ut tua virtute muniti, populum tuum ſumma felicitate defendant: ut pace nobis ubique conceſſa, tibi diebus ac noctibus ſerviamus.

Pro Virginibus.

Vnum Virginis Filium deprecemur: ut omnibus caſtitatis amore flagrantibus perſeverantiæ palmas impertiat. Per Dominum.

Collectio ſequitur.

Sancte omnipotens Deus eam virginitatis cultoribus gloriam tribue, quam Virgo Mater obtinuit. Qui cum Patre.

Pro Viduis & Orphanis.

Deum, neceſſitatum omnium conſideratorem, Dominum poſtulemus: ut Viduis, Orphaniſque clementiæ ſuæ more ſubveniat. Per.

Coll. ſequitur.

Religioſa Viduitate poſcentes, adque orbati parvuli, nullo ſe præſidio deſtitutos, te Domine adjuvante, nunc ſentiant.

Pro Ægrotantibus.

Medicinæ cæleſtis Auctorem Dominum, Fratres cariſſimi, ea qua competit

(1) *Pro* advenas, habenas *Mabill. poſuit.*

Digitized by Google

petit ſupplicatione rogemus: ut actus animorum noſtrorum, corporumque languores virtutis ſuæ verbo ſanare dignetur. Per.

Coll. ſequitur.

Infirma ægritudine laborantibus, omnipotens æterne Deus, paterna miſeratione ſuccurre. Per.

Pro Captivis, vel qui in carceribus detinentur.

Deum, qui mœſta clades diſſolvit, unianimiter deprecemur: ut omnes captivitatis jugo depreſſos, & in carcerum ſepta detruſos, pius ſemper miſericordiæ largitor abſolvat. Per.

Collect.

Deus omnium laborantium inſigne præſidium, libera carcere clauſos, adque captivos, eos præſertim, qui opem tuæ pietatis implorant.

Pro Peregrinantibus.

Habitatorem cæli, inſpectoremque omnium regionum, Dominum pro Peregrinantibus unianimiter deprecemur: ut eis pro ſuæ pietatis elementia maturum reditum largiatur. Per.

Collectio.

Salvatorem omnium, qui es via & veritas & vita, itinerantibus Angelorum ducem, quæſumus, pius Pater adtribue. Per.

Pro Eleemoſynis largitore.

Auctorem boni operis, & fideliſſimum retributorem, Dominum deprecemur: ut omnes qui plenas indigentibus manus aperiunt, & hic multiplicatum ſui operis fructum capiant, & in futurum gloriam conſequantur æternam. Per.

Collectio.

[a] Reſpice Domine eorum viſcera benedictione cæleſti, qui te pauperem paſtu reficiunt. Per.

Pro Pœnitentibus.

Summæ pietatis Dominum, qui non vult mortem morientium, dummodo renaſcantur & vivant, pro Pœnitentibus Dominum deprecemur: ut indulta ſuorum, [1] remiſſionis ſuæ plenitudinem largiatur. Per.

Collectio ſequitur.

Tribue Domine munere fontis exutis: ut fidelis pœnitentiæ præmiis iterum glorientur. Per.

Pro Neophytis.

Pro negligentibus, tardiſque Domini noſtri cultoribus, ideſt Neophytis, Dominum deprecemur: ut eis deſiderium beatæ & perpetuæ Regenerationis infundat.

Collect.

a. Reſpice. *leg.* Refice.

(1) *Ex eo loco aliquid excidiſſe cum Mabillonio crediderim. Fortaſſe* peccatorum, *vel* criminum.

Colleſt.

Deus, qui ſemper bona facis invenire quærentes; præſta: ut eorum rudimenta Tyronum, mercedem conſummati operis conſequantur. Per Dominum.

Pro Competentibus.

Dominum majeſtatis oremus: ut cervi more fonte jam proximo ſitientes, mox ad cæleſtis palmæ lauream conſequantur. Per.

Colleſt.

Sitiunt ad te Deum vivum tuorum, Domine, corda famulorum; ſuſcipe cupientes ſæculo mori, ut tibi, Domine, renaſcantur: da præſentem petentibus gratiam, vitam credulis daturus æternam. Per.

OPUS AD BAPTIZANDO.

Præfatio antequam exorcidietur. [1]

AUctorem ac reparatorem noſtrum omnipotentem, Fratres cariſſimi, qui ornamenta naturæ amiſſa per culpam, dignatus eſt reparare per gratiam: ſub reverendo Myſterii præſentis officio ſuppliciter exoremus: ut aquis his virtutem transfundat, in animas benedictiones infundat, & ad peragendum ſacratiſſimæ Regenerationis effectum præſentia Trinæ majeſtatis adſiſtat: confringat & conterat ſuper has aquas capud Draconis: ut ſub undis ſecibus tranſactione ſecreta Chirographum priſtinum evacuetur; & debitoribus cum Chriſto per Baptiſmum conſepultis, ita hic [2] agitur mortis imitatio; [3] ut ſalvati perdetis ſola ſe ſentiat in terris perditione. Per D.

Collectio ſequitur.

Omnipotens ſempiterne Deus adeſto magnæ pietatis tuæ Myſteriis, adeſto Sacramentis: & ad creandos novos populos, quos tibi Fons Baptiſmatis parturit, ſpiritum adoptionis emitte: ut quod noſtræ humilitatis gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis compleatur effectu. Per Dominum.

Exorciſmus Aquæ Fontis.

Exorcidio te, Fons aquæ perennis, [a] per Deum ſanctum, & Deum verum, qui te in principio ab arida ſeparavit; & in quatuor fluminibus terram rigare præcepit. Sis aqua ſancta, aqua benedicta, abluens ſordes, & dimittens peccata: in illius te nomen exorcidio, qui dedit Diſcipulis ſuis novum Sacramentum dicens: Ite in Gentibus, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Fiat nunc, Domine, aqua ſancta exorcidiata ad expiandos filios Dei. Per Patrem & Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt cum Spiritu Sancto judicare mundum per ignem.

Præfatio ad benedicendum Fontes.

[b] Dum immortalium munerum & ſalu-

a. Per Deum. *leg.* Per Dominum. b. Dum. *leg.* Deum.

(1) Ita paſſim infra, *exorcidio &c. Mabill.* (2) *Mabill.* agatur. (3) *Idem*, ut ſalvatis perditis.

Digitized by Google

ſalutarium gratiarum, Fratres dilectiſſimi, concordi mente, & humili oratione poſcamus: [1] ut per Verbum, Sapientiam & Virtutem ſuam Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, concurrenti ad Baptiſmum ſalutarem plebi ſuæ gratiam novæ regenerationis indulgeat: atque acceſſus hinc penitus malignæ contagionis avertens, infundat vitali lavacro Spiritum ſuum Sanctum: ut dum ſitiens fidem, populus aquas ſalutaris ingreditur; vere (ut ſcriptum eſt) per aquam & Spiritum Sanctum renaſcatur: & conſepultus in lavacro Redemptori ſuo, in ſimilitudinem ſacri divinique myſterii, cui conmoritur per Baptiſmum, eidem conreſurgat in Regno. Per.

Benedictio Fontis.

Benedic Dñe hanc aquam ſalutaris, & ſanctifica eam omnipotens Trinitas; qui humanum genus formare, creareque juſſiſti: quique etiam dediſti nobis per tui Baptiſmatis [2] Myſteriis gratiam renaſcendi; reſpice propitius ſuper iſtius aquæ creaturam religionis Myſterium procuratam, ſpiritalem tuam benedictionem perfunde: ut ſit eis, qui in ea baptizandi ſunt, fons aquæ ſalutaris in remiſſione veterum criminum (Te, Domine, largiente) in vitam æternam. Per D.

Conteſtatio Fontis.

Dignum & juſtum eſt. Vere æquum & juſtum eſt, Nos tibi gratias agere, Domine Deus æterne. Qui ſolus habes inmortalitatem; eamque ne ſolus

poſſideas, nobis quoque renovata ætate tribuiſti: qui humano generi amiſſam per tranſgreſſionem priſtinæ originis dignitatem, reformare in melius tam pretioſo, quam felici Baptiſmatis munere voluiſti. Adſiſte, quæſumus, ad invocationem nominis tui: ſanctifica fontem hunc, ſanctificator generis humani: fiat locus iſte dignus, in quem Spiritus Sanctus influat: ſepeliatur hic illic Adam vetus, reſurgat novus: moriatur omne quod carnis eſt, reſurgat omne quod ſpiritus: exuantur ſordentes vitiis. & [3] diſceſſis criminis, amictus [4] ut ſplendoris & immortalitatis indumenta ſumantur: quicumque in Chriſto baptizabuntur, induant Chriſtum. Quicumque hic renunciaverint Diabolo, da eis triumphare de mundo. Qui te in hoc loco invocaverit, tu eum cognoſcas in regno. Sic in hoc Fonte extinguantur crimina, ne reſurgant: ſic invaleſcat aquæ iſtius beneficium, ut æterni ignis reſtinguat incendium. Mitte fontis Altaribus tuis, quos Altaria regnis tuis mittant. Totus hic horror mortis intereat. Quicumque hic tuus eſſe cœperit, tuus eſſe non deſinat. Quicumque hic ſe ſibi negaverit, te lucrifaciat: & per miniſterium noſtrum & myſterium tuum conſecratus tibi populus, æternis ad te præmiis conſecretur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Poſtea facis tres Cruces ſuper aquam de Chriſma, & dicis.

Deus, ad quem ſitientes animæ, bibendique immortalitatis amore feſtinant: da eis famulis tuis ſupplicantibus inve-

(1) *Mſ. Cod.* & per Verbum.
(2) *Mabill.* myſterium.
(3) *Mabill.* & diſciſſis criminibus.
(4) *Vocula* ut *ejus loci a Mabill. omittitur.*

invenire munus, quod cupiunt : adipiſci gratiam, [1] quod merentur : ingrediantur fontem regenerationis auctorem, in quo lethiferam illam primi Parentis offenſam, mutata in novum hominem caducæ carnis fragilitate, deponant. Per Dominum.

Interrogatio : [2] Quis dicitur ? *Reſ. Illi*.

Abrenuncias Satanæ, pompis ſæculi, & voluptatibus ejus ? *Reſ.* Abrenuncio.

Credis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unius eſſe Virtutis? *Reſ.* Cre.

Dicis. Credis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum ejuſdem eſſe Poteſtatis ? [a] *Rr.* Cre. Credis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum Trinæ Veritatis, Vna manente Subſtantia, Deum eſſe perfectum ? *Reſ.* Cre.

Dicis. Baptizo te ? *Reſ.* Bap.

Baptizo te credentem in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti ; ut habeas vitam æternam in ſæcula ſæculorum.

Infuſio Chriſmæ.

Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto ; quique tibi dedit remiſſionem peccatorum, ipſe te [3] lenet Chriſmate ſuo ſancto, ut habeas vitam æternam in ſæcula ſæculorum.

Ad pedes [4] *lavando*.

Dominus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus Apoſtolis ſuis pedes lavit : ego tibi pedes lavo, ut & tu facias hoſpitibus & peregrinis, qui ad te venerint. Hoc ſi feceris, habebis vitam æternam in ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſt Baptiſmum.

Deus, ac quem [5] ſcubias veteris homines infundit, & depoſitas novellæ ſobolis propago deſcendit ; dum in novam æternamque ſubſtantiam ſalutaribus aquis [6] exuimur & naſcimur : conſerva in nos tui laticis purum liquorem : ut [7] nequas ſuperinduere maculas non valeat inimicus : nec auferatur Pater a filiis ; nec Patri ſubtrahatur hæreditas.

MISSA IN VIGILIA Paſchæ.

Præfatio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem per univerſa mundi ſpatia gloria Dominicæ Reſurrectionis inluſtras ; conſerva in nova familiæ tuæ progenie ſanctificationis Spiritum, quem dediſti : ut corpore & mente renovati, puram tibi animam, & purum pectus ſemper exhibeant. Per D.

Colle-

a. Rr. *leg.* R.

(1) *Mabill.* quam.

(2) *Monuimus ſupra ad pag.* 37, *not.* (3) *infantes proprio donari nomine conſueviſſe & antequam baptizarentur*.

(3) *Mabill.* lenit.

(4) *De hoc ritu vide adnotata in Miſſali Gothico, ſupra, pag.* 290, *not.* (3)

(5) Sic legendum videtur : *Deus, ad quem ſcabie veteris hominis in Fonte depoſita &c. Mabill.*

(6) *Mabill.* eluimur, *non* exuimus.

(7) *Idem Mabill.* nequam.

Digitized by Google

Collectio.

Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem glorioſæ Dominicæ Reſurrectionis inluſtras: concede populo tuo, originalis delicti errore mundato, poſt ſacratiſſimum fontem terram tuæ promiſſionis intrare: ut dulcia Sacramentorum tuorum alimenta percipiant.

Collectio poſt nomina.

Auditis nominibus offerentum, Fratres dilectiſſimi, omnipotentem Deum ſupplicemus: ut ſuper hanc oblationem cæleſtem gratiam ſuam divini illius odoris infundat, quam in commemoratione Dominicæ Reſurrectionis [1] offeremus: ut acceptio benedicti Corporis, & ſacri Poculi prælibata communio defunctis opituletur ad requiem, viventibus proficiat ad ſalutem.

Collectio ad Pacem.

Suſcipe Domine preces populi tui cum oblationibus hoſtiarum: ut Paſchalibus initiati myſteriis ad æternitatis nobis medelam, te operante, proficiant: ut in nobis hoc recipientibus holocauſtum, pacem quam in labiis [2] proferemus, in intimis teneamus viſceribus. Per D.

Conteſtatio nunc.

Vere dignum & juſtum eſt, Te quidem omni tempore, ſed in hac potiſſimum nocte glorioſius prædicare, cum Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Ipſe enim verus eſt Agnus, qui abſtulit peccata mundi; qui mortem noſtram moriendo deſtruxit; [a] & vitam reſurgendo reparavit. Propterea profuſis Paſchalibus gaudiis, totus in orbe terrarum mundus exultat: ſed & ſupernæ Virtutes adque Angelicæ concinunt Poteſtates, hymnum gloriæ tuæ ſine fine dicentes. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.*

Benedictio Populi.

Benedic Domine populo iſti, quem liberavit effuſio Sanguinis, ne damnaret conditio ſervitutis. Quibus mortis tuæ vita redditur, nunquam inimici hoſtis [3] diſcipulis [b] includantur. Et quos dignatus es redimere per juſtitiam, nequaquam prædo perfidus obtineat per ruinam. Permaneat in eis ſecundæ prærogativa naturæ per Baptiſmum; quam perdiderat primi hominis præſumptio per delictum. Fulgere ſemper faciat vivi fontis unda, quos abluit: protegat cæleſtis gratia, quos redimit. Et ſicut in diebus Dominicis Myſterium divinum excolitur; ita in omnium peccatoribus ſplendor tui luminis conſervetur. Quod præſtare dignetur, qui cum æt.

Collectio poſt Communionem.

Impleatur in nobis, quæſumus Domine, Sacramenti Paſchalis ſancta libatio, noſque de terrenis affectibus ad cæleſte transferat inſtitutum. Per.

a. Et vitam. *leg.* & vitam noſtram.

b. Includantur. *leg.* inludantur.

(1) *Lege* offerimus.

(2) *Et illic lege* proferimus.

(3) *Mabill. pro* diſcipulis *mavult eſſe legendum* decipulis.

Collectio ſequitur.

Exuberet, quæſumus Domine, mentibus noſtris Paſchalis gratia Sacramenti: ut donis ſuis ipſa nos dignos efficiat.

INCIPIT MISSA in die [1] Sanctum Paſchæ.

Præfatio.

DEus, qui per Vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte, reſeraſti; da nobis, quæſumus: ut qui Reſurrectionis Dominicæ ſolemnia colimus, per innovationem tui Spiritus a morte animæ reſurgamus. Per.

Collectio ſequitur.

Deus, qui nos Reſurrectionis Dominicæ annuá ſolemnitate lætificas, concede propitius: ut per temporalia feſta, quæ agimus, pervenire ad gaudia æterna mereamur. Per Dominum.

Collectio poſt nomina.

Quæſumus Domine, jam non teneamur obnoxii damnationis humanæ ſententiæ, cujus nos vinculis hæc Hoſtia Paſchalis abſolvit.

Collectio ad Pacem.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui reſurgens a mortuis, Paſſione caſſata, potentiorem te tuis Diſcipulis reddidiſti; concede propitius: ut nos quoque majeſtati tuæ hoc Paſchale ſacrificium in bonis operibus efficiat promptiores, & gratiam tuæ pietatis adquirat.

Conteſtatio nunc.

Vere dignum & juſtum eſt, Te quidem omni tempore, ſed in in hoc præcipue die, quo tua Reſurrectio celebratur, omni feſtivitate laudare, benedicere & prædicare; quod Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Per quem poteſtas diabolica cecidit; tartarea Inferni ſunt vincula reſoluta; Chirographum eſt antiquæ prævaricationis extinctum; aculeus mortis obtritus; nos quoque de ſervitutis jugo dominationis Ægyptiæ per ſpiritales aquas educens, triumphans reſurrexit in gloriam: & libertati nos, miſericordiæ tuæ munere, donavit. Per quem Majeſtatem tuam.

Benedictio Populi.

Deus, qui Chirographum, quo tenebamur obnoxii, pretioſi Sanguinis effuſione deleſti; omnium in te ſperantium precibus annue, cunctorum neceſſitatibus propitiatus adſiſte: ut præſidio tuæ pietatis adjuti, & præſentia poſſint vitare diſcrimina, & ad æternam pervenire coronam. Quod præſtare dignetur.

Poſt Communion.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus: ut Paſchalis perfectio Sacramenti mentibus noſtris continua perſeveret. Per Dominum.

Collect.

---

(1) *Rectius* ſanctæ.

Colleſt. ſequitur.

Digni nos tui nominis, quæſumus Domine, famulos tuos ſalutaris cibus & ſacer potus inſtituat: & renovationibus conditionis humanæ, quam Myſterio continet, in noſtris jugiter ſenſibus operetur. Per Dominum.

MISSA PASCHALIS
Præf.

DEus, qui Paſchalium nobis remedia contuliſti, populum tuum cæleſti dono proſequere: ut inde poſt in perpetuum gaudeat, unde nunc temporaliter exultat. Per Dominum.

Colleſt. ſequitur.

Deus, qui omnes in Chriſto renatos genus Regium & Sacerdotale feciſti; da nobis & velle & poſſe quod præcipis: ut populo tuo ad æternitatem vocato una ſit fides cordium, & pietas actionum. Per Dominum.

Colleſtio poſt nomina.

Sacrificia, Domine, Paſchalibus gaudiis immolamus: quibus Eccleſia tua mirabiliter & renaſcitur & nutritur. Per D.

Colleſtio ad Pacem.

Paſchales Hoſtias immolantes, quæſumus, Domine: ut quod frequentamus actu, comprehendamus affectu. Per Dominum.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt, te quidem omni tempore, ſed in hoc præpue, Domine, die laudare, benedicere, & prædicare, quod Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Per quem in æternam vitam filii lucis oriuntur, fidelibus regni cæleſtis atria reſerantur, & [1] beatæ legi commercii divinis humana mutantur; quia noſtrorum omnium vita reſurrexit. Quem in ſuſceptione mortalitatis Deum majeſtatis agnoſcimus, & in divinitatis gloria Deum & hominem confitemur. Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reſtituit Jeſus Chriſtus. Per Dominum noſtrum.

Benedictio Populi.

Præſta Domine, quæſumus, famulis tuis tales fieri tuæ gratiæ largitate; ut bona tua & fiducialiter implorent, & ſine difficultate ſumant. Da eis Domine regnum tuum juſtitiamque ſemper inquirere: ut quibus indigere eis perſpicis, clementer facias abundare. Tribue, quæſumus, ut piis ſectando quæ tua ſunt, univerſa illis ſalutaria condonentur. Quod ipſe.

Poſt Communionem.

Adeſto Domine, quæſumus, noſtris redemptionis affectibus: ut quos Sacramentis æternitatis inſtituis, iiſdem protegas dignanter aptandos. Per Dominum.

Col-

(1) *Mabill.* & beatæ legis commercio.

Collectio ſequitur.

Purifica Domine, quæſumus, mentes noſtras benignus, & renova cæleſtibus ſacramentis: ut conſequenter & corporum præſens pariter & futurum capiamus auxilium. Per.

ITEM MISSA
III. Feria Paſchalis.

Præfatio.

DEus, qui multiplicas Eccleſiam tuam ſobole renaſcentium; facias eos gaudere propitius de ſuorum profectibus filiorum. Per Dominum.

Item alia.

Deus, qui noſtram lætitiam in tuo [1] præſta timorem: ut in tuis vigilantes mandatis, placere tibi poſſimus. Per Dominum.

Collectio nunc.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus: ut quos aqua ſuſcepit ad abluendos, & regenerandos muniat & renatos.

Collectio ſup. munera.

Suſcipe Domine munera nomini tuo oblata; quæ in Filii tui Reſurrectione triumphantis in gloria, univerſalis ejus quæſita Sanguine, offert Eccleſia.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt, Nos tibi gratias agere omnipotens ſempiterne Deus, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum. Per quem humanum genus vivificans, Paſcha etiam per Moyſen & Aaron famulos tuos Agni immolatione juſſiſti celebrare: conſequentibus temporibus uſque ad adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, (qui ſicut ad victimam ductus eſt) eamdem conſuetudinem in memoria obſervare præcepiſti. Ipſe eſt Agnus immaculatus, qui prioris populi prima Paſcha in Ægypto fuerat immolatus. Ipſe eſt Aries, in vertice montis excelſi de vepre prolatus, ſacrificio deſtinatus. Ipſe eſt Vitulus ſaginatus, qui in tabernaculo patris noſtri Habrahæ, propter hoſpites eſt victimatus. Cujus Paſſionem & Reſurrectionem celebramus; cujus & adventum ſperamus: & ideo cum Angelis & Archangelis non ceſſant clamare dicentes. *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*.

Benedictio Populi.

Benenedic omnipotens ſempiterne Deus, hanc familiam tuam benedictione perpetua, qui vitam humani generis, pro nobis Filio tuo moriente, ſalvaſti; præſta: ut in hac populi tui devotione, fructus proveniat gaudiorum. Quod.

Collectio poſt Communionem.

Immortalitatis alimoniam conſecuti, quæſumus Domine: ut quod ore perci-

(1) *Aliquid ex eo loco excidiſſe retur Mabillonius.*

percipimus, mente ſectemur. Per Dominum.

Collect. ſequitur.

Repleamur, Domine, gratia muneris ſacri: & quæ guſtu corporeo [a] dulcia venerati contingimus, dulciora mentibus ſentiamus. Per eum.

MISSA PASCHALIS IV. Feria.

Deus, qui populum tuum ſacro Jordane flumine tranſacto, terram tuæ feciſti promiſſionis intrare; concede quæſumus: ut & nos quoque Majeſtatis tuæ revelato myſterio, divina ſemper beneficia ſentiamus. Per Dominum.

Oratio ſequens.

Annue nobis, quæſumus, Domine: ut quemadmodum myſteria Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu ſolemnia colimus; ita & in adventu ejus gaudere cum Sanctis omnibus mereamur. Per Dominum.

Collectio nunc.

Agnus Dei, qui tollis peccatum mundi, reſpice in nos, & miſerere nobis, factus ipſe hoſtia, qui Sacerdos; ipſe præmium, qui Redemptor: a malis omnibus, quos redemiſti, cuſtodi Salvator mundi.

Item alia.

Subjectum tibi populum, Domine, propitiatio cæleſtis amplificet; & tuis ſemper faciat [1] fruere mandatis. Per Dominum.

Immolatio nunc Miſſæ.

Dignum & juſtum eſt, nos tibi ſemper laudes & gratias agere, omnipotens ſempiterne Deus, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum. Qui ſicut ovis ad occiſionem pro nobis ductus eſt: & ut agnus coram tondente, ſic non aperuit os ſuum. Hic enim eſt Agnus Dei, unigenitus Filius tuus, qui tollit peccatum mundi; qui ſe pro nobis offerendo non deſinit, noſque aput te perpetua advocatione defendit: quia nunquam moritur immolatus, ſed ſemper vivit occiſus. Paſcha enim noſtrum immolatus eſt Chriſtus; ut jam non in fermento veteri, neque in carnalium ſanguine victimarum, ſed in azymis ſinceritatis & corporis veritatis immolemus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem Majeſtatem tuam laudant.

Benedictio Populi.

Faciat vos Deus veros eſſe filios Eccleſiæ: multiplicet vos in timore ſuo, & abundare faciat ab ubertate cælorum in omni abundantia ſanitatis. Repleat vos omnibus bonis terrarum veſtrarum, copia, frumento, vino, repleat, & oleo ſanctitatis lætificet vos in

a. dulcia venerati. *leg.* dulce veneratione.

(1) *Mabill. ibi vocem* fruere *mutavit in alteram* ſervire.

in filiis, exhilaret in familiis, & abundare faciat in amicis. Per D.

Poſt Communionem.

Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde; ut quos uno cæleſti pane ſatiaſti, una facias pietate concordes. Per D.

ITEM MISSA
V. Feria.

FAc miſericors Deus: ut quod Paſchalibus celebramus officiis, fructiferum nobis omni tempore ſentiamus. Per D.

Item Collectio.

Benedictionem tuam, quæſumus, Domine ſacræ plebi copioſa pietate largire, quæ per tuam tibi gratiam ſemper reddatur accepta.

Item alia Collectio.

Deus, qui populum tui feciſti Redemptionis participem; concede nobis, quæſumus; ut & Reſurrectionis Dominicæ in perpetuo gratuletur. Per D.

Collectio ſequitur.

Famuli tui, Domine, qui ad tuam ſunt gratiam vocati, tuo indeſinenter protegantur auxilio: ut qui divino ſunt Baptiſmo regenerati, nunquam a tui regni potentia poſſint evelli. Per D.

Immolatio nunc.

Dignum & juſtum eſt, nos tibi gratias agere, Sancte Pater omnipotens æterne Deus, Per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum; quem pro nobis omnibus tradi hoſtiam voluiſti. O mira circa nos pietatis tuæ dignatio! O ineffabilis dilectio caritatis, ut ſervos redimeres, Filium tradidiſti! O certe neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O [1] fidelem culpam, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem. Nunquam enim quanta circa nos pietatis tuæ dilectio eſſet, agnoſceremus, niſi ex morte unici & coæterni Filii tui Domini ac Dei noſtri Jeſu Chriſti probaremus. Vincit malitiam Diaboli pietas tuæ dignationis: quia ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia: ſed plus nobis tua miſericordia reddidit, quam invidus inimicus abſtulerat: ille Paradiſum invidit, Tu cælos donaſti: ille mortem temporalem intulit, Tu vitam perpetuam tribuiſti. Propterea profuſis gaudiis, totus in orbe terrarum mundus exultat; ſed & ſupernæ concinunt Poteſtates hymnum gloriæ tuæ ſine fine dicentes.

Benedictio Populi.

Benedic Domine hos populos tuos, reſpectui tuo ſe ſupplici oratione curvantes. Fac ante conſpectum tuum cum juſtitia vivere; ſi ſecus egerint, judicare. Tribue eis Domine in fide credulitatem, in labore virtutem, in affectu devotionem, in actu proſperitatem, in victu abundantiam, in pace læti-

---

(1) *Legendum fortaſſis* O felicem culpam.

lætitiam, in converſatione gratiam, in luctatione victoriam. Per Dominum.

ITEM MISSA PASCHALIS VI. Feria.

DEus, qui per Vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte, reſeraſti; da nobis, quæſumus: ut qui Reſurrectionis Dominicæ ſolemnia colimus, per invocationem tui Spiritus a morte animæ reſurgamus. Per D.

Item Collectio.

Deus, per quem nos Redemptio præſtatur & Adoptio; erige ad te tuorum corda credentium: ut omnes regenerati ſacro Baptiſmate, adprehendant mente, quod myſteriis ſuſceperunt. Per.

Collectio.

Confirma Domine famulos tuos, quos ex aqua & Spiritu Sancto propitius redemiſti; ut veterem hominem cum ſuis actionibus deponentes, in ipſius converſatione vivamus; ad cujus ſubſtantiam per hæc Paſchalia myſteria tranſtuliſti. Per.

Item alia Collectia.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus: ut feſta Paſchalia, quæ devotione colimus, moribus exequamur. Per.

Cod. Sacram.

Immolatio.

Dignum & juſtum eſt. Vere dignum & juſtum eſt, nos tibi gratias agere, Sancte Pater omnipotens æterne Deus, Rex omnium, ſanctificator & conditor generis humani. Qui Filio tecum æterna claritate regnante, cum de nullis extantibus cuncta protuliſſes, hominem limoſi pulveris initiis inchoatum, ad ſpeciem tui decoris animaſti; eumque credula perſuaſione deceptum, reparare voluiſti: ſpiritalis gratiæ æterna ſuffragia mitte nobis [1] Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum. Qui mortuus eſt propter peccata noſtra; & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Propterea cum Angelis & Archangelis non ceſſant clamare.

Benedictio Populi.

Benedicat vos Dominus, & cuſtodiat ſemper. Oſtendat Dominus faciem ſuam ſuper vos, & miſereatur veſtri. Convertat Dominus vultum ſuum ad vos, & det vobis pacem. Per Dominum.

Poſt Communionem.

Præſta nobis omnipotens Deus; ut vivificationis tuæ gratiam conſequentes, in tuo ſemper munere gloriemur. Per.

Collectio.

Sacramenta, quæ ſumpſimus, Domine, & ſpiritalibus nos [2] expient alimentis,

(1) *Vocem Jeſum per ſe interſerit Mabillonius, quam tamen expoſtulare locus omnino non videtur.*

(2) *Mſ. membrana ibi ait* excipient.

mentis, & corporalibus tueantur auxiliis. Per D.

MISSA MATVTINALIS per totam [1] Paſcham pro parvulis qui renati ſunt, mature dicenda.

Deus, qui credentes in te populos gratiæ tuæ largitate multiplicas; reſpice propitius ad electionem tuam: ut qui ſacro Baptiſmate ſunt renati, regni cæleſtis mereantur introitum. Per Dominum noſtrum.

Oratio ſuper munera in die Sabbati [2] exita Paſcha.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris: & oblationes famulorum tuorum, quas tibi offerimus, diem octavarum ſuarum ſpiritalium celebrantes (quo die eos ſacro Fonte Baptiſmatis renaſci juſſiſti) placitus ac benignus adſume.

Immolatio die Sab.

Vere dignum & juſtum eſt: quia verus ille Agnus, qui pro nobis eſt immolatus: qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam noſtram reſurgendo reparavit Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Cui omnes Angeli atque Archangeli inceſſabili voce proclamant dicentes. *Sanctus*.

Benedictio Populi.

Benedicat vos Deus Pater omnipotens, qui in principio cuncta creavit. Benedicat vos Filius, qui de ſuperna ſede pro nobis ſalvandis deſcendit. Benedicat vos Spiritus Sanctus, qui in columba Jordanis fluvium in Chriſto requievit. Ipſe vos in Trinitate ac Vnitate ſanctificet, quem omnes Gentes expectant venturum Judicem ad judicandum. Quod ipſe præſtare dignetur.

Collectio ad Communionem.

Præſta, quæſumus, Domine: ut ſancta nos tua expient, dignoſque ſemper ſua perceptione perficiant. Per Dominum.

Collectio ſequitur.

Adeſto Domine Deus noſter: ut per hæc qui fideliter ſumpſimus, & purgemur a vitiis, & a periculis omnibus exuamur. Per D.

MISSA IN PASCHA die Sabbati.

Deus, qui nos Reſurrectionis Dominicæ ſolemnitate lætificas, concede propitius: ut per temporalia feſta quæ agimus, pervenire ad gaudia æterna mereamur.

Colle-

(1) Similis etiam in Gothico. Hodie quoque apud Mediolanum tota Paſchæ hebdomada Miſſa pro Neophytis celebratur. *Mabill.*

(2) Id eſt exeunte Paſcha, ſcilicet Sabbato, quæ dies octava erat Baptiſmi. *Mabill.*

Google

Collectio.

Præſta quæſumus omnipotens Deus: ut huius Paſchalis feſtivitatis mirabile Sacramentum, & temporalem nobis tranquillitatem tribuat, & vitam conferat ſempiternam. Per Dominum.

Item alia Collectio.

Reſpice, quæſumus, Domine, & peccatorum noſtrorum tenebras averte: ut quos exercet devotio ſolemnitatis, inluſtret ſolemnitas piæ cognitionis. Per Dominum.

Item Collectio.

Deus, qui in ſolemnitate Paſchali mundo remedia contuliſti; populum tuum, quæſumus, cæleſti dono proſequere;ut & perfectam libertatem conſequi mereatur, & ad vitam proficiat ſempiternam.

Immolatio in die Sabbati.

Dignum & juſtum eſt, neceſſarium & ſalutare eſt, ut te Dominum ac Deum [1] totis viſceribus humana conditio veneretur, Rex mirabilis Chriſte. Cujus condemnatione tartareis vinculis abſoluta credentium turba, libertatis inſignia gratulatur. Qui vere & Leo de Tribu Juda mundo oſtenſus, animarum devorationem extinctum leonem diabolum, omnis terra lætatur. Permittis te clavorum nexibus alligatum, ad ſtipitem Crucis tereri: ut non ſit parva, quem impius quondam expaveſcat potentiam. Ad cujus vocem emittens ſpiritum, terra tremuit, cælum expavit, dies fugiit, ſol obſcuratus eſt, aſtra abſcondentia radios ſuos, ſimul omnia migraverunt. Cujus deſcenſu confractis portis, luget infernus: quo reſurgente, lætantur Angeli; & exultat terra cum habitatoribus ſuis. In quo triumpho conſpicitur comminatio illa Prophetico ore promiſſa: Ero mors tua, o inferne. Vbi eſt ergo victoria tua? nec enim ab alio poterat niſi a vita mors devorari. Qui deſcenſu ſuo eos qui tenebantur a morte, ſuperis reddidit reſurgendo: ut ejus reſurrectio vivorum vel mortuorum teſtimonio firmaretur. Vnde ſancte Pater, omnipotens æterne Deus per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum gloria tibi ſemper, qui in te & ex te & tecum ſemper. Quem te etiam laudant Angeli.

INCIPIT MIS. CLAVSE Paſ.

CONcede, quæſumus, omnipotens Deus: ut qui Reſurrectionis Dominicæ ſolemnia colimus; per innovationem tui Spiritus a morte animæ reſurgamus. Per Dominum.

[2] Precem ad Miſſa.

Deus totius claritatis conditor & moderator, quem cæleſtia mirantur, & terrena pavitant, inferna tremiſcunt; cui Angelorum turmæ, & Archangelorum exercitus militant, non uti mundum expugnes, quem ipſe feciſti; ſed ut ſubruas mundi peccata, quæ Diabolus adinvenit: quia ita dignatus

(1) *Mſ. Codex* totius, *non* totis.

(2) Poſt Precem *eo in loco legit Mabill.*

gnatus es diligere hunc mundum, ut Vnigenitum tuum traderes pro noſtra ſalute: cujus Cruce redempti ſumus, Morte vivificati, Paſſione ſalvati, Reſurrectione glorificati. Per ipſum te itaque ſupplices invocamus: ut huic familiæ tuæ in omnibus adeſſe digneris, ſicut adſuiſti Patribus noſtris ſperantibus in tua miſericordia; ſic & his omnibus adeſſe dignare: ut ſit in ſenſibus eorum timor devotionis tuæ, in corde fides, in opere juſtitia, in actu pietas, in lingua veritas, in moribus diſciplina: ut digne riteque immortalitatis ſibi præmium conſequi mereantur. Per D.

Collectio poſt nomina.

Deum, qui pro ruina totius mundi unicum Filium ſuum, adſumpta ex carne Virginis veri hominis forma, mittere dignatus eſt, Fratres cariſſimi, ſuppliciter exoremus: ut ſicut in hac Reſurrectionis ejuſdem nos a morte perpetua cum illo reſuſcitavit; ita pietatis ſuæ dono ab omnibus nos inimici tutans inſidiis, inlæſos faciat in matris Eccleſiæ gremio reſidere; & conſcientiæ integritate de regeneratione gaudentes, æternæ [1] primitiorum Eccleſiæ, quemadmodum devotione ad præſens, ita remuneratione adſociet in æternum: & hæc munera [2] plebi ſuæ benedicere dignetur. Per D.

Immolatio Clauſum Paſchæ.

Dignum & juſtum eſt, neceſſarium & ſalutare eſt, nos tibi gratias agere, omnipotens (licet gloriæ tuæ mortalium membra non congruant) redemptionis noſtræ præferre præconia: Dum hominum genus mancipatum morte, inferorum ſedibus tenebrarum vincla reſtringerent; ſpiritale Verbum (per quod in principio omnia fuerant conſtituta) deſcendit in Mariam: quæ dum partum ſuum Virgo miratur, inclauſum hominem edidit Deum. Quæ tamen tuum eſſe, ſumme Omnipotens, antequam naſceretur, cognoverat; quippe quæ ſciebat mundi eſſe Principium. Is namque Crucem ſpontanea devotione propter redemptionem humani generis, de inimico Tyranno triumphaturus, aſcendit: & relicto pauliſper corporis templo, inferorum clauſtra confringens, priſtinæ (ut ante fuerat) vitæ reſtituit: nec ſuffecerat ſolum hominis emendaſſe peccatum; ſed per ablutionem cæleſtem renatos, redivivo ac novo nativitatis genere remeans ad [a] originem ſuæ, nos ad cæleſtia regna perduxit. O conſilium, o divinæ providentiæ, o inſtimandum reparationis auxilium! Per Virginem nobis glorioſa vita reſtituitur, quæ per ligni inobedientiam credebatur extincta. Per aquam mundi peccata diluuntur: per quam ante ſenſerat mundus ipſe naufragium. Tibi ergo, ſumme Genitor, pura devotione inmaculatum munus offerimus: & elevatione manuum noſtrarum juxta Filii tui Jeſu Chriſti diſpoſitionem, pium Sacrificium celebramus. Per quem te laudant Angeli & Archangeli, dicentes.

INCI-

a. Originem ſuæ. *leg.* originem ſuam.

(1) *Mabill.* primitivorum. (2) *Idem*, plebis ſuæ.

INCIPIT MISSA Dominicalis poſt Paſcha.

Præfatio.

DEus qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexiſti; lætitiam concede fidelibus tuis: ut quos perpetuæ mortis eripuiſti caſibus, gaudiis facias ſempiternis perfrui. Per.

Collectio ſequitur.

Deus in cujus præcipuis mirabilibus eſt humana reparatio, ſolve opera Diaboli; & mortifera peccati vincula diſrumpe: ut deſtructa malignitate quæ nocuit, vincat miſericordia quæ redemit. Per Dominum.

Collectio poſt nomina.

Benedictionem, Domine, nobis conferat ſalutarem ſacra ſemper oblatio: ut quod agit myſterio, virtute perficiat.

Collectio ſequitur.

Deus, qui nos per hujus ſacrificii veneranda commercia unius ſummæ Divinitatis participes effeciſti; præſta quæſumus: ut ſicut tuam cognoſcimus veritatem, ſic eam dignis moribus adſequamur. Per.

Conteſtatio nunc.

Vere dignum & juſtum eſt. [1] Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui humanis miſeratus erroribus, per Virginem naſci dignatus eſt; & per paſſionem mortis a perpetua nos morte liberavit: ac reſurrectione ſua æternam nobis contulit vitam. Quem laudant Angeli.

ITEM MISSA POST Paſcha ante Aſcenſa Domini.

DEus, qui hoc nobis confers gratia tua, ut juſti ex impiis, & beati efficiamur ex miſeris; adeſto tuis operibus, tuis adeſto muneribus: ut quibus ineſt fidei juſtificatio, non deſit perſeverantiæ fortitudo. Per.

Collectio.

Deus, qui es miſericors in operibus, juſtus in judiciis, largus in donis, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam: & quia tu nobis es bonorum cauſa meritorum; cuſtodi quod [2] tribues, ut invenias quod corones. Per.

Coll. poſt nomina.

Præſta Domine, quæſumus, veritati: ut illius ſalutis capiamus affectum, cujus per hæc myſteria pignus accipimus. Per.

Collectio.

Reſpice Domine propitius ad munera, quæ ſacramus: ut & tibi grata ſint, & ſalutaria ſemper exiſtant. Per D.

Conteſtatio nunc.

Vere dignum & juſtum eſt, devoto mune-

(1) *Ibi aliquid deſiderari, quod vetus ſcriptor omiſerit liquido apparet.*

(2) *Legendum cum Mabill. crediderim, tribuis.*

munere poſtulantes: ut tempora, quibus poſt Reſurrectionem Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum Diſcipulis ſuis corporaliter habitavit, pia devotione tractemus. Quem l.

INCIPIUNT COLLECTIONES in Rogationibus per diverſa loca Sanctorum nunc. In S. Pietro. [1]

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Beato Petro Apoſtolo, conlatis clavibus regni cæleſtis, animas ligandi adque ſolvendi Pontificium tradidiſti; exaudi propitius preces noſtras in die jejunii hujus: & interceſſione ejus, quæſumus, ut a peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Salvator mundi.

Oratio in S. Stephano.

Præſta, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus: ut fragilitati noſtræ adflictæ in diebus iſtorum jejuniorum, magnificus Levita B. Stephanus auxilium interventionis exhibeat; qui imitator Dominicæ Paſſionis & Pietatis, primus in cruore Martyrii enituit: & ſemper ſit perfectus ſuffragator; atque, te concedente, promtus adjutor. Per Dominum.

Item Oratio in Sancto Martino.

Porrige dexteram tuam, quæſumus, Domine plebi tuæ in die jejuniorum ſuorum tuam miſericordiam poſtulanti: [2] & intercedente Beato Martino, terrores imminentes declinemus, & ſolatia vitæ immortalis accipiamus, & ſempiterna gaudia comprehendamus. Per Dominum.

Oratio in Sancto Gregorio.

Omnipotens ſempiterne Deus, [3] jejunii de tuis etiam donis ſatiati, vel qualibet maceratione confecti, Majeſtatem tuam ſupplices exoramus: ut expulſis de cordibus noſtris peccatorum tenebris in die jejunii, intercedente ſummo Antiſtite noſtro & divinorum myſteriorum capace Gregorio, ad veram lucem, quæ Chriſtus eſt, nos facias pervenire. Per Dominum noſtrum.

Item Collectiones in quo loco volueris.

Quæſumus, Domine Deus noſter vitia carnis ſpiritus virtute conſtringe: ut interveniente *Ill.* in hoc jejunio noſtra in virtutibus reficiatur [a] infirmitas.

Collectio ſequitur.

Propitiare Domine ſupplicationibus: & nos in jejunii cultu vacantes, obtinente Beato *Illo* pervigili protectione cuſtodi: ut nullius animum diabolus perfidiæ telo vulneret; nullius mentem veneno falſitatis occidat.

INCI-

a. infirmitas. *leg.* infirmitas. Per.

(1) Eædem fere Stationes, eædemque orationes in Miſſali Gothico. Unde colligere licet, has orationes fuiſſe communes, non loci alicujus peculiaris, ad quem hæc Miſſalia pertinuerint. *Mabill.*

(2) *Mabill.* ut intercedente *mutata vocula & in alteram* ut.

(3) *Lege* jejuni.

INCIPIT MISSA in Rogationibus.

MEmores cæleſtium præceptorum, peccata noſtra coram Domino defleamus, ferentes in lacrymis quid [1] metamur in gaudiis: ſimus in oratione ſolliciti, jejuniis prompti, in eleemoſynis liberales: ut promiſſæ retributionis gloriam devota fide & fructuoſa operatione mereamur. Per D.

Collectio ſequitur.

Deus, qui Ninivitis pro peccatis ſuis jejunantibus pepercisti; te ſupplices deprecamur: ut & nobis in hoc [2] jejunio noſtrorum indulgentiam per [3] ſolitam miſericordiam largiaris. Per.

Collectio poſt nomina.

Recenſitis offerentum nominibus, [4] ac cincti abſtinentiæ cibis, & devoto paſti jejunio, petamus a Domino Salvatore noſtro: uti hæc adoranda Sacrificia, quæ pro ſpiritibus pauſantium, & noſtris noſtrorumque peccatis cura pietatis offerimus, ſicut munus Abel juſti ſui . . . . . benedicat, & in no. . . . ficata cuſtodiat. P.

Collectio ſequitur.

Suſcipe preces populi tui clementiſſime Pater: & directas in ſpiritu tuo oblationes, quaſi odorem incenſi flagrantis adſume. Per Dom.

Conteſtatio nunc.

Dignum & juſtum eſt, Tibi ſanctificare jejunium, quod nos ad animarum medelam & caſtigationem corporum ſervare docuiſti: quia reſtrictis corporibus, animæ ſaginantur: & in quo homo noſter exterior, adteritur, dilatatur interior. Memento itaque Domine in hoc jejunio miſeration.

Reliqua deſunt.

INDEX

(1) *Mabill.* meramas.

(2) Ita etiam jejunium in Gothico, ſupra in hoc triduo. Vide ſermones tres Cæſarii Epiſcopi Arelatenſis in Appendice nova tomi quinti novæ editionis S. Auguſtini a Sermone 173, qui primus eſt de Letania, ubi jejunia dicuntur neceſſaria *tribus his diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Eccleſia*. Hoc in ſermone item Cæſarius reprehendit eos, qui ad Eccleſiæ conventus iſtis diebus *tarde veniunt; & prius quam myſteria compleantur abſcedunt; & in ipſa Eccleſia otioſis fabulis vacantes; nec ipſi pſallunt, nec alios pſallere, vel orare permittunt*. Et in ſermone ſequenti hortatur Fideles, ut ne ſe *de Eccleſia conventu ſubtrahant in ſex Horis* canonicis. *Mabill.*

(3) *Mſ. Cod.* ſalutem.

(4) *Mabill.* accincti.

INDEX CAPITVLORVM

HUJUS MISSALIS GALLICANI VETERIS.

Miſſa S. Germani Epiſcopi. 369
Ad Virginem benedicendam. 372
Benedictio Vidualis. 373
Oratio . . . . . *ibidem*
Miſſa de Adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti. *ibidem*
Item Miſſa de Adventu D.N.J.C. 374
Præfatio cum Collectionibus ad Veſperum Natalis Domini. 376
Orationes ad initium noctis Natalis Domini ad Duodecimam. 377
Oratio in media nocte Natalis Domini. *ibid.*
Ad faciendum Catechumenum. 378
Exorciſmus. *ibidem*
Expoſitio vel traditio Symboli. *ibidem*
Expoſitio Euangeliorum in Aurium apertione ad Electos. 381
Præmiſſiones ad Scrutamen. 383
Expoſitio Orationis Dominicæ. *ibidem*
Miſſa in Symboli traditione. 385
Expoſitio Symboli. 386
Miſſa in Feria V. in Cœna Domini. 387
Orationes in VI. Feria. 389
Orationes in Cœna Domini ſive in Biduana. 391
Item Orationes in Biduana.
Ad Secundam. *ibidem*
Ad Tertiam. *ibidem*
Ad Sextam. 392
Ad Nonam. *ibidem*
Orat. poſt Lectiones Sabbati. 393
Item Oratio in Sabbato Requiei Dominici Corporis. *ibidem*
Oratio ad Sextam die Sabbato. 394
Oratio in Sabbato hora Nona. *ibid.*
Oratio in Veſpera Paſchæ. *ibidem*
Oratio ad Duodecimam. 395
Præfatio Ceræ. *ibidem*
Benedictio Ceræ B. Auguſtini Epiſcopi, quam adhuc Diaconus cum eſſet, edidit & cecinit. *ibidem*
Collectio. 397
Coll. poſt Hymnum Cerei. *ibidem*
Orationes in Vigilia Paſchæ pro Solemnitate ſancta. *ibidem*
Opus ad Baptizandum.
Præfatio cum Collectione antequam exorcizetur aqua. 400
Exorciſmus aquæ Fontis. *ibidem*
Baptiſmus. 401
Infuſio Chriſmatis. *ibidem*
Ad pedes lavandos. 402
Poſt Baptiſmum. *ibidem*
Miſſa in Vigilia Paſchæ. *ibidem*
Miſſa in die ſancto Paſchæ. 404
Miſſa Paſchalis. (Fer. II.) 405
Feria III. 406
Feria IV. 407
Feria V. 408
Feria VI. 409
Miſſa Matutinalis per totam Paſcha pro Parvulis qui renati ſunt, mature dicenda. 410
Miſſa in Paſcha die Sabbati. *ibidem*
Miſſa clauſæ Paſchæ. 411
Miſſa Dominicalis poſt Paſcha. 413
Miſſa poſt Paſcha ante Aſcenſam Domini. *ibidem*
Collectiones in Rogationibus per diverſa loca Sanctorum. 414
Miſſa in Rogationibus. 415

EXPLICIT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google